


PHILOSOPHIA LACENSIS

SIVE

SERIES INSTITUTIONUM

PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE

EDITA

A PRESBYTERIS SOCIETATIS IESU

IN COLLEGIO QUONDAM B. MARIAE AD LACUM

DISCIPLINAS PHILOSOPHICAS PROFESSIS.

INSTITUTIONUM LOGICALIUM

PARS I.

SUMMA PRAECEPTORUM LOGICAE.

FRIBURGI BRISGOVIAE.

SUMPTIBUS HERDER,

TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII.

MDCCCLXXXVIII.

EIUSDEM LIBRARIAE AEDES SUNT VINDOBONAE, ARGENTORATI, MONACHII ATQUE IN URBE S. LUDOVICI AMERICANA.

INSTITUTIONES LOGICALES

SECUNDUM PRINCIPIA

S. THOMAE AQUINATIS

AD USUM SCHOLASTICUM

ACCOMMODAVIT

TILMANNUS PESCH S. I.

NON ITA CUDIMUS NOVA, UT DESTRUAMUS VETERA,
SED UT STATUAMUS.

S. HIERONYMUS.

PARS I.

SUMMA PRAECEPTORUM LOGICAE.

CUM APPROBATIONE REV. ARCHIEP. FRIBURG. ET SUPER. ORDINIS.



FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER,
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII.
MDCCCLXXXVIII.
EIUSDEM LIBRARIAE AEDES SUNT VINDOBONAE, ARGENTORATI, MONACHII ATQUE IN URBE S. LUDOVICI AMERICANA.

Typis Herderianis Friburgi Brisgoviae.

PRAEFATIO.

Abhinc octo fere annos in lucem edi coepta est haec series institutionum philosophiae scholasticae, cui titulus: „Philosophia Lacensis“. Iure mirabitur lector vel benevolentissimus, singula huius seriei volumina tanta tarditate tantisque interpositis emitti intervallis. Verum sciat, nobis quum ex incommoditate exilii et iniquitate temporum, tum ex aegrotationibus aliquorum scriptorum multo plures difficultates exortas esse, quam a nobis hoc opus aggredientibus praevideri potuit. Summae tamen nobis curae erit, ut id quam fieri potest citissime ad finem perducatur, quod initio lectoribus promisimus.

Quum de ratione totius huius operis aliis locis [1] dictum sit satis, reliquum est, ut paucis indicemus, quae sit ratio „Institutionum logicalium“, quae nunc mittuntur in publicum.

Inutile fortasse videbitur, tantam librorum, qui de rebus logicis praeclare scripti sunt, copiam augeri his, quas elucubravimus, praeceptionibus et disputationibus. Et sane quidem compendia, quae in schola vel praelectionibus usui esse possunt, tam abunde in promptu sunt, ut illi, qui novum compendium logicae ad usum scholae componere velit, merito illud γλαῦκ' Ἀθήναζε obiici posse videatur. Neque ex altera parte desunt libri, in quibus maxima rerum amplitudine et non sine progredientis scientiae augmento tractantur quaestiones, quae ad logicam spectant; et in aliis quidem ex his libris res aliae altius et extensius perquiri solent.

Nos vero neque compendium scribere volumus pro incipientibus, neque librum, qui captui illorum accommodatus sit, qui in studiis logicis sunt perfecti omnino et absoluti. Sed id intendimus,

[1] In libro: Institutiones philosophiae naturalis 1880, sub initiis; et iterum in libro: Institutiones iuris naturalis 1885, in praefatione.

quod inter haec duo interiectum est medium. Igitur scribentibus nobis has institutiones logicales consilium est duplex. Primo constituantur praecepta incipientibus accommodata, quae in praelectionibus et magistris et auditoribus servire possint. Deinde vero ea, quae praecepta sunt — ratione habita inquisitionum nostri temporis atque etiam errorum — vocentur in quaestionem et quasi dubitationem, ad utilitatem eorum, qui doctrinae logicae non omnino ignari ad altiorem earum rerum, quas didicerint, intellegentiam per disputationes in circulis vel conventibus vel per studium privatum pervenire desiderant. Quem ad finem ex illis, quae a philosophis ad nostrum usque diem de rebus logicis constituta sunt, ea, quae maiore ad rem opere conferunt, ex ingenti regularum mole excerpta, eo ordine disponere nobis in animo est, ut hic noster liber et incipientibus et provectioribus utilis esse possit.

Ut autem illud commode efficeremus, quod nobis propositum esse diximus, visum est nobis necessarium, ut retineatur illa apud veteres servata bipartitio, qua logicam minorem sive praecipientem et logicam maiorem sive quaestionariam distinguere solebant. Itaque dividimus institutiones nostras in partes duas, quarum prior erit: „Summa praeceptorum logicae" in usum scholae; pars altera: „Logica maior" in usum disputationum.

Praecepta autem logica iterum per duos libros proponimus, quorum prior continet doctrinam propaedeuticam sive praeparatoriam, alter doctrinam ipsam logicam. Quae praeceptorum in duos libros separatio non sine ratione facta est.

Reperiuntur enim, qui studium philosophiae non ab ipsis praeceptis logicis exordiendum esse ducant, sed a philosophiae historia. Tantae huic historiae aestimationi etsi omnino obsistendum esse arbitramur, quatenus modum excedit, tamen id concedendum esse videtur, ut, qui studium philosophiae incipiunt, aliquibus notitiis historicis in pleniorem materiae notitiam introducantur [1]. His enim notitiis imbutus animus, quum videat, quanti

[1] Sed non usquequaque indicanda esse ducimus, quae a quibuscunque obscuris hominibus de re aliqua prolata sunt; sed accuratus harum rerum delectus est habitus. — Neque ea omnia, quae per institutiones nostras citavimus, prima vice ab incipientibus subigi et quasi concoqui volumus. Sed multa primo praetermittenda sunt, ne nimia rerum abundantia intelligentiae et gravitati studiorum impedimento sit.

momenti sint praeceptiones illae logicae, quae incipientibus in se inanes, minutae, steriles videri possint, a languore et taedio illo securus erit, quod studiis logicis facile iis creatur, qui notionum abstractarum nondum consuetudinem habent. Ad quem locum adhiberi potest id, quod de logica animadvertit Leibnizius: „Veram aberrationis a ianua causam arbitror, quod principia sunt plerumque arida et parum grata hominibus, adeoque leviter gustata dimittuntur.“ [1] Post praenotiones generales igitur aliquid de rebus historicis breviter indicabimus. Qua in re non solum antiquorum, sed etiam recentiorum Peripateticorum vestigia premimus.

Porro non desunt hac nostra aetate, qui psychologiam, quam vocant empiricam, logicae praemittendam esse velint. Qui quidem graviter errant; tenendum est enim, ab ipsa logica capessenda esse exordia philosophiae. Neque tamen ex altera parte negari potest, aliquam rerum psychologicarum notitiam iis, qui ad studia logica accedunt, non mediocri utilitati esse. Huic multorum desiderio ut fiat satis, post praenotiones historicas ponemus aliquas praenotiones psychologicas.

Sequuntur deinde praenotiones, quas methodicas sive methodologicas dicimus. Postquam enim Cartesius, Locke, Leibniz de studio philosophiae praeceptiones composuerunt, quae ad prudentiam potius quam ad artem vel scientiam spectant (quas quidem etiam prioris aetatis philosophi occasione data tetigerant), labor in eiusmodi dandis praeceptis etiam a philosophis optimae notae susceptus est, ut a Buffier, Mangold, Storchenau, Ad. Contzen, aliis. A quibus de ipsa ratione studiorum, de usu vocabulorum, de lectione librorum, de vitandis erroribus, de fontibus praeiudiciorum, de recta alienae sententiae interpretatione, praeclare praeceptum est. Quis vero tam plumbeus in philosophis esse possit, ut has utilissimas praeclarorum virorum doctrinas omnino praetermissas esse velit? Solent quidam hodierni philosophi praecepta illa ipsis praeceptis logicis quasi interserere. Quae res nobis minus placet; nam illis interpositis praeceptionibus ipse ordo doctrinae logicae distrahitur et obscuratur. Ex quo in eam cogitationem adducti sumus, ut illas praeceptiones methodologicas

---

[1] Historia et commendatio linguae characteristicae universalis, in editione Erdmann p. 163.

toti doctrinae dialecticae praemittamus. Agitur enim de rebus, quae faciliores sunt; atque in apertis est, eas res a discentibus iam ante maxima cum utilitate cognosci, quam ad ipsius doctrinae dialecticae studium veniatur.

Hisce autem aliquas praenotiones de definitione, divisione, argumentatione, ratione disputandi coniungendas esse duximus. Utile enim esse videtur, ut logicae studiosi iam aliquam horum sciendi et disputandi modorum notitiam habeant, priusquam per doctrinam dialecticam tres mentis operationes doceantur. Namque in his ipsis studiis usus syllogismi et disputationis iam necessarius est.

Quibus rebus effectum est, ut tanta sit praenoscendarum rerum copia, quanta ad separatum librum propaedeuticum satis sit. Atque ita factum est, ut „Summa praeceptorum logicae“ per duos libros exhibeatur: per doctrinam propaedeuticam atque logicam sive dialecticam.

De altera institutionum logicalium parte breves esse possumus. Funestissimis enim nostri temporis erroribus, qui funditus evertendi sunt, cogimur quaestiones, quae in hac logica maiore tractandae sunt, distribuere in libros tres.

Primo enim ipsa fundamenta veritatis et cognitionis a Scepticis, Idealistis, Positivistis nostrae aetatis cum maiore scientiae apparatu in dubium vocata sunt. De his igitur separatim dicendum in libro primo, qui est „Logica critica“. Secundo libro ea continebuntur, quae veteres in logica maiore disputare solebant. Sed ab his iterum separata reservabimus ea, quae categorias sive praedicamenta spectant, quibus in rebus disciplina logica disciplinae metaphysicae finitima est, quaeque a philosophis scholasticis maxima cum accuratione limata sunt. Recte id quidem. Maior est enim, quam dici potest, necessitas, ut ii, qui logicae navant operam, ad eiusmodi conceptus et res his conceptibus expressas diligenter attendant. Quae necessitas erroribus nostri temporis mirum quantum aucta est, ita ut hodie his de rebus multo enucleatius dicere sit necessarium. Verum enimvero vix quidquam reperies, quod discentibus initio tantam facessit difficultatem, quam hae, quae sunt in confiniis inter logicam et metaphysicam quaestiones. Cui nos incommodo remedium adhiberi posse arbitramur,

si, postquam initio de categoriis leviter tantum dictum sit, in tertio tandem libro logicae maioris extensius disputetur de ente, quod est categoriarum principium, de ipsis categoriis, de iis denique, quae categorias proxime consequuntur, inter quae praecipua est prioritas naturae sive causalitas.

Quodsi in hoc ultimo logicae maioris libro dixerimus, quae ad rite constituendos et diiudicandos conceptus rerum satis sint, iam ii, qui post absolutam logicam ad studium philosophiae realis accedunt, animum omnibus notitiis ontologicis satis imbutum habebunt, quae ad studium hoc fructuosius et facilius instituendum desiderari possunt. Neque ulla relinquetur ratio retinendi in philosophia reali tamquam primam partem illam, quam „ontologiam“ dicunt, quam in philosophiam introduxerunt Cartesiani atque Leibniziani propter falsam suam de cognitione humana theoriam [1].

Atque haec de ordine institutionum logicalium hactenus. Vix autem opus est, monere, non fuisse suscepti laboris consilium, ut proponeremus, quae nova essent, et ex proprio quasi penu hausta. Nolentes enim scribere logicam nostram, sed logicam, magna cum diligentia ea conquisivimus, quae ab ingeniosis philosophis hucusque accurate quaesita et praeclare inventa sunt. Omnia igitur, quae in hoc libro leguntur, si paucissima excipias, aliena sunt; ita tamen a nobis elaborata, subacta, disposita, ut etiam aliquo modo nostra sint. Quodsi quis in hoc volumine incidet hic illic in textus quosdam, quos non modo quoad vim atque tenorem sententiarum, sed quoad ipsa verba legere possis in institutionibus aliorum auctorum, is, si aequo animo res comparaverit, facile intelleget, his textibus ea tantum contineri, quae ab auctoribus communiter traduntur tamquam communis scholae haereditas, neque melius aliis verbis exprimi possunt. Quoties vero aliqua res nova est, vel aliqua ratione alicuius auctoris φιλοσόφημα proprium putari possit, nomen huius auctoris omni loco appositum esse reperies. Qua in re fortasse maior etiam cura ac diligentia, quam oportebat, a nobis adhibita est; ita ut verbo Plinii uti nobis liceat: „Non sum tam infelicis ingenii, ut deprehendi in furto, quam mutuum agnoscere malim“.

---

[1] Metaphysicam (cuius pars est ontologia) in exitu demum philosophiae realis tradendam esse, uno ore docuerunt Aristotelici (cfr. n. 15).

Et sicut in institutionibus philosophiae naturalis, quas nuper edidimus, imprimis S. Thomam Aquinatem ducem et magistrum secuti sumus, ita etiam in his institutionibus logicalibus omnem laborem impendimus, ut non solum secundum Aquinatis mentem, sed quoad eius fieri possit ipsis eius verbis praeceptiones nostras exponamus. Quod cur factum sit, non melius dicere possumus, quam verbis, quae sunt in Epistola Sanctissimi Domini Leonis Papae XIII. ad Archiepiscopos et Episcopos Bavariae (data d. 22. m. Decembris 1887). „Disciplina Doctoris Angelici mire facta est ad conformandas mentes, mire usum parit commentandi, philosophandi, disserendi presse invicteque: nam res singulas dilucide monstrat aliam ex alia continua serie pendentes, omnes inter se connexas et cohaerentes, omnes ad capita pertinentes suprema; tum in contemplationem erigit Dei, qui rerum omnium causa effectrix est et vis et summum exemplar, ad quem demum omnis philosophia et homo quantus est, debent referri. Sic vere per Thomam scientia rerum divinarum et humanarum, causarumque, quibus hae res continentur, quum praeclarissime illustrata, tum firmissime munita est: cuius conflictione disciplinae, veteres sectae errorum penitus corruerunt, itemque novae, nomine potius et specie quam re illis dispares, simul emisere caput, et eiusdem ictibus deiectae interciderunt; quod iam non unus ostendit de scriptoribus nostris. Ratio quidem humana ad cognitionem rerum interiorem reconditamque libera vult acie penetrare, nec non velle potest: verum Aquinate auctore et magistro, hoc ipso facit expeditius et liberius, quia tutissime facit, omni procul periculo transiliendi fines veritatis.“

Et haec sunt, quae hoc loco praemittenda esse duximus.

Scripsi Blijenbeck (in Hollandia) die 14. m. Sept. a. 1888.

Tilmannus Pesch S. I.

INDEX GENERALIS.

INDEX SPECIALIS

PARTIS PRIORIS,

QUAE EST

SUMMA PRAECEPTORUM LOGICAE.

PARS I.

SUMMA PRAECEPTORUM LOGICAE.

INSTITUTIONES LOGICALES.

---

1. **Dirigitur via.** Logicam totam dividimus in libros quinque, quarum primus praeambulus sive propaedeuticus ea proponit, quibus mentes discentium ad altiora studia apte disponuntur et praeparantur.

In libro altero ad usum scholae summatim proponuntur praecepta logicae, quae ad rectam cogitandi formam spectant.

In libro tertio propter errores nostri temporis critica ratione fertur iudicium de iis, quae de veritate et certitudine cognitionis nostrae a dubitantibus proferuntur.

In libro quarto res quaedam subtiliores per quaestiones explanantur. Habet enim logica, ut scite Leibnizius[1], et faciliora et difficiliora; ab illis incipiendum; haec reservanda maturioribus. Neque mirum esse debet, id quod monet Liberatore[2], „si aliqua, quae iam tacta sunt, hic denuo examinanda et quasi polienda resumantur; non tam enim diversitas rerum, quam potius tractationis spectanda est". Atque haec quidem etiam in scholis doceri possunt, non tamen promiscue, sed delectum quaestionum habente magistro.

Liber demum quintus in obiectivis rerum conceptibus vertitur. Ratione enim habita funestissimorum nostrae aetatis errorum necessarium esse videtur, ut ea, quae a veteribus passim per logicam occasione data constituebantur de conceptu entis, de supremis rerum generibus (praedicamenta sive categorias vocant),

---

[1] „Die Logik hat viel Schweres und viel Leichtes in sich, wie die Rechenkunst. . . . Man fangt billig vom Leichtesten an und sparet das Schwere, bis andere Wissenschaften begriffen; das erste dient der Jugend zum Vorgeschmack; was aber höher in der Logik und in der Arithmetik, gehöret vor die, so bereits in Sache und Sprache weit kommen, und nun noch höher steigen wollen." In epistola ad G. Wagner data, in editione Erdmann. Berolini 1840. p. 424 b.

[2] Logicae pars altera p. 91.

de iis etiam conceptibus, quae ad rerum inter se nexum et habitudinem spectant, ut haec inquam omnia, via et ratione sub uno conspectu posita, maxima cum accuratione exponantur.

Quae in primo et altero libro proponuntur, a veteribus comprehendebantur nomine logicae minoris, quae est summa praeceptorum logicae pro incipientibus. In logica maiore repetebantur graviora difficilioraque, quae vocata in quaestionem magna cum diligentia disputabantur, id quod nos per tertium, quartum, quintum librum conaturi sumus.

Nunc de libro propaedeutico sive introductorio [1], qui quattuor capitibus absolvitur.

Explicatis in capite primo iis, quae ad philosophiam universe acceptam praenotanda videntur, in capite altero et tertio materiam quasi advehimus, quae in ipsa logica adhibenda erit. Atque id primo efficiemus per narrationem historicam, ita ut in capite secundo historia duce paucis indicetur, qua ratione ars logica apud homines exorta, qua via exculta sit. In capite deinde tertio ea breviter describuntur, quae ad ipsius cognitionis notitiam spectant, et expertis nobis ipso usu percepta sunt, quae quidem nunc, quum sint logicae quasi materia, breviter proponenda, postea autem in disciplina, quam psychologiam vocant, diligentius enucleanda sunt. Tandem, quod postremum est, in capite quarto, propositis breviter artis et prudentiae regulis, ostenditur via sive methodus, quae quum semper in assequenda accurate veritate, tum in addiscenda iam penitius logica tenenda sit. Atque haec omnia in libro primo sive propaedeutico.

---

[1] Tota haec ad discendum praeparatio — praecipue autem id quod postremo loco de rebus methodicis tradituri sumus, — iam in gymnasiis vel in rhetorica discentibus nonnunquam proponitur. Si igitur philosophiae studiosis hae res iam omnino sunt cognitae, eae sub his philosophiae initiis praetermittendae sunt, vel veloci oculo percurri possunt repetitionis causa.

LIBER PRIMUS.
DOCTRINA PROPAEDEUTICA.

CAPUT PRIMUM.
Praenotiones generales.

2. **Philosophiae notio.** Philosophus, vocabulum si spectes, a duabus vocibus Graecis trahitur: φίλος et σοφία; et amantem sive studiosum scientiae vel sapientiae significat [1]. Sapientes (σοφοὶ sive σοφισταί) ante Pythagoram dicebantur, quicunque in arte aliqua vel cogitationibus suis bene conceptis et apte prolatis prae ceteris excellebant [2], velut legislatores, poëtae, rhetores; maxime vero ii, qui in perscrutanda rerum natura studia ponebant, sapientes et habebantur et nominabantur.

Quodsi etiam sapientiae vocem interpretari velimus, ea a sapiendo ducta primo eam indolem significasse videtur, qua quis de rebus gustandis rectum iudicium ferre possit. Post alia ab aliis huic nomini subiecta notio est. Nonnunquam sapientia pro prudentia accipitur, quomodo sapere idem est atque recto de rebus agendis existimare iudicio. Unde etiam quamlibet rei agendae peritiam dicit, quomodo artifices periti in sua arte sapientes dicuntur. Magis etiam consensum virtutum moralium indicat, quomodo antiquitus iam arta iustitiae et sanctitatis cum prudentia coniunctio sapientia appellata est. Maxime vero sapientia nobilissimum illud cognitionis genus indicat, quod circa res praeclarissimas et altissima rerum principia versatur; ex quibus cognitis nascitur omnium rerum recta notitia rectusque usus. „Cui sapiunt omnia, prout sunt, non ut dicuntur aut aestimantur, hic vere sapiens est.“ [3]

---

[1] Cic. l. 2 de offic. c. 2; S. Augustin. l. 8 de civit. Dei c. 1.

[2] Ita apud Homerum de fabrica materiaria: ὅς ῥά τε πάσης εὖ εἰδῇ σοφίης; de arte poëtica: σοφίαι αἰπειναί. Pind. Ol. 9, 107. Videsis Ritter et Preller Hist. philos. e fontium locis contr. Proleg. 1.

[3] De hac sapientia Thomas Kempensis: „Da mihi Domine coelestem sapientiam, ut discam Te super omnia quaerere et invenire, super omnia sapere et diligere, et cetera secundum ordinem sapientiae Tuae, prout sunt, intelligere.“ (De imit. Chr. III. c. 27 n. 5.)

3. Primus auctore DIOGENE Laërtio[1] PYTHAGORAS philosophi nomen propter modestiam usurpavit. Interrogatus is a LEONTE Philiasiorum principe, quâ maxime arte confideret, respondisse fertur „artem quidem se scire nullam, sed esse φιλόσοφον“[2]; neminem enim hominum aiebat sine temeritate sapientem dici posse, quum id solius Dei esset. Quod philosophiae nomen „ita deinceps posteris placuit, ut quantalibet de rebus ad sapientiam pertinentibus doctrina quisque vel sibi vel aliis videretur excellere, nonnisi philosophus vocaretur“[3]. Et a sapientia differt philosophia, ut scite animadvertit FONSECA[4], „sicut sapientia inchoata a perfecta et absoluta; propter quam nominum cognationem saepe alterum vocabulum pro altero usurpatur“.

Sicut nonnunquam accidit, ut post malum alicuius rei abusum nomen rei ad significandam culpam trahatur male utentium, ita non semel contigit, ut nomine philosophiae non ipsa philosophia, sed utentium pravitas indicaretur. Ita monet S. PAULUS, ut videamus, „ne quis vos decipiat per philosophiam“. Et TERTULLIANUS „philosophos“ vocat patriarchas haereticorum. Neque ignorat quisquam, cuius gregis fuerint „philosophi“ praeteriti saeculi.

Quum autem sciendi desiderium et studium sapientiae, quod omnibus hominibus natura insitum est, inter virtutes animi nostri praestantissimas, quibus nos a brutis animantibus longe secernimur, iure merito recenseatur, etiam nomen philosophiae apud probos quosque homines magno in honore habitum est. Et iam optima habenda est res illa, quae corrupta tantam perniciem in genere humano procreare potest, quantam ex corrupta philosophia ortam videmus.

Neque tamen ad easdem plane res significandas nomen philosophiae et sapientiae omni tempore extendebatur. Qua in re tria apte distinguuntur tempora. Antiquiore enim aetate ea voce scientiam omnem significaverunt. Ut enim est apud TULLIUM: „Sapientiam qui expetunt, philosophi nominantur. Sapientia autem est, ut a veteribus philosophis definitum est, rerum divinarum et humanarum, causarumque, quibus hae res continentur, scientia“[5]. Altera aetas medii aevi est, quo philosophia scientia universalis esse desiit, et a scientia, quae theologia vocatur, distingui coepta

[1] De vitis et dogm. philosoph. I, 12 sqq.
[2] CIC. Tuscul. V. 3. Cfr. S. THOM. in l. 1 metaphys. lect. 3.
[3] S. AUGUSTIN. l. 14 de Trinit. c. 1.
[4] In metaph. ARIST. tom. 1 l. 1 Prooem.
[5] L. 2 de offic. 2; L. 5 Tuscul. 2, 3. Cfr. CLEM. Alexand. l. 1 strom. c. 5; ORIG. l. 3 c. CELSUM. c. 72.

est. Dum igitur theologia revelatione supernaturali nititur, philosophia medio aevo certa eorum, quae naturali lumine sciri possunt, comprehensio est habita sive scientia omnium rerum solo naturali lumine cognoscibilium. Quae philosophia dividebatur in partes quattuor: logicam, physicam, metaphysicam, ethicam. Tertio autem tempore, quo nos vivimus, nomen philosophiae ad significandam eam scientiam contractum est, quae res sensibiles considerat sub respectu supersensibili vel etiam ad considerandas res supersensibiles ascendit.

Atque his dictis, philosophiae quae sit notio sive „definitio nominis" indicavimus. Quoniam enim nomen generatim aut sua origine, aut secundum significationem ab hominibus ipsi affixam explicatur, id perfecimus, quod quis a nobis exspectare possit, quum de ipso nomine philosophiae instituitur quaestio.

Sed considerato nomine etiam ipsa res, quam ingressuri sumus, paulo accuratius definienda est. Quamvis enim ipsa philosophia, quae ingentis maris instar nullis fere contenta limitibus protenditur, melius a nobis traicientibus eam pro sua natura et amplitudine percipi possit, tamen etiam in portu adhuc commorantibus quum iucundum tum utile est, ut futurae navigationis non omnino ignari navem solvamus.

4. **Philosophiae secundum rem definitio.** Philosophia, ut nostro tempore accipitur, recte definiri potest: scientia rerum per causas supersensibiles sive metaphysicas naturali lumine comparata. Ita philosophiam definiri posse dicimus; non enim negamus, aliis etiam verbis philosophiam haud inepte definiri, prout alia in philosophia ratio a definiente magis attenditur. Neque nobis est in animo, ut hoc loco demus definitionem, quae sit quantum fieri possit perfecta; haec enim exhiberi non potest, nisi post philosophiam fere absolutam. Unde satis esse debet, ut nunc constituatur definitio initialis, quae per studium philosophiae est perficienda et determinatis veritatibus quasi implenda.

Itaque philosophia circa res versari dicitur; est enim „in recto" de solis rebus, quae ex causis explicantur; de causis autem, ex quibus res explicantur, non est nisi indirecte sive „in obliquo" [1].

Et nomine rerum hoc loco omnia intelliguntur, quibus utcunque „Esse" attribuitur, vel „Fieri", vel „Cognosci".

---

[1] Confer S. Thom. in l. 1 physic. lect. 1; in l. 1 metaph. proleg.; in l. 1 anal. post. lect. 41.

Deinde quid sit scientia dicendum est. Quae quum in genere cognitionis sit[1], non eam cognitionem significat, quae sola experientia propria nitatur, vel nuda aliena auctoritate, sed eam, qua res ita firmiter et certo cognoscenti repraesentetur, ut reapse est. Est autem res ex suis causis. Res igitur obiecta, quae ex suis causis cognoscitur, sciri dicitur[2].

Scientia non raro etiam cognitio certa per demonstrationem comparata definitur. Quod re idem est. Nam scire quum sit cognoscere rem duce nexu causali, et ostendere nexum causalem quum idem sit atque demonstrare, iam hanc definitionem rectam esse facile intelligitur. „Manifestum est, inquit Aquinas, quod causa est medium in demonstratione, quae facit scire, quia scire est causam rei cognoscere.“[3] Ita causa, cur *pietas* laudanda sit, in eo est, quod virtus est; ex quo fit demonstratio: *Virtus est laudanda, pietas vero virtus est, pietas ergo laudanda est.*

Causa, cuius in definitione fit mentio, vi vocis latissima accipi debet, idque omne significat, unde res est, aut fit, aut cognoscitur; vel ea omnia, unde res sive ut ens in rerum ordine extra nos, sive ut cognitum quid in cognitionis ordine intra nos dependet. Et quo perfectius hanc dependentiam secundum rei veritatem perspectam habemus, eo perfectius rem scire dicimur. Quodsi ordinem rerum extra nos sive ontologicum attendimus, omne id causam rei dicemus, quod ad explicandum valet, cur res sit, sive causas internas, ex quibus res ut ex partibus est, sive causas externas, a quibus res profecta suum Esse habet. Et causas internas intelligimus quum eas, quae inter se re distinctae sunt, velut quum *hominem* ex anima et corpore constitutum cognoscimus, tum eas, quas nos ut mente distinguamus, a rei veritate adducimur, ut quum *hominem* ex animali et rationali constitutum dicimus. Causae externae et eae sunt, quae rem efficiunt, et eae quae causas efficientes ad agendum certo modo determinant et causae finales vocantur.

Si autem ordinem rerum intra nos sive logicum attendimus, id causam dicemus, ex quo res in nobis „est“ ut cognita. Ex quo perspicuum est, id in ordine nostrae cognitionis causam rei dici, quod in ordine ontologico est effectus rei. Duce igitur nexu causali ab effectibus ad causas ascendit philosophus, et scit res effectas per earum causas ontologicas, et ex his causis iterum descendit ad effectus, et scit illas res, quae causae ontologicae sunt, per earum causas logicas; et iterum res effectas melius scit per earum causas ontologicas. Qui processus observari potest, quum philosophus a rebus creatis ascendit ad ens increatum sive „ens a se“, et ab „ente a se“ ad diversas divinas perfectiones descendit et etiam ad res creatas melius perspiciendas.

---

[1] Τὸ δ' ὅτι διαφέρει καὶ τὸ διότι ἐπίστασθαι· — — ἡ δὲ τοῦ διότι ἐπιστήμη κατὰ τὸ πρῶτον αἴτιον (l. 1 analyt. post. c. 13. 78 a. 22). Κυριώτατον τοῦ εἰδέναι τὸ διότι θεωρεῖν (Aristoteles l. 1 analyt. post. c. 14, edit. Bekkeri pg. 79 a, lin. 23).

[2] „Erblicken der Genesis ist das Organ der Wissenschaft“ (Fichte, Ueber das Verhältniss der Logik zur Philosophie. Nachgel. Werke. 1834. I. p. 151). Erat effatum apud veteres: Quidlibet cognoscitur, dum in sua principia resolvitur.

[3] In l. 2 post. anal. lect. 1.

Verum non omnis rerum per causas notitia hodie ad philosophum, ut philosophus est, spectat, sed ea tantum, quae ex causis trahitur supersensibilibus, quae per se solo intellectu percipi possunt, et etiam metaphysicae (transnaturales), ab aliis ultimae vel ulteriores vocari solent. Et hac re philosophia ab omni alia scientia, quae philosophia non est, discriminatur.

Dum enim disciplinae reliquae in causis proximis haerent, in causis dico, vel conditionibus, quae utpote materiales, per se sensu percipi possunt, atque eo contentae sunt, ut nobis ostendant, quibus legibus una re sensibili posita altera res sensibilis sequatur, philosophia ad causas eas contemplandas ascendit, quae per se omnino repugnat, ne sensu percipi possint, ut est ratio causalitatis, activitatis, intentionis finalis, substantiae, entis.

Quod si quis has causas metaphysicas ultimas vocare velit, is meminisse debet, causas esse posse ultimas aut absolute, aut in certo quodam genere. Et causa absolute ultima omnium rerum externa Deus est, interna ratio entis. Unde pars philosophiae illa, quae in contemplando Deo et generatim ente occupatur, merito philosophia prima est appellata, vel etiam metaphysica pura speciali ratione. At minime a philosopho alienum est, ne etiam res explicet per causas relative ultimas, ubi primum hae causae ordinem materialem sive phaenomenalem (sensibilem) egrediuntur. Ad philosophum igitur spectat, ulteriorem rationem investigare, quae subsit et legibus cogitandi in ordine operationum intellectus humani, et legibus moralibus in ordine operationum voluntatis humanae, et legibus physicis in ordine eorum, quae in hoc mundo aspectabili fieri sensu percipimus. Atque ita philosophus ipsas res physicas perscrutatur, ut eae subsunt rationibus metaphysicis. Immo uniuscujusque artis vel disciplinae pars illa, quae de ultimis huius artis vel disciplinae causis agit, philosophia illius disciplinae vel artis hodie nuncupari solet, atque ita haud raro de philosophia historiae vel mathesis vel grammaticae incidit mentio.

Ultimo definitionis loco postulavimus, ut scientia, quam philosophiam dicamus, lumine comparetur, quod naturale sit. Quibus verbis dicere volumus, ea sola eaque omnia obiectum philosophiae esse posse, quae hac rerum natura et ex principiis intellectus nostri nobis sint manifesta. Praeter hoc lumen naturale aliud in revelatione Christiana lumen apparuit, quod supernaturale est; ex quo alia scientia originem duxit, quam theologiam vocant. Quae a philosophia recte distincta esse dicitur. Dum enim theologia in principiis fidei innititur, philosophia sua propria principia habet, a quibus proficiscens suum obiectum attingit. Quamquam igitur, quae ex principiis rationis certa sunt, iis quae fide divina cognoscuntur, non possunt esse contraria, id quod etiam philosopho, ut philosophus est, constare debet, tamen philosophia intrinsecus est ex se sui iuris et independens, neque a theologia pendet nisi tam-

quam a norma et regula extrinsecus dirigente et cum reverentia respicienda. Qua de re mox plura.

5. *Scholion 1.* Post explicatam philosophiae definitionem cognoscitur, philosophiae rationem „sapientiae" omnino competere. Quum enim propter sapientiam homo idoneus sit ad sanum de rebus ferendum iudicium, iudicium autem de inferioribus acquiratur ex causis altioribus, is certe sapiens erit in aliquo genere, qui causas altissimas illius generis perspectas habet; unde rerum originem, intimam naturam, finem, proprietates, potentias optime novit et res omnes optime iudicare atque disponere potest. „Et quia per causam iudicatur de effectu, et per causam superiorem de causis inferioribus, inde est, quod sapientia habet iudicium de omnibus virtutibus intellectualibus, et eius est ordinare omnes; et ipsa est quasi architectonica respectu omnium" [1].

Scholion 2. Tres fontes generaliores indicari possunt, unde philosophia orta est [2]. Primus est ipsa rerum universa natura, quae hominem circumstat, eique per experientiam sensuum manifestatur. Alter est ipsa natura humana, praecipue intellectus, qui quasi semina in se habet scientiarum et artium. Tertius est causa prima, unde res primo habent, ut cognosci possint, et intellectus, ut possit cognoscere. Quibus tribus accedit quartus, qui in historia est situs [3].

Scholion 3. Multae sunt philosophiae definitiones, quae voce quamvis a data definitione diversae sint, re tamen omnino conveniunt. Ita philosophiam

---

[1] S. Thom. Summ. theol. I. II. q. 66 a. 5. Et enucleatius alio loco. „Multitudinis, inquit, usus, qui in rebus nominandis sequendus est, communiter obtinuit, ut sapientes dicantur, qui res recte ordinant et bene gubernant. Quoniam autem res unaquaeque optime disponitur, quum ad suum finem convenienter ordinatur, gubernationis et ordinis regulam ex fine sumi necesse est. Haec finis consideratio, si ad finem universalem rerum omnium non pertingit, sapientia est, quae dicitur huius vel alius rei. Nomen autem simpliciter sapientis illi soli reservatur, cuius consideratio circa finem universi versatur, qui etiam est universitatis principium. Sapientis igitur est, causas altissimas considerare. Finis autem ultimus uniuscuiusque rei est, qui intenditur a primo auctore vel motore ipsius. Primus autem auctor et motor universi est intellectus. Oportet ergo ultimum finem universi esse bonum intellectus; hic autem est veritas. Oportet igitur veritatem esse ultimum finem totius universi, et circa eius considerationem principaliter sapientiam insistere." (Summ. c. gent. l. 1 c. 1.)

[2] Ita Satolli Enchiridion philosophiae. Logica (Brunae 1884) p. 12.

[3] Arist. l. 1 de an. c. 2. 403 l. 20; l. 1 metaph. 993 l. 11; l. 1 ethic. 1098 a. 20. Cfr. S. Thom. in l. 1 de an. lect. 2; in l. 1 ethic. lect. 11.

dicunt esse „scientiam, quae de ultimis rerum omnium rationibus universim disceptet"; in qua definitione „ratio" id omne significat, quo aliquid est vel fit vel intelligitur vel intelligi potest. Vel definiunt philosophiam, ut sit „scientia humani intelligibilis ex ratione immediata" i. e. ex ratione, quae iam non pendeat aliunde [1]. In aliis definitionibus incidit mentio „principiorum" [2], qua voce illud significatur, unde aliquid est, vel fit, vel cognoscitur. Ab aliis philosophia definitur: scientia, quae circa prima rerum principia versatur. Vel: certa eorum, quae naturali lumine sciri possunt, comprehensio. Vel: scientia supremorum principiorum sive supremarum causarum tum cognitionis, tum rerum, quae ratione humana cognosci possunt. Vel: cognitio rerum per causas altiores ex lumine naturali. Vel: cognitio scientifica et rationalis Dei et mundi et hominis, quae viribus rationis per altiores causas seu principia habetur. Vel: cognitio certa et evidens rerum supremarum, quae naturali lumine ratiocinando acquiritur. Vel: scientia naturali lumine acquisita, quae supremas rerum rationes considerat. Vel: scientia rerum per rationes intelligibiles. Vel: scientia naturalis de Deo, homine, mundo et ipsorum relationibus. Vel: scientia docens verum cognoscere, et rationi consona agere, et ad vitam necessaria efficere.

Scholion 4. Nec raro definitiones philosophiae reperiuntur, quas a rectitudine vel saltem perfectione definitionis aliquid deficere quivis facile intelliget. Ita philosophiam definiunt: meditationem mortis, μελέτην θανάτου. Vel: modum, quo assimilemur Deo, τὴν ὁμοίωσιν τῷ θεῷ. Vel: notitiam entium, ut entia sunt, γνῶσιν τῶν ὄντων ᾗ ὄντα ἐστίν. Vel: notitiam universalem et per causas, γνῶσιν καθολικὴν καὶ μετὰ αἰτίας. Vel: activitatem, qua adhibitis inquisitionibus et deductionibus comparetur vita beata [3]. Vel: scientiam humano ingenio partam. Vel: scientiam de Deo, homine, societate (Ita de Bonald). Vel eam dicunt esse scientiam cognitionis humanae [4]. Vel: disciplinam omnium rerum humanarum atque divinarum rationes plene investigantem. Vel: scientiam ex ratione discursiva. Vel: scientiam ex primis principiis evidenter deductam. Vel: scientiam de ideis. (Ita Trendelenburg.) Vel: scientiam, quae versetur in ideis veri, boni, pulchri. (Ita Fries.) Vel etiam scientiam hominis interioris relationumque eius cum Deo et natura. Vel: distinguunt obiectivam et subiectivam; ita ut obiective definiatur: scientia de ultimis omnium rationibus, naturali intellectus operatione comparata; subiective autem: ipsa naturalis operatio intellectus ad ultimas omnium rationes gradatim ascendentis [5].

A Cartesio philosophia definita est: cognitio vel analysis subiecti cogitantis sive spiritus humani ex principiis evidentibus deducta [6]. A Mallebranche: cognitio veri et amor boni. A Sensualistis definitur scientia sensus, a Materia-

---

[1] Ita Satolli, Logica. Brunae. 1884. p. 6.

[2] Ueberweg: „Philosophie ist die Wissenschaft des Universums, nicht nach seinen Einzelheiten, sondern nach den alles Einzelne bedingenden Principien; oder: die Wissenschaft der Principien des durch die Specialwissenschaften Erkennbaren." (System der Logik § 6.)

[3] Ita Epicurus. Conf. Sext. Empir. adv. math. XI, 169.

[4] Galluppi, Lezz. di log. e metaf. lez. 2.

[5] Brin, De Intellectualismo. Paris. 1875. tom. 1 p. 17.

[6] Cfr. Sanseverino, Philosophia Christiana. Neapoli 1862. Log. Vol. I. p. 145.

listis scientia corporum. A Leibnizianis dicitur esse scientia rerum possibilium, quatenus eae esse possunt; qui per scientiam intelligunt habitum asserta demonstrandi [1]. Thom. Reid eam dixit esse scientiam spiritus humani.

Kant cognitionem omnem dividit in historicam et rationalem. Rationalem, si sit ex constructione conceptuum, dicit esse mathematicam; si sit ex conceptibus ut sic, dicit philosophicam [2]. Unde philosophiam dixit esse scientiam legum et causarum activitatis primitivae sive spontaneitatis rationis; vel brevius: scientiam legum, secundum quas cognitio evolvatur.

Philosophia definitur a J. G. Fichte: ut sit doctrina de scientia; sive doctrina, quae ostendit, quid sit scientia et qua ratione scientia esse possit [3]. Vel etiam scientia ipsius „ego" puri sese ponentis per momenta tria: thesis, synthesis, antithesis.

Jacobi philosophiam censet esse doctrinam de actu fidei, quatenus hoc actu vera immediate admittuntur ut vera. Schelling scientiam absoluti sive identitatis absolutae; vel etiam scientiam de identitate absoluta realitatis et idealitatis. Hegel scientiam evolutionis Ideae per tria sua momenta; vel etiam scientiam rationis humanae comprehendentis seipsam et adipiscentis perfectam sui ipsius conscientiam; i. e. conscientiam de seipsa et de omni ente in „idea" contento. Herbart elaborationem conceptuum horumque ab erroribus purgationem; vel etiam: scientiam, qua conceptus quos habemus retractantur, ut a vitiis, contradictionibus, obscuritatibus, lacunis liberentur et depurentur.

Traditionalistae philosophiam dicunt esse demonstrationem sive enodationem scientificam veritatum naturalium, quae revelatione divina per traditionem nobis notae sunt. V. Cousin eam censet esse evolutionem et foecundationem elementorum spontaneitatis adminiculante reflexione; vel etiam scientiam factorum, quae in homine sive in natura humana observantur [4].

Et ab aliis aliter. Solent enim philosophorum haud pauci, non sine aliqua fraude, ab initio iam id definitione philosophiae exprimere, quod unus quisque, prout in suo sensu abundat, se tandem invenire vel potius construere posse censet.

6. **Philosophiae excellentia, difficultas, utilitas** [5]. Quae sit philosophiae praestantia, ex eiusdem definitione praeclare elucet. Superatis enim difficultatibus, quae inveniuntur in contemplandis specialibus obiectis scientiarum, philosophiae munus est, primo

---

[1] Wolff, Disc. prooem. De philos. in genere c. 22.

[2] Reine Vernunftwissenschaft aus Begriffen.

[3] Wissenschaftslehre. Wissenschaft, welche lehrt, was eine Wissenschaft, oder das Wissen ist; welche alles Wissen aus seinem Begriffe erklärt und ableitet.

[4] Fragments philosophiques. Paris 1826. p. 287. Et alio loco: „La philosophie est la réflexion entièrement emancipée, définitivement sortie des liens de l'autorité et ne s'appuyant que sur elle-même dans la recherche de la vérité . . . sa définition même renfermant l'idée d'une suprématie universelle . . . il ne faut pas que la philosophie reçoive des lois, mais qu'il en donne" (Cours d'histoire de la philosophie. I.).

[5] Cfr. S. Thom. in l. 1 de anima lect. 1.

contemplari connexionem, quae est inter omnes omnino veritates, quamvis hae primo aspectu videantur omnino disparatae. Deinde quaerere primam veritatem, quae sit radix et caput omnium aliarum. Tertio conatur per omnes veritates cognoscere id quod est optimum et perfectissimum. Praeterea cognito ipso ente, quod est optimum, tamquam capite et prima radice, conatur rationem reddere omnium aliarum veritatum; atque ita veritates praestantissimas contemplatur per ipsum ens optimum tamquam per altissimam causam. Quinto ordinat philosophia veritates in intellectu, ut sunt ordinatae ex rerum partibus. Quum perfectio cognitionis in eo cernatur, ut res ponantur in intellectu, ut secundum se sunt, philosophia quaerens cognitionem perfectissimam, conatur ponere eum ordinem in cognitionibus, qui est in rebus, ita ut, sicut una veritas est ratio alterius, ita cognitio unius veritatis sit ratio cognoscendi alteram [1]. Tandem, quod restat, philosophia instar ligaminis est, quo res omnes huius mundi, quum plurimae sint, in unitatem connectuntur. „Unde haec est ultima perfectio, ad quam anima potest pervenire secundum philosophos, ut in ea describatur totus ordo universi et causarum eius“ [2].

7. Eum vero, qui, quid sit philosophia, diligentius considerare velit, praeterire non potest, philosophiam in hominibus imperfectam non esse non posse [3]. Ad philosophiam enim omnibus numeris absolutam requiritur, ut cognitio nostra a propriis plurimarum rerum rationibus ad supremas usque omnibusque rebus communes rationes ascendat, inde iterum usque ad singula quaeque, ut subsunt illis rationibus, descensura. At innumerabiles paene istiusmodi esse res a nobis ignoratas, nemo prudens dubitare potest. Et res quas novimus sunt multiplices et admodum variae et nobis maximam partem imperviae. A quibus perscrutandis diligentius homines et vitae brevitate et multis vitae curis occupationibusque impediuntur. Accedit, ut cognitionibus nostris vana phantasmata facilius admisceantur, memoria sit debilis, et intelligendi vis affectionibus appetitivae virtutis multum obnoxia. Unde fit, ut cognitio, ut est apud Tullium, adeo sit obstructa difficultatibus, ut non sine causa doctissimi et antiquissimi invenire se posse, quod cuperent, diffisi sint [4].

---

[1] Ita fere Sylvester Maurus, Quaestiones philosophicae. Log. q. 18.
[2] S. Thom., Quaestiones disputatae; q. 2 de veritate a. 2.
[3] Cfr. Arist. l. 11 met. c. 8, 1074 b. 10; S. Thom. in l. 12 met. lect. 10.
[4] Acad. II. 7.

8. Quamquam a sapiente quoque affirmatum esse legimus, philosophiam non obstante hac quam agnovimus imperfectione et difficultate generi humano summopere esse necessariam.

Quum enim homo natura scire desideret, philosophia nobili inclinationi humanae naturae convenit. Πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει[1]. Quod monuit Seneca, quum naturam nobis curiosum indidisse ingenium causas cognoscendi cupidum diceret. Et sane quidem omne, quod in aliqua specie imperfectum est, perfectionem illius speciei consequi desiderat; unde homini inest illud naturale desiderium cognoscendi causam, quum intuetur effectum. Ex quo fit, ut ingenium humanum quiescat nunquam, donec ad percipiendas causas ultimas et supremas rerum rationes sit perventum[2].

Et philosophia, dum hominem ad hanc quietem naturalem adducit, simul rationem ipsam humanam mirum quantum perficit. Quo enim universaliores, altioresque sunt rerum rationes, eo magis intellectuali humanae naturae conveniunt. Neque deesse potest, quin ipsae vires intellectuales hominis usu et exercitatione magnopere augeantur. Ad hoc scientiae omni et disciplinis omnibus ex perspectis in philosophia causis rerum ultimis lumen maius et certitudo nova oriri debet. Quum enim artes omnes et disciplinae suprema sua principia per philosophiam firmata et illustrata accipere debeant, haec a Tullio non immerito dicta est esse „laudandarum artium omnium procreatrix et quasi parens“ [3].

Accedit, quod philosophia non intellectum solum, sed etiam ipsam voluntatem hominis multum perficere potest. Quia enim voluntas intellectui ut suadenti facile obedit, perfectionem intellectus perfectio voluntatis sequitur; nec sine ratione illud vetus est, omnem peccantem ignorantem esse. Teste experientia aberratio a bono ut plurimum adiunctam habet aberrationem a vero sive antecedentem sive consequentem. Quinimmo vix quidpiam hominem adeo ad malum disponit, in malo retinet, quam errores, deceptiones, fallaciae, illusiones. Neque quis potest male agere nisi obtrudendo rationi suae fallacias.

Et ad ipsum etiam statum civilem et generatim socialem philosophia multum pertinet. Quum enim hominem omnium rerum ortum et finem doceat, et scopum ostendat, ad quem vitae humanae cursus dirigendus sit et rectas notiones tradat obligationis, iuris, ordinis, libertatis, humanae dignitatis, omnes

---

[1] Aristot. l. 1. metaph. c. 1.

[2] Sanseverino, Introductio ad philos. p. 11 sqq. Alamannus Summ. phil. I. q. 37 a. 2 et a. 3.

[3] De orat. I, 9.

regulas constituit, quibus mores hominum regantur. Non igitur mirum est, quaecunque mala in humana societate late vagata sint, quicunque motus civitates vehementer perturbarint, ea fere omnia ex erroribus philosophiae originem duxisse. Et ex altera parte res aperta est, quantopere philosophia bene constituta ad salutem societatis et ordinem conservandum conducat. Recte igitur ille princeps ingenii et doctrinae PLATO, ut est apud TULLIUM, tum denique fore beatas res publicas putavit, si aut docti et sapientes homines eas regere coepissent, aut ii, qui regerent, omne suum studium in doctrina et sapientia collocarent[1]. Et ipse CICERO: „O vitae philosophia dux! inquit, o virtutis indagatrix expultrixque vitiorum! quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti; tu dissipatos homines in societatem vitae convocasti; tu eos inter se primo domiciliis, deinde coniugiis, tum litterarum et vocum communione coniunxisti; tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinae fuisti. Ad te confugimus, a te opem petimus; tibi nos penitus totosque tradimus. Est autem unus dies bene et ex praeceptis tuis actus peccanti immortalitati anteponendus.“[2] Atque haec praeclare a philosophia efficiuntur eo, quod mentem humanam maxime erigit, et Deo, primo veritatis lumini, infinito bonitatis oceano, ultimo omnium rerum atque eventuum fini, intime coniungit.

9. Neque hanc praeclaram philosophiae excellentiam fractam vel imminutam esse putandum est, quod in revelatione Christiana hominibus lumen illustrius et robur maius datum sit. Sed revelatione hac data etiam philosophiae novae vires sunt additae, novi labores praeclari praestandi sunt. Qua de re praeclare dictum est a Pio IX. Pontifice maximo: „Vera et sana philosophia nobilissimum suum locum habet, quum eiusdem philosophiae sit, veritatem diligenter inquirere, humanamque rationem, licet peccato primi hominis obtenebratam, nullo tamen modo extinctam, recte ac sedulo excolere, illustrare, eiusque cognitionis obiectum ac permultas veritates percipere, bene intelligere, promovere, earumque plurimas, uti Dei existentiam, naturam, attributa, quae etiam fides credenda proponit, per argumenta e suis principiis petita demonstrare, vindicare, defendere, atque hoc modo ad haec dogmata fidei rectius tenenda et ad illa etiam reconditiora dogmata, quae sola fide percipi primum possunt, ut illa aliquo modo a ratione intelligantur. Haec quidem agere atque in his versari debet severa et pulcherrima verae philosophiae scientia“[3].

Atque haec omnia, quae in laudem philosophiae dicta sunt, LEO Papa XIII. eximiis verbis comprehendit: „Si quis in acerbitatem nostrorum temporum animum intendat, earumque rerum rationem, quae publice et privatim geruntur,

---

[1] Epist. ad Qu. fratrem I, 1 n. 10.

[2] Tuscul. II. 5.

[3] In Brevi (Graviss. inter) d. 11. Dec. 1862 dat. ad Archiepiscop. Monacen.

cogitatione complectatur, is profecto comperiet fecundam malorum causam, quum eorum, quae premunt, tum eorum, quae pertimescimus, in eo consistere, quod prava de divinis humanisque rebus scita, e scholis philosophorum iam pridem profecta, in omnes civitatis ordines irrepserint, communi plurimorum suffragio recepta. Quum enim insitum homini natura sit, ut in agendo rationem ducem sequatur, si quid intelligentia peccat, in id et voluntas facile labitur: atque ita contingit, ut pravitas opinionum, quarum est in intelligentia sedes, in humanas actiones influat, easque pervertat. Ex adverso, si sana mens hominum fuerit, et solidis verisque principiis firmiter insistat, tum vero in publicum privatumque commodum plurima beneficia progignet. — Equidem non tantam humanae philosophiae vim et auctoritatem tribuimus, ut cunctis omnino erroribus propulsandis, vel evellendis parem esse iudicemus: sicut enim, quum primum est religio christiana constituta, per admirabile fidei lumen non persuabilibus humanae sapientiae verbis diffusum, sed in ostensione spiritus et virtutis (1 Cor. II, 4), orbi terrarum contigit, ut primaevae dignitati restitueretur; ita etiam in praesens ab omnipotenti potissimum virtute et auxilio Dei exspectandum est, ut mortalium mentes, sublatis errorum tenebris, resipiscant. Sed neque spernenda seu posthabenda sunt naturalia adiumenta, quae divinae sapientiae beneficio, fortiter suaviterque omnia disponentis, hominum generi suppetunt; quibus in adiumentis rectum philosophiae usum constat esse praecipuum. Non enim frustra rationis lumen humanae menti Deus inseruit; et tantum abest, ut superaddita fidei lux intelligentiae virtutem extinguat, aut imminuat, ut potius perficiat, auctisque viribus habilem ad maiora reddat. — Igitur postulat ipsius divinae Providentiae ratio, ut in revocandis ad fidem et ad salutem populis etiam ab humana scientia praesidium quaeratur: quam industriam, probabilem ac sapientem, in more positam fuisse praeclarissimorum Ecclesiae Patrum, antiquitatis monumenta testantur. Illi scilicet neque paucas, neque tenues rationi partes dare consueverunt, quas omnes perbreviter complexus est magnus Augustinus, huic scientiae tribuens . . . illud quo fides saluberrima . . . gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.“ (De Trin. lib. XIV. c. 1.)

Quibus ex rebus omnibus intelligitur, quantopere vituperandi sint illi altiorum rerum studiosi, qui ad disciplinas speciales accedunt, philosophiae plane ignorantes; qua tamen nihil est in disciplinis a natura hominibus perviis utilius, nihil docili ingenio exoptatius.

Quid enim homini intelligenti et ad superiora in vita humana munera aspiranti magis est necessarium, quam ut gravissimis illis quaestionibus, quae de cognitionis humanae veritate et vi obiectiva, de sancta conscientiae obligatione, de animae humanae libertate, spiritualitate, immortalitate, de rebus ethicis, de principiis iuris naturalis et vitae socialis, de Dei existentia, de religionis veritate in philosophia uberrime tractari solent, haud perfunctorie imbutus sit; hac praesertim aetate, ubi nihil quod sanctum est, quod non ab hominibus impiis voce et scriptis palam lacessatur. Cuinam quaeso in tanto errorum concursu non sit necessarium, ut ante per studia logica ingenium rite excolatur, habilitas quaedam et promptitudo recte ratiocinandi acquiratur et distinguendi verum a falso.

10. **Philosophiae partitio.** Prima, quae indicanda occurrit, est universalis philosophiae in theoreticam sive contemplativam et practicam sive operativam distinctio. Prior illa est, quae in subiecti sui sola contemplatione conquiescit; haec vero illa, quae subiecti sui contemplationem ad praxim sive opus refert. Inter illa igitur rerum genera, quae sapientis studio digna videntur, alia quaestionem movent, quid verum sit, alia, quid agendum sit. Unde recte Aristoteles finem theoreticae ait esse veritatem, practicae autem opus[1].

Et philosophia, quae res contemplatur, unde etiam nomen philosophiae realis traxit, in naturalem (physicam) mathematicam, metaphysicam antiquitus divisa erat.

„Tres sunt partes philosophiae theoreticae, mathematica, physica, theologia."[2] „Haec (theologia) alio nomine dicitur metaphysica, i. e. transphysica, quia post physicam discenda occurrit nobis, quibus ex sensibilibus competit in insensibilia devenire. Dicitur etiam philosophia prima, in quantum scientiae aliae ab ea principia accipientes eam sequuntur."[3] Et theologia vocabatur, quia potissimum in ea agebatur de Deo. Haec ultima est, quia „fere totius philosophiae consideratio ad Dei cognitionem ordinatur"[4]. Itaque metaphysica circa ens et proprietates entis atque etiam substantias separatas versatur[5], generatim res altiores et ab hominum sensu abstractas, spirituales et divinas contemplatur. „Metaphysica sive transnaturalis elevatur supra omnem naturam et considerat ens transnaturale sive immateriale et insensibile praecisive, quantum considerat rationes, quae possunt convenire tum entibus materialibus, tum immaterialibus, quales sunt ratio entis, substantiae, viventis, cognoscentis, boni, veri, unius, quae conveniunt tum rebus materialibus et sensibilibus, tum spiritualibus et insensibilibus. Considerat ens immateriale negative, in quantum considerat rationes, quae non possunt competere entibus materialibus, quales sunt ratio Dei, Angeli."[6]

Quo autem melius mens humana ad perspiciendas res metaphysicas disponeretur, metaphysicae praemiserunt mathematicam, quae elevata supra sensum et sensibilem mutabilitatem sibi ens externum contemplandum proponit, ut extensum est et divisum in spatio. Atque ita mens in res mathematicas incumbens, omissa notitia rerum singularium, secundum leges fixas et universaliter veras res cognoscere et diiudicare facillime assuescit. Quam ob rem Plato in foribus Academiae illud Pythagorae scripsisse fertur: μηδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω. Nec ulli ignotum est, quantas partes Pythagoraei res naturales perscrutantes mathesi attribuerint: Πλάτων ἀπεφήνατο ἀεὶ γεωμετρεῖν τὸν Θεόν[7].

---

[1] L. 2 metaph. c. 1, 486. Cfr. S. Thom. in l. Boeth. de Trinit. q. 5 a. 1.
[2] Arist. l. 5 met. c. 1, 535. [3] S. Thom. in Boeth. l. c.
[4] S. Thom. Summ. c. gent. l. 1 c. 4; cfr. l. 3 c. 23.
[5] Ferrar. in l. 1 c. gent. c. 4.
[6] Sylv. Maurus, Quaest. philosoph. l. 1 q. 4.
[7] Plutarch, Sympos. c. 8 q. 2.

Sed pro exordio philosophiae realis ea est scientia ab antiquis posita, quam physicam vocarunt, quae res naturales ut naturales sunt considerat; in qua rerum mobilium sive mutabilium consideratione mens humana sensum ducem secuta, per multorum eventuum particularium collectionem ad statuendas certas leges universales ascendit, ex quibus permultae conclusiones inferri possunt [1].

Quum succedente tempore disciplinis naturalibus is finis ut praecipuus praestitutus esset, ut non amplius hominem ad contemplandum ordinem metaphysicum adducerent, sed potius ostenderent, quo pacto res naturales vitae commoditatibus servire possent, iam materia investigationi doctorum hominum exposita in ingentem molem excrevit. Quo factum est, ut disciplinis naturalibus a philosophia omnino seiunctis cura demandaretur observandorum magna cum diligentia eventuum naturalium modorumque constantium, secundum quos illi eventus contingerent. Immo etiam mathesis secundum speciales suos computos, quippe qui profundiores essent et non tam metaphysicis, quam potius physicis considerationibus subservirent, ex philosophiae locis exulavit. Non quasi spernat philosophus has res, vel penitus omissas velit, sed eas potius ab aliis diligenter tractari gaudet, et libenter in usum proprium convertit, ipse solum in contemplandis rebus mentem intenturus, ut eae subsunt rationibus metaphysicis.

Quoniam autem in toto rerum naturalium ambitu summopere eminent res viventes, porro factum est, ut hae speciali tractatione dignae sint habitae, cui tractationi nomen psychologiae est inditum. Et quamvis psychologiae pars prior, quae de corpore animato agit, merito philosophiae naturali attribuatur, pars tamen altera, quae a contemplatione vitae rationalis in homine exordiens ad inquirendam vitam pure spiritualem ascendit, ad puram spectat metaphysicam. Haec disciplina, quam psychologiam vocant, propter vim et dignitatem sui obiecti, inter philosophiam naturalem et metaphysicam ut pars seiuncta et specialis media interponi potest.

Quibus rebus primo effectum est, ut hodie nomine physicae ea scientia intelligatur, quae mundum considerat solum, ut legibus experientia notis subest; illa autem scientia, quae rerum legum-

---

[1] Res naturales „mobiles“ sive mutabiles vocantur, quum propter nostrae cognitionis imperfectionem, qua fit, ut in multis rebus non id, quod semper fiat, sed quod ut plurimum evenit, scire possimus, tum vero, quia a legibus naturalibus (velut a lege attractionis universalis) illa necessitas abest, quae ex conceptuum analysi oriunda, omnino est absoluta et in legibus metaphysicis vel mathematicis reperitur.

que naturalium causas ulteriores inquirat, sub nomine philosophiae naturalis in philosophia reali retineatur. Secundo effectum est, ut scientia, quae phaenomena vitalia speciali diligentia perscrutatur, sub nomine physiologiae a philosophia seiuncta sit, illa autem pars antiquae physicae, quae ad horum phaenomenorum causas metaphysicas progreditur, sub nomine psychologiae tamquam pars specialis philosophiae realis retineatur.

Etsi igitur omnino concedendum est, divisionem antiquitus datam ita naturae rerum contemplabilium et intellectus contemplantis conformem esse, ut melior afferri non possit, tamen si usus et materiae dignitas spectetur, cum recentis aetatis scriptoribus philosophiam speculativam totam, quae realis est, distribuere possumus in philosophiam naturalem, psychologiam, metaphysicam, ita ut psychologiae pars prior philosophiam naturalem sequatur, et pars altera metaphysicam antecedat; metaphysicae autem relinquatur, ut enucleate agat de primis essendi principiis, quae simul ultima sunt, de Deo videlicet, qui est principium primum efficiens, exemplare, finale; et de ente, quod est principium rerum internum et formale.

Atque rebus ita constitutis aptissimus ille dispositae materiae ordo in philosophia hac reali oritur, qui quaerenti humano ingenio correspondet. Prima enim cogitanti mihi quaestio oriri debet: Quid sunt et quales et unde res huius mundi aspectabilis? Deinde: Cur, ad quid ego vivo? Unde sunt omnia?

11. Praeter partes philosophiae, quas indicavimus, reperitur logica sive dialectica, quae intellectum dirigit ad inveniendam veritatem; et ethica sive moralis, quae voluntatem dirigit ad opus suum. Ethica ad philosophiam practicam pertinet. Logica, quamquam disciplinis speculativis a multis annumeratur, habet tamen maximam cum philosophia practica affinitatem et cum ethica similitudinem. Logica enim humanae mentis actiones ad rectum cognoscendi modum determinat; ethica appetitionis humanae motus secundum rectae rationis normam ad honeste vivendum temperare et moderari docet. Illa ad dirigendam rationem, haec ad mores recte formandos pertinet. Illa ad veritatem, haec ad bonitatem spectat.

12. Ab hac quam dedimus philosophiae partitione vix differt illa, qua scientiam omnem ad realem sive naturalem, rationalem sive logicam, moralem sive ethicam reducunt; vel, ut alii dicunt, in regulativam, speculativam, operativam. Quae philosophandi ratio triplex iam a Platone vel potius a Platonis discipulo Xenocrate accepta fuit et potissimum a Stoicis exculta[1]. Et maximos et

[1] Cic. l. 1 Acad. post. 5, 19; Sextus Empiricus adv. math. VII, 16.

plurimos auctores dixisse has tres philosophiae partes esse: moralem, naturalem, rationalem, testatur Seneca[1]. Cuius divisionis haec ratio reddi potest: Quum sapientis sit, ordinare, sapientia sive philosophia speciali ratione refertur ad ordinem. „Ordo autem quadrupliciter ad rationem comparatur. Est enim quidam ordo, quem ratio non facit, sed solum considerat, sicut est ordo rerum naturalium. Alius autem est ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu, puta quum ordinat conceptus suos ad invicem et signa conceptuum quae sunt voces significativae. Tertius autem est ordo, quem ratio considerando facit in operationibus voluntatis. Quartus autem est ordo, quem ratio considerando facit in exterioribus rebus, quarum ipsa est causa sicut in *arca* et *domo*. Et quia consideratio rationis per habitum perficitur secundum hos diversos ordines, quos proprie ratio considerat, sunt diversae scientiae. Nam ad philosophiam naturalem pertinet considerare ordinem rerum, quem ratio humana considerat, sed non facit; ita quod sub naturali philosophia comprehendamus et metaphysicam. Ordo autem, quem ratio considerando facit in proprio actu, pertinet ad rationalem philosophiam, cuius est considerare ordinem partium orationis ad invicem et ad conclusiones. Ordo autem actionum voluntariarum pertinet ad considerationem moralis philosophiae. Ordo autem, quem ratio considerando facit in rebus exterioribus constitutis per rationem humanam, pertinet ad artes mechanicas." [2]

Paulo aliter huius divisionis rationem indicavit S. Augustinus. „Philosophi, inquit, sapientiae disciplinam tripartitam esse voluerunt. . . . Quum et de natura rerum et de ratione indagandae veritatis et de boni fine, ad quem cuncta, quae agimus, referre debemus, diversi diversa sentiant: in his tamen tribus magnis et generalibus quaestionibus omnis eorum versatur intentio. Ita quum in unaquaque earum quid quisque sectetur multiplex sit discrepantia opinionum, esse tamen aliquam naturae causam, scientiae formam, vitae summam nemo cunctatur. Tria enim sunt, quae in unoquoque homine artifice spectantur, ut aliquid efficiat: natura, doctrina, usus: natura ingenio, doctrina scientia, usus fructu diiudicandus est. Nec ignoro, quod proprie fructus fruentis usus utentis sit; atque hoc interesse videatur, quod ea re frui dicimur, quae nos non ad aliud referenda, per se ipsam delectat; uti vero ea re, quam propter aliud quaerimus . . . . . . verumtamen eo loquendi modo, quem plus obtinuit consuetudo, et fructibus utimur et usibus fruimur. . . . . . Hoc itaque more usum dixerim in his tribus, quae in homine spectanda commonui, quae

---

[1] Ep. 89 p. 348. Cfr. Epist. 88 p. 340; Arist. l. 1 topic. c. 12, 180; Cic. l. 4 de fin. c. 2; l. 1 de oratoribus c. 15.

[2] S. Thom. in 1 ethic. Nicom. lect. 1.

sunt natura, doctrina, usus. Ex his propter beatam vitam obtinendam tripartita ut dixi a philosophis inventa est disciplina; naturalis propter naturam, rationalis propter doctrinam, moralis propter usum.“ [1]

13. Apud Aristotelem occurrit divisio in scientiam speculativam, activam, factivam [2]. „Differunt enim agere et facere; nam agere est secundum operationem manentem in ipso agente, sicut est *eligere, intelligere* et huiusmodi; unde scientiae activae dicuntur scientiae morales. Facere autem est secundum operationem, quae transit exterius ad materiae transmutationem.“ [3] Cui divisioni finitima est distinctio, quae est inter considerationem veri, boni, pulchri. Sed sine negotio intelligitur, eam divisionem aptam non esse, ex qua trahatur generalis philosophiae divisio [4].

Scholion 1. Quum Christ. Wolff divisionem philosophiae secutus esset, qua ea dividitur in theoreticam et practicam [5], nonnulli, inter quos A. G. Baumgarten [6], tertiam partem addiderunt aestheticam, quae in constituendis pulchritudinis regulis versaretur, quae igitur scientia ageret de pulchri cognitione in ordine ad exprimendum pulchrum in artibus.

Scholion 2. Kant dicit metaphysicam constitui philosophia transcendentali et physiologia rationali; illam (ontologiam) versari in contemplando systemate omnium conceptuum et principiorum, quae referantur ad obiecta; hanc in contemplandis ipsis naturis obiectorum. Physiologiam rationalem aut physicam esse sive immanentem, aut hyperphysicam sive transcendentem. Physiologia physica fertur in naturas, ut sunt obiectum nostrae experientiae; hyperphysica nexum obiectorum considerat, qui experientiam nostram supergreditur; qui nexus si est inter ipsa obiecta, consideratur a priore physiologiae hyperphysicae parte, quae est cosmologia transcendentalis; si ipsa obiecta coniungit cum uno ente, a quo omnes naturae pendent, ab altera huius physiologiae parte, quae est theologia transcendentalis.

Physiologia physica sive immanens aut considerat naturam corporalem, et est scientia physica sive physica rationalis; aut considerat naturam cogitantem, et est psychologia rationalis.

Id igitur esse totius metaphysicae systema, ut in prima parte ponatur ontologia; in altera physica rationalis et psychologia rationalis; in tertia parte cosmologia rationalis; in quarta parte theologia rationalis [7].

---

[1] S. Augustin. l. 11 de civit. Dei c. 25. Cfr. ibid. l. 8 c. 4. Extensior hac de re S. Bonaventura in opusc. de reductione artium ad theologiam; et in op. „Itinerarium mentis in Deum“ c. 3 fin.

[2] Πᾶσα διάνοια ἢ πρακτικὴ ἢ ποιητικὴ ἢ θεωρητική. L. 5 (6) metaph. c. 1, 1025 b, 25; 1026 a, 19; 1064 b, 1. Cfr. L. 6 ethic. Nicom. c. 2—5.

[3] S. Thom. in l. 6 metaph. lect. 1.

[4] Cfr. Trendelenburg, Log. Untersuchungen, edit. 3. II. p. 456.

[5] Philosophia rationalis sive Logica 1728, Discursus praeliminaris § 60 sqq.

[6] Aesthetica. Francof. ad Viadr. 1750—52.

[7] Kritik der reinen Vernunft. Edit. Rosenkranz, tom. II. p. 651.

Scholion 3. J. F. Herbart, quum philosophiam omnem in expolitione emendationeque conceptum posuisset, distinxit logicam, quae conceptus claros et distinctos efficeret; metaphysicam, quae conceptus ab omni contradictione purgaret, id quod fieret per psychologiam, philosophiam naturalem, theologiam; aestheticam, quae curaret speciali ratione conceptus omnes, qui ad ciendam in nobis complacentiam vel displicentiam apti essent.

14. **Ordo partium philosophiae.** Si quis ordinem quaerat, quo partes philosophiae disponendae sint, is principium praesto habeat necesse est, ex quo haec partium dispositio sit efficienda. Sunt, qui neglectis omnibus aliis rationibus ea praeire iubeant, quae faciliora videantur. Quod quidem principium verum quidem est et maximopere observandum. Sed non est princeps. „In addiscendo incipimus ab eo, quod est magis facile, nisi necessitas aliud requirat. Quandoque enim necesse est in addiscendo non incipere ab eo, quod est facilius, sed ab eo, a cuius cognitione cognitio sequentium dependet.“ [1] Est facilius, in aedificio cubicula exornare et tectum absolvere, quam aedificii fundamenta iacere; nemo tamen quisquam domum superiorem aedificabit prius quam inferiorem. Quod si ita est, in addiscenda philosophia a logica incipere necesse est. Absurdum est enim, ut monet Aristoteles, simul scientiam et modum scientiae quaerere, quum neutrum facile accipere sit [2].

Ad quem locum S. Thomas animadvertens: „Prius, inquit, philosophus debet addiscere logicam, quam alias scientias, quia logica tradit communem modum procedendi in omnibus aliis scientiis.“ [3] Quod ipsum S. Augustinus monuerat: „Quomodo, inquit, ratio transiret ad alia fabricanda, nisi ipsa sua prius quasi quaedam machinamenta et instrumenta distingueret, notaret, dirigeret, proderetque ipsam disciplinam, quam dialecticam vocant? Haec docet docere, haec docet discere, in hac seipsam ratio demonstrat, atque aperit, quae sit, quid velit, quid valeat. Scit scire, sola scientes facere non solum vult, sed etiam potest.“ [4]

Et probe sciebat Aquinas, cum logica multo incipientibus maiorem difficultatem coniunctam esse, quam cum mathesi et scientia naturali, quum hae in rebus cognitioni nostrae magis obviis versentur, illa in re a cognitione nostra remotiore. Nihilo tamen secius, „oportet, ut ipse affirmat, in addiscendo a logica incipere, non quia ipsa sit facilior scientiis ceteris, habet enim maximam difficultatem, sed quia aliae scientiae ab ipsa dependent, in quantum ipsa docet modum procedendi in omnibus scientiis“ [5].

---

[1] S. Thom., Opusc. 63 in l. Boethii de Trinit. q. 6 a. 1 secundo ad 3.

[2] L. 2 metaph. c. 3, 995 a. 12.

[3] Ad loc. cit. lect. 5.

[4] L. 2 de ordine c. 13 n. 38.

[5] In l. Boethii de Trinitate loc. cit. Si igitur S. Thomas alio loco docet, „in ordine doctrinae transeundum esse a facilioribus ad difficiliora“ (Summ. theol. II. II. q. 189 a. 1 a. 4), nomine faciliorum ea imprimis intelligit, quae

Neque ignoramus, logicam, quum circa operationes et varios status mentis humanae versetur, supponere multas res notas esse, quae in psychologia demum tractari solent. Verum effici facile potest et ad logicae finem satis est, ut aliquae ante logicam praemittantur notitiae psychologicae, quae et per experientiam constant, et etiam secundum loquendi formulas facile intelliguntur.

15. Quod si quis quaerat, quo ordine partes philosophiae realis addiscendae sint, ultimus locus metaphysicae reservandus est. „Metaphysica, inquit Aquinas, quae circa divina versatur, inter omnes philosophiae partes ultima remanet addiscenda“ [1], et alio loco dicit „in doctrina philosophiae primam esse considerationem de creaturis et ultimam de Deo“ [2]. „Deus enim non est primum, quod a nobis cognoscitur, sed magis per creaturas in Dei cognitionem pervenimus.“ [3] „Praeterea apud philosophos prima philosophia utitur omnium scientiarum documentis ad suum propositum.“ [4]

Et quia homo ex naturae ordine prius mundum externum contemplatur, quam ad sui ipsius considerationem reflectitur, necessarium est, ut psychologiae philosophia naturalis antecedat.

Iam igitur is in rebus philosophicis ordo esse debet, ut primo tractentur res logicae, quarum quidem studium meditationibus mathematicis mirum quantum iuvari potest. In altera parte de philosophia naturali agendum est, et de parte prima psychologiae, quibus aptissime ut comes adiungitur illa scientia, quam hodie naturalem vocant, cuius partes potissimae sunt chimia et physica, haec secundum pressiorem vocis significationem accepta; ad quam physicam illae disciplinae trahendae sunt, quae physico-mathematicae dicuntur [5].

Tertio demum loco de rebus metaphysicis agendum erit ita, ut primo ponatur altera pars psychologiae, quippe quae ordinem materiae penitus excedat, et deinde illa pars philosophiae realis, quae proprie est metaphysica, quia agit de ente et de Deo ut de ultimis omnium rerum causis. His autem rebus studium ethicae aptissime, ut disciplina separata, adiungi potest. Ethica

---

nobis facilem viam sternunt, ut a notioribus ad minus nota procedamus, tum „propter remotionem impedimenti,“ tum „propter appositionem adiutorii“. Quaest. disput. a. 24, a. 4 ad 1.

[1] Summ. c. gent. l. 1 c. 4. [2] L. c. l. 2 c. 4.

[3] Summ. theol. I. q. 88 a. 3. „Haec duo, scilicet temporalia et aeterna, comparantur ad cognitionem nostram hoc modo, quod unum eorum est medium ad cognoscendum alterum. Nam secundum viam inventionis per res temporales in cognitionem devenimus aeternorum. . . . In via vero iudicii per aeterna iam cognita de temporalibus iudicamus, et secundum rationes aeternorum temporalia disponimus.“ Summ. theol. I. q. 79 a. 9.

[4] Summ. c. gent. l. 2 c. 4.

[5] Dicuntur purae mathematicae, quae determinant de quantitatibus absolute, ut geometria de magnitudine, arithmetica de numero. Physico-mathematicae sunt, quae principia mathematica ad res naturales applicant. Cfr. S. Thom. in l. 6 ethic. lect. 7 et l. de caus. lect. 1.

enim, quae ad dirigendam voluntatem pertineat, multo commodius absolvitur, postquam de anima humana et de Deo uberius est disputatum.

Scholion 1. Neque tamen is ordo, quem in disponendis philosophiae partibus indicavimus, ita firmus et fixus est, quin pro diverso philosophantis fine diverso modo mutari possit. Ita apud multos, qui philosophiam non tam in scholis, sed per vitam integram colendam sibi proposuerunt, commendatus habebatur ordo, quem S. Thomas his verbis indicat post Aristotelem: Philosophorum intentio ad hoc principaliter erat, ut per omnia, quae in rebus considerabant, ad cognitionem primarum causarum pervenirent. Unde scientiam de primis causis ultimo ordinabant, cuius considerationi ultimum tempus suae vitae deputarent. Primo quidem incipientes a logica, quae modum scientiarum tradit. Secundo procedentes ad mathematicam, cuius etiam pueri possunt esse capaces. Tertio ad naturalem philosophiam, quae propter experientiam tempore indiget. Quarto ad moralem philosophiam, cuius iuvenis esse conveniens auditor non potest. Ultimo autem scientiae divinae insistebant, quae considerabat primas entium causas [1].

Scholion 2. Ex recentioribus philosophis sunt, qui ordinem a veteribus statutum et a nobis receptum omnino mutandum esse velint. Ita Cartesiani ordinem, quem psychologicum vocant, praeferunt, et ex rebus psychologicis initium petere volunt eo, quod homini nihil possit esse antiquius et propinquius, quam sui ipsius et facultatum suarum notitia, quae facultates sint omnis cognitionis instrumenta. Ontologistae in ontologia sive in doctrina de ente exordia posita esse volunt eo, quod ens sit obiectum primum et necessarium omnis cognitionis intellectualis, sine quo nulla eius generis cognitio perquiri possit. Alii (inter quos Alphonsus Gratry) simili ratione ducti theologiam naturalem in capite totius philosophiae poni volunt, quum Deus sit ens primum et supremum, propter quod omnia alia habeant, cur sint et unde a nobis percipi possint.

Atque his et similibus opinationibus insit aliqua vis et potestas; et ostendatur quoque, ne ordinem antiquitus statutum quidem esse absolute et omnibus numeris perfectum! Si autem nullus plane ordo excogitari potest, in quo desideretur nihil, ille certe retinendus est, qui et ex se naturae quum hominis tum rerum discendarum summopere convenit et longissimo usu ut omnium optimus est comprobatus.

16. **Relatio quae est inter philosophiam et theologiam.** Inter omnes eventus, qui per historiam constant, nullus est, qui in clariore luce versetur, quam factum revelationis divinae, qua patefactae sunt hominibus a Deo veritates summi momenti, quum tales, ad quas etiam per solum lumen rationis homo pertingere possit, tum eiusmodi, quae omnem vim humani intellectus superant. Non licet ergo philosopho huius revelationis divinae esse ignoranti. Neque ignorari a philosopho potest scientia, quae in rebus per revelationem manifestatis versatur, quam theologiam vocant.

---

[1] L. de caus. lect. 1 in l. 6 ethic. lect. 7. Alamanni, Summ. philos. I. q. 33 a. 4 ad 3.

De ordine igitur, qui est inter philosophiam et theologiam, prae oculis habendum est, philosophiam aliqua ratione esse a theologia independentem, alia ratione dependentem. Independens est ratione obiecti et principii. Dum theologia id pro obiecto habet, quod a Deo praeter naturae ordinem dictum sive revelatum est, philosophia sibi proprium obiectum habet, quidquid naturali lumine rationis humanae cognosci potest. Et dum theologia procedit ex lumine revelationis divinae tamquam ex principio, principium philosophiae est lumen rationis humanae naturale.

Est autem philosophia a theologia pendens, quatenus ordo naturalis ordini supernaturali subiectus est et quatenus lumen rationis humanae directionem atque etiam correctionem ex parte luminis intellectus divini admittere debet.

Neque tamen umquam ulla esse potest inter revelationem divinam et rationem humanam oppositio. Quum enim et lumen naturale rationis et lumen fidei supernaturale trahantur ex una origine, ex veritate prima sive Deo, ea, quae philosophice sunt certa, non possunt esse contraria iis, quae cum certitudine a theologia proponuntur ut a Deo revelata, neque iis, quae cum revelatis necessaria consecutione cohaerent[1].

Quum ergo revelationi divinae falsitas subesse non possit, si quid in placitis philosophorum invenitur contrarium fidei, id non philosophiae tribuendum est, sed potius malo philosophiae abusui ex defectu rectae rationis provenienti[2].

Quibus dictis manifestum est, scite dicere eos, qui philosophiam etiam intrinsecus doctrinae fidei subiectam esse ut normae negativae affirmant. Namque ex ipsa interna natura philosophiae, quae debet agnoscere Deum ut auctorem et creationis et revelationis, obligatio recipiendae doctrinae revelatae oritur; hinc philosophia ex suis ipsius principiis theologiae subiecta est. Verum haec ex theologia oriunda norma non positiva est, sed negativa tantum. Nihil enim a philosopho ut philosopho ut falsum in philosophia reiici potest, nisi quod ex principiis rationis falsum esse intelligitur. Si igitur per auctoritatem revelantis Dei aliquid ut falsum reiicitur, philosopho aut rationes indagandae sunt, ex quibus, cur istud falsum sit, perspiciatur, aut ignorantia fatenda est[3].

---

[1] S. Thom., Summ. c. gent. l. 1 c. 7.

[2] S. Thom., Opusc. in l. Boethii de Trinit. q. 3 a. 3.

[3] Hac de re plura apud Lepidi. Elem. phil. Vol. 1 p. 26 sqq.

Quo loco dubitaverit fortasse quispiam, liceatne ante philosophiam revelationem ponere esse veram. Verum is sibi hoc responsum referet, de veritate revelationis Christianae prudenti cuique homini omnino constare posse etiam ante institutionem philosophicam. Si quis vero ratiocinatur secundum computationem geometricam vel trigonometricam, et videt id, quod ipse invenerit, esse contra id, quod aliunde verum esse constat ex mente hominum doctissimorum, is profecto de hac re certa non dubitabit, sed computationem suam repetet, donec mendum inveniatur. Consimiliter agendum erit philosopho, quum sciat, revelationem divinam non posse esse falsam.

17. **Usus rationis humanae in rebus fidei.** Postquam a Deo facta est supernaturalis revelatio, etiam in rebus fidei usus rationis humanae summam utilitatem habet. Et primo quidem recta ratio fidei fundamenta demonstrat et ea quae sunt praeambula fidei, quae ad evidentem fidei Christianae credibilitatem tam multa, tam mira divinitus sunt disposita; velut ea, quae naturalibus rationibus de Deo probantur, ut Deum esse, Deum esse unum; vel relationem de facto revelationis historicam ab omni errore et mendacio immunem esse; has igitur vel illas veritates credibiles esse atque credendas propter testimonium divinum. Secundo multa ex iis, quae divina revelatione traduntur, naturalibus argumentis comfirmari possunt, ita ut faciliore negotio etiam ad illa manuducamur, quae omnino supra rationem sunt posita. „Ratio manuducta per fidem excrescit in hoc, ut ipsa credibilia plenius comprehendat, et tunc ipsa quodammodo intelligit.“ [1] Quapropter non sine magna utilitate est, ex iis, quae per rationis naturalis usum nobis nota sunt, quaerere analogias, quibus ad illa, quae rationem humanam excedunt, utcumque intelligenda iuvemur. Quam externam sapientiam S. Basilius amictui comparat, qui veritati revelatae induatur, „tamquam si folia quaedam fructui et umbraculum et aspectum non inamoenum praebent“ [2]. Tertius rationis usus frequens et necessarius est ad resistendum his, quae contra fidem dicuntur, sive ostendendo esse falsa, sive ostendendo non esse necessaria [3]. „Est quidem, ut monuit Clemens Alexandrinus, perfecta et nullius indigens doctrina Servatoris nostri, quum sit Dei virtus et sapientia. Accedens autem Graeca philosophia non veritatem facit potentiorem, sed debilem adversus eam efficit sophisticam argumentationem.“

---

[1] S. Thom., 1 dist. prolog. a. 3 vol. 3.

[2] De legendis libris gentilium.

[3] S. Thom., Opusc. in l. Boethii de Trinitate q. 2 a. 3.

Recte igitur a S. BONAVENTURA dictum est: „Scientia ista valet ad fidei introductionem et introductae provectionem, et provectae defensionem et defensae confirmationem.“ [1]

Itaque graviter errant, qui in rebus fidei ab eo usu rationis quem descripsimus abstinere volunt. Neque tamen ex altera parte minus errant illi, qui conantur illa rationibus philosophicis demonstrare, quae per solam fidem divinam nobis certa esse possunt.

CAPUT SECUNDUM.

Praenotiones historicae.

18. **Cur hoc loco ex logicae historia nonnulla excerpantur, breviter indicatur.** Apud eos doctores Scholasticos, qui de rebus logicis scripserunt commentaria, fere in more erat positum, ut initio breviter dicerent de logicae historia atque scriptoribus. Cuius tractationis finis et utilitas non in eo est, ut, qui studium philosophiae incipiunt, ipsam philosophiae historiam addiscant et de variis philosophorum placitis iudicium ferant; id enim fieri non potest, nisi post absolutam philosophiae doctrinam omnem et institutionem. Sed pauca tantum ex historia tradenda sunt; 1° ut, qui studium philosophiae incipiunt, quum videant, tot exstitisse maximi momenti problemata et tot tantosque viros omni tempore ad solvenda haec problemata omnem operam contulisse, accipiendae veritati aperiantur et magno discendae philosophiae desiderio accendantur; prius enim glebae laxandae sunt, quam semina immitti possunt.

2°. Ut nunc iam videant, iis rebus, quae in logica tractantur (quae fortasse primo inspicientibus videantur esse minutiores vel supervacaneae) omni tempore a prudentissimis quibusque multum esse tributum.

3°. Ut inspecta obiter tanta sententiarum varietate nobili illa curiositate cieatur animus, quam scientiae omnis et assidui studii parentem esse dicunt, ut videlicet animum subeat cupiditas perspiciendi, quid tandem veritatis sit inter tot falsitatis apparentias.

4°. Ut videant, omnem ab initio vel levissimam a recta via aberrationem in fine ducere ad vanitates funestissimas; atque idcirco in re omni maximi faciant sententiam eam, quae, viae regiae instar, inter sapientes communior est et in scholis Christianis a longissimo tempore tradita.

Atque has causas adeo graves esse censemus hoc nostro tempore et in hac tanta omnium rerum perturbatione, ut non dubitemus has praenotiones historicas accuratius exponere et uberius, quam apud doctores Scholasticos consuetudinis erat [2].

---

[1] In l. 3 sent. dist. 35 dub. 2.

[2] De necessitate harum notionum historicarum cfr. FR. UEBERWEG, System der Logik § 9 (sed praenotiones historicae ab ipso [§§ 10—36] traditae non sunt sine reprehensione). Errant vero, qui integram logicae historiam in parte propaedeutica poni volunt. Inter quos FRIDERICUS HARMS, quum scriberet:

19. **Artes a quibus et quo tempore inventae sint**[1]. Si quaeratur, quae sit scientiae et artium, in quarum numero est logica, prima origo: qui primi eas invenerint, id fuit a multis saepe dubitatum. Graeci, ut sapientiam sibi propriam vindicabant, ita omnium artium se inventores fuisse gloriabantur. Ex sua parte Chaldaei multis saeculis ante, quam Graecia vel discere vel docere coepisset, apud se magnarum rerum scientiam exstitisse praedicabant. Et vere quidem Graecos multa ab externis didicisse testantur auctores gravissimi[2].

Verum si aequi rerum aestimatores esse voluerimus, neque a Graecis, neque a barbaris ingenuas artes primo inventas esse, sed multo antiquiorem nobilioremque earum originem fuisse dicemus. Non enim absurde sentiunt, qui rerum procreatorem Deum in ipso mundi nascentis exordio primis humani generis parentibus inter alia naturae gratiaeque dona etiam praeclaram non divinarum tantum, sed humanarum naturaliumque rerum cognitionem tribuisse putant[3]. Vix enim decebat, tantae familiae principes et

---

„Die Geschichte der Logik muss jeder kennen, der sich in fruchtbarer Weise mit ihr beschäftigen will. . . . Sie führt uns die verschiedenen Experimente vor, welche angestellt worden sind, um die Probleme zu lösen . . . wir müssen diese Experimente selbst in unserem Geiste nachmachen; nur dadurch lernen wir sie kennen und verstehen. Es gibt keine bessere Anleitung zum systematischen Durchdenken der Probleme der Logik, als das Durchdenken der Lösungsversuche, die in der Geschichte der Logik uns entgegentreten.“ Geschichte der Logik. Berlin 1881. S. 240.

[1] Sequimur hac in re Commentarios Collegii Conimbricensis in universam dialecticam Aristotelis (in prooemii initio). Plura hac de re ap. Sylv. de S. Joann. Bapt., Logic. Mont. Casin. 1875.

[2] Euseb. l. 9 et l. 10 de praepar. Evang., Cyrill. l. 1 contra Julian. Clem. Alex. passim; Just. Mart. Paraenes. ad gent.: Eiusdem sententiae est Lepsius (Die Chronologie der Aegypter, tom. I. p. 55), quum dicat: „dass die Griechen in dieser wichtigen Periode (des Thales, Pythagoras etc.) die Gelehrsamkeit der Barbaren aller Orten wie reifes Korn in den Scheunen sammelten zur neuen Aussaat auf ihrem eigenen triebkräftigen Boden“. Cfr. Hegel, Philos. der Geschichte. 1837. p. 246; von Thimus, Harmonikale Symbolik des Alterthums. Colon. 1868.

[3] Cfr. Genes. 2, 19; Eccli. 17, 6. Sanseverino, Introductio ad phil. p. 14 sqq. De arte syllogistica Leibnizius: „Si le syllogisme est nécessaire, personne ne connaissait, quoique ce soit par raison avant son invention, et il faudra dire que Dieu, ayant fait de l'homme une créature à deux jambes, a laissé a Aristote le soin d'en faire un animal raisonnable. . . . Mais Dieu a eu beaucoup plus de bonté pour les hommes; il leur a donné un esprit capable de raisonner.“ Nouv. Ess. liv. 4 ch. 17 § 4 ap. Erdm. p. 394 a. De indole gentis Graecae cfr. Arist. l. 7 Polit. c. 7. Plat., De re public. IV. p. 435 E.

auctores, uti nos, animum quasi tabulam nudam, sed divini artificis manu adornatam et intelligibilium rerum imaginibus scientiaeque luminibus ad omnem pulchritudinis excellentiam et varietatem perpolitam accipere. A Deo igitur ut a primo fonte ingenuae artes promanasse videntur, non quidem iis, quibus terra excoleretur ad vitae caducae utilitates varias, sed quibus mens ex contemplatione rerum visibilium profecta ad res spirituales et divinas cognoscendas eveheretur. Et paulatim, ut ex veterum scriptorum monumentis liquet, ad Hebraeos, Chaldaeos, Aegyptios, Graecos aliasque orbis terrae nationes videntur esse deductae. Hinc Assyriorum et Persarum Magi, Aegyptiorum sacerdotes, Indorum Brachmanes et Gymnosophistae, Gallorum Druides aliique praecipua scientiae laude floruerunt.

Neque haec quasi haereditaria scientiae a primis mundi originibus ad sequentes aetates transmissio obstat, quominus nonnullos tamquam primos artium inventores summo iure celebratos esse agnoscamus. Quum enim hae artes per iniuriam temporum vel hominum socordiam non solum splendorem pristinum amisissent, sed vel omnino vel propemodum exstinctae essent, aliqui exstiterunt praestantes ingenio viri, qui eas ab interitu vindicarunt vel novis inventis illustriores fecerunt, quibus igitur non immerito earum inventio adscripta est. Atque hi „antiqui philosophi paulatim et quasi pedetentim intraverunt in cognitionem veritatis“ [1].

Verum veteres, dum ingenuarum artium studiis assiduoque labore abditam et latentem inquirebant veritatem, non una omnes institerunt via, nec eadem placita eosdemve magistros secuti sunt, sed partium contentione distracti in varias sectas et quasi familias abierunt.

20. **Logicae initia** si investigare volumus, haec ars et disciplina post exercitationem facultatis a natura datae inde nata est, quod mens ad unam alteramve ex suis operationibus animadvertere coepit. Antiqua Sinensium philosophia primo a Lao-Tse (nat. anno 604 a. Chr. n.), aliquam scientiae formam accepisse videtur; qui tamen totus erat in doctrina de rerum origine et de praeceptis moralibus. Neque Con-fu-tse (551—479) de rebus logicis praecepit quidquam. Sed tamen apud philosophos Sinenses aliqua praeceptorum logicorum initia reperiri possunt. Ita Meng-tse, qui erat Confucii discipulus, hominem habere facultatem cognoscendi in se ipso monuit, unde

---

[1] S. Thom., Summ. theol. I. q. 44 a. 2.

oportere hominem, modo errores cavere vellet, attendere ad seipsum; id ut recte fieret, virtutes morales requiri; hominem, qui se ipsum nosceret, noscere etiam alios homines, et in via esse dixit, ut nosceret res omnes reliquas.

21. Neque in philosophia Indica praecepta logica desunt. In Sânkhja, cuius auctor Kapila, ut fontes cognitionis humanae perhibentur sensatio, ratiocinium, traditio. Gotama librum scripsit, cuius titulus „Njaja“ sive ratiocinium, in quo enumerantur cognitionis humanae genera varia et res obiectae.

Atque is quum aliquam ratiocinandi artem tradere vellet, omnem argumentationem ex quinque partibus constare docuit: 1° thesi sive veritate probanda; 2° ratione, in qua illa veritas niteretur; 3° exemplo, quo illustraretur; 4° applicatione exempli ad thesim probandam; 5° ipsa conclusione. Cuius rei exemplum posuit hoc: 1°. Mons ille ardet; 2° nam fumat; 3° quidquid enim fumat, ardet; id quod ex igne culinario manifestum est; 4° similiter mons ille fumat; 5° ergo mons ille ardet[1].

22. **Philosophiae Graecae initia.** Apud Graecos qui primi laudantur philosophi vim totam et ingenium in perscrutandis iis rerum causis posuerunt, quae quum proxime ad experientiam sensuum referantur, considerationi humanae se offerunt ad perscrutandum primas, et materiales vocari solent, ex quibus ut ex re indeterminata res determinatae factae sint, sicut ex ligno mensae, sedilia, scrinia. Ex his praecipui sunt Thales († 548), Anaximander († 547), Anaximenes († 547), Diogenes Apollonius. Quos Ionicos vocant.

De his Aquinas: „Secundum ordinem cognitionis humanae processerunt antiqui in consideratione naturae rerum. Unde quum cognitio humana a sensu incipiens in intellectum perveniat, priores philosophi circa sensibilia fuerunt occupati, et ex his paulatim in intelligibilia pervenerunt.“ [2] Et in sensibilibus versantes, in consideratione materiae (ἀπείρου) omnino haeserunt, suspicati tantum obscure, omnem ex materia rerum effectionem vita regi quadam divina. Quae vaga Ionicorum opinatio postea apud aliquos in errorem, quem Hylozoïsmum vocant, excrevit, ex quo res cunctae in mundo vivere dicuntur.

Nostra interest hoc loco, ut advertamus, Ionicos in rebus philosophicis experientiae sensibili sine ulla dubitatione vel reflexione fisos esse.

23. Hanc cognitionis humanae vim et firmitatem in dubium adduxit primus Heraclitus (500) Ephesius, eo quod, mentis aciem

[1] Cfr. Colebrooke, Misc. Essays I, 8 p. 292; et Aphorism. of the Nyâya Philosophy by Gautama, Allahabad 1850.

[2] Quaest. disput. q. 3 de potentia a. 5.

supra obviam sensuum experientiam elevans, omnia penitus fluere (Πάντα ῥεῖ) et ideo res omnes fluxas esse et caducas diceret[1].

Sensus, quum de isto fluxu perpetuo et absoluto nihil nuntiarent, nos in errorem adducere conquestus est. Ab experientia sensibili distinxit rationem (λόγον); huic fidendum esse, illam incertam esse ratus. Hanc „rationem generalem et divinam", cuius participatione homo rationalis efficeretur, criterium veritatis habendum esse, quo cognosceretur, quid verum esset. Cognitionem non accipi a rebus, sed a ratione illa sive intelligentia generali. Ex quo illud quoque conclusit, verum esse, quod esset universale; falsum, quod particulare; neque ulla fide dignum id, quod in paucis tantum individuis reperiretur.

Quia autem Heraclitus inter res omnes ignem vidit esse maxime agilem et ad motus pronum, „ignem" illud vocavit, quod ratione nostra perciperemus ut mutationis perpetuae principium. In isto fluxu transitum vidit continuum ex ipso „Non-esse" ad ipsum „Esse", ita ut „Esse" et „Non-esse" quodammodo essent simul[2]. Quamobrem multis visus est negasse illud, quod principium contradictionis vocant, quo fieri nunquam posse edicitur, ut aliquid simul sit et non sit[3].

24. Et sicut Heraclitus, ita etiam philosophi naturales reliqui illius temporis (Empedocles, Anaxagoras, Democritus) experientiae sensili usum rationis, quo obtineretur veritas, adiungendum vel opponendum esse sunt arbitrati.

Empedocles Agrigentinus (492—432) res omnes elementis quattuor constitui docuit, quae amore agerentur et odio. Ex his omnia in mundo regente „casu" orta esse, etiam ordinatissima; ea enim sola, existentibus casu ordinatis et inordinatis, in existentia perdurare posse, quae ordinata essent. Quum simile simili cognosci putaret[4], et homines cognoscentes et res omnes cognitas elemento duplici constitui docuit, uno materiali, logico altero. Rerum effluviis in homine effici cognitionem. Haec tamen effluvia (ἀποῤῥοάς) non solum ex rebus proficisci ad oculos, sed etiam ex oculis aquea et ignea exire[5]. Quorum effluviorum coitu effici rerum imagines. Cognitionem humanam admodum limitatam esse duxit. Sed immerito a Cicerone et Diogene Laërtio annumeratus est Scepticis i. e. iis, qui nihil a nobis certo cognosci posse putant[6].

---

[1] Plat., Kratyl. p. 401 et 402, Theaet. p. 160. Aristot. l. 1 met. c. 6, 987 a, 32; l. 8 phys. c. 3, 253 b, 9; l. 13 metaph. c. 4, 1078 b, 12. Plutarch. Placit. philos. I, 23.

[2] Plato, Sophist. p. 242 D, p. 284. Arist., De mundo c. 5, 396 b.

[3] Cfr. F. Lassalle, Die Philosophie Herakleitos' des Dunkeln. Berlin 1858. p. 71 sqq.

[4] Ἡ γνῶσις τοῦ ὁμοίου τῷ ὁμοίῳ. Arist. l. 3 met. c. 4, 1000 b, 6; l. 1 de an. c. 2. Sext. Empir. adv. mathem. VII, 121.

[5] Arist., De sensu c. 2, 437 b, 26.

[6] Cic. l. 1 Acad. c. 12. 44. Diog. Laërt. IX, 72.

Anaxagoras Clazomenius (500—425) omnem rebus naturalibus ordinem advenire docuit forinsecus ab una quadam intelligentia, quae cunctis eventibus praeesset. Omnino se abdicans illo principio, oportere ut simile simili cognosceretur, contrarium posuit, simile cognosci dissimili, velut *rem calidam* organo frigido. Inter facultates distinxit sensitivam et intellectivam; huic naturam quasi divinam attribuit[1], illam infirmiorem esse, quam quae veritatem cognoscere posset[2].

Leucippus et Democritus Abderitanus (460) non sensuum testimonio, sed sola ratione ducti res omnes vacuo et pleno constare asseveraverunt. Plenum (πλῆρες, στερεόν) habere rationem entis, vacuum (κενόν, μανόν) autem rationem non-entis; revera igitur esse in rebus et ens et non-ens (μὴ μᾶλλον τὸ δὲν [i. e. aliquid sive ens] ἢ τὸ μηδὲν εἶναι)[3]. Entia autem esse infinite multa, quorum unumquodque esset indivisibile (ἄτομον) atque aeternum. Experientiam sensuum eo fieri dixit Democritus, quod atomi ex rebus effluerent et in organa nostra intrarent; his effici imagines (εἴδωλα). Id sensus nostros praetendere, ut a se intervenientibus his imaginibus non solum apparentiae nobis renuntiarentur, sed res ipsae extra nos sic vel aliter existentes; at iudicia, quae nos secundum testimonium sensuum de rebus ferre soleremus, per se falsa esse et mendacia[4]. Qualitates sensibiles, quas homines omnes natura duce ipsis rebus inesse putarent, existere tantum in subiecto percipiente[5]. Quodsi multi Democritum Scepticis, i. e. iis annumerant, qui dubitant vel negant rem ullam a nobis cum certitudine cognosci posse, id verum est, quatenus veracitatem sensuum, qui tamen sint facultates cognoscitivae nobis a natura datae, omnino negavit. Et ideo etiam ad Scepticismum accessisse putandus est, quod „pleno" et „vacuo" realitatem attribuit, et „pleno" quidem ut enti, „vacuo" autem ut non-enti. Qua in doctrina quomodo principium contradictionis integrum esse possit, non satis liquet; et eadem hoc loco obscuritas est vituperanda, quae etiam in Heraclito notata est[6]. Distinguit tamen Democritus cognitionem rationis ut claram et certam (γνησίην) et cognitionem sensuum caliginosam.

25. Pythagoraei, quum res ad certos numeros reducere et naturam rerum certis definitionibus comprehendere studerent[7], primi

---

[1] Arist. l. 1 de an. c. 2, 404 a, 25.

[2] Ὑπὸ ἀφαυρότητος αὐτῶν οὐ δυνατοί ἐσμεν κρίνειν τἀληθές. Sext. Empir. adv. math. VII, 90. Sed contra: Πάντα ἔγνω νόος. Simpl. phys. f. 33.

[3] Interpretatur Ueberweg: „Es gebe ebensowohl ein Nichts wie ein Ichts."

[4] Ἐτεῇ δὲ οὐδὲν ἴδμεν, ἐν βυθῷ γὰρ ἡ ἀλήθεια. Diog. Laërt. IX, 72.

[5] Νόμῳ γλυκὺ καὶ νόμῳ πικρόν, νόμῳ θερμόν, νόμῳ ψυχρόν, νόμῳ χροιή· ἐτεῇ δ'ἄτομα καὶ κενόν. Sext. Empir. adv. mathem. VII, 138.

[6] Ob eam causam Democritus, sicut etiam Heraclitus ab Hegelii discipulis (ens = non-ens) tribulis salutatur. Inter alios Marbach: „Bei Democrit ist die Einheit von Sein und Nichtsein nicht bloss als Werden (wie bei Heraclit) begriffen, sondern als Geworden, das als Nichtsein bestimmte Sein, und das als Sein bestimmte Nichtsein, welches an ihm selbst den Gegensatz hat." Geschichte der griech. Philosophie. Leipzig 1838. p. 95.

[7] Arist. l. 1 metaph. c. 5, 987 a, 20.

quaestionem posuerunt, qui fieri posset, ut nostra mens naturam rerum cognosceret. In qua solvenda illud celebrarunt, simile simili cognosci (ἡ γνῶσις τοῦ ὁμοίου τῷ ὁμοίῳ). Unde concludebant, animam humanam, quae numeros cognosceret, numeris constitui. Neque absurde omnibus eventibus naturalibus subesse certas rationes quantitativas sunt arbitrati. At incauti halucinati sunt, omnia re omni et toto pondere nihil esse nisi numeros. Et cognitionem de rebus omnem mathesi exhauriri dixerunt.

26. Eleatici, inter quos eminent Xenophanes Colophonius (569 ad 462), Parmenides Eleaticus (natus anno 515), Zeno Eleaticus (natus anno 490), Melissus Samius; hi unitatem entis, quod inesset in rebus omnibus, oculis contentis aspectantes, eo pervenerunt, ut dicerent, omnia esse ens unum. Et prima apud hos initia doctrinae logicae vel dialecticae reperiuntur, praecipue apud Parmenidem et Zenonem.

Consentiunt autem Eleatici omnes, certitudini cognitionis sensitivae diffidendum esse: et generatim inter cognitionem certam et opinationem incertam distinxerunt.

Iam Xenophanes homines omnes in rebus plurimis vana opinatione teneri arbitratus est [1]. Atque id etiam primus edixit, homines a natura pronos esse, ut suam ipsorum naturam rebus externis affingerent [2].

Parmenides, Xenophanis discipulus, obiecta omnia experientiae sensibilis vana simulacra esse ratus, obiectum cogitationis maximi fecit, atque id revera „esse" docuit. Primus explicatis verbis principium posuit: „Quod est, est", quod „identitatis" vocant, atque etiam illud „contradictionis": „Nihil potest simul esse et non esse" [3]. Quinimmo hoc unum „Esse" non solum putavit esse cogitationis obiectum, sed „Cogitare" plane idem posuit atque „Esse".

Zeno Eleaticus, Parmenidis discipulus, magistrum secutus vanitatem rerum sensu perceptarum et secundum continuitatem et secundum motum per multas

---

[1] Καὶ τὸ μὲν οὖν σαφὲς οὔτις ἀνὴρ γένετ' οὐδέ τις ἔσται εἰδώς, ἀμφὶ θεῶν τε καὶ ἅσσα λέγω περὶ πάντων· εἰ γὰρ καὶ τὰ μάλιστα τύχοι τετελεσμένον εἰπὼν, αὐτὸς ὅμως οὐκ οἶδε· δόκος δ'επὶ πᾶσι τέτυκται. Sext. Emp. adv. mathem. VII. 49, 110. VIII. 326. Quibus verbis Sextus addit: Si nocturno tempore multi quaererent aurum, quod in domo absconditum esset, fore ut unusquisque id, quod quaereret, invenire se putaret; eum autem, qui reapse invenisset, id scire non posse; hoc modo philosophos veritatem quaerere, utrum autem invenerint necne, id eos scire non posse. Cfr. Sext. Empir. Pyrrh. hyp. I. c. 33, 224. De Xenophane conferendus Arist. l. 1 met. c. 5, 986 b, 18. Zeller, Philos. d. Griech. I. p. 504. Ueberweg, Gesch. d. Phil. I. 62.

[2] Cfr. Clem. Alex. Strom. V. p. 601 c et d.

[3] Ἔστιν, vel: ἔστι γὰρ εἶναι. Deinde: οὐκ ἔστι μὴ εἶναι, vel: μηδὲν δ' (ἐστὶν) οὐκ εἶναι.

argumentationes (λόγους) et dialogos ostendere conatus est. Quapropter ARISTOTELES ZENONEM inventorem dialecticae salutasse dicitur [1].

Etiam MELISSUS Samius (444), alius PARMENIDIS discipulus, disserendo et disputando sententiam magistri tuitus est, in qua tamen re saepissime fallaciis et vanis positionibus usus, ab ARISTOTELE vehementer est vituperatus [2].

Philosophorum omnium, qui florebant ante eos, quos Sophistas vocant, quorum doctrinam nunc videbimus, id proprium erat, ut vim obiectivam rerum, quae cognitioni humanae obiicerentur, aliqua ratione agnoscerent, ita ut id extra cognitionem esse putarent, quod cognitione ut obiectum repraesentaretur. Qui nunc oriuntur Sophistae [3], vim praecipuam in subiecti affectionibus posuerunt.

Quo tamen loco observandum est, sophistam primo tempore apud Graecos significasse sapientem sive philosophum; posteriore tempore nomen translatum est ad notandos eos, qui veritatem obiectivam negligentes, veritatem omnem artificiis subiectivis effici dixerunt.

27. **Sophistis** viam straverat HERACLITUS eo, quod rerum realitatem minime ea constantia praeditam esse docuerat, quae sensibus appareret, sed omnia versari in fluxu perpetuo; straverat DEMOCRITUS eo, quod imperfectione perceptionis sensibilis seductus, huius obiectivam veritatem penitus negaverat; straverant viam Eleatici, quod non solum veritatem experientiae sensuum, sed etiam realitatem omnium rerum extensioni et motui subiectarum negaverant, neque ullam inter „Cogitare“ et „Esse“ distinctionem posuerant. Inde igitur, quod initio sensus tantum propter suam imperfectionem et inadaequatam rerum perceptionem dicerentur esse falsi et mendaces, eo deventum est, ut etiam ipsa hominis ratio perpetuae fallaciae accusaretur, quae fingeret res obiectas obiective esse, ex quibus mensuram cognitionis et modum accipere videretur, quum tamen reapse res illae obiectae obiective non essent. Dixerunt igitur, id dumtaxat momentum habere, quod homo sibi ipse re-

---

[1] Φησὶ δὲ Ἀριστοτέλης ἐν τῷ Σοφιστῇ, εὑρετὴν αὐτὸν γενέσθαι διαλεκτικῆς. DIOG. Laërt. IX, 25—30; cfr. VIII, 57; SEXT. Emp. adv. math. VII, 7.

[2] ARIST. l. 1 metaph. c. 5, 986 b, 25 et l. 1 phys. c. 3 init.

[3] Ad rem apposite HARMS: „Die Sophisten bestreiten und verwerfen alle gegenständliche Wahrheit und Allgemeingiltigkeit des Denkens, und lösen daher die Philosophie auf in eine blosse Kunst des Denkens, in eine Fertigkeit und Geschicklichkeit der Rede, über jeden Gegenstand sich zu verbreiten.“ Gesch. der Logik. p. 11.

praesentaret, sive quod appareret, non vero id, quod obiective esset[1].

PROTAGORAS Abderites, quem aliqui ferunt DEMOCRITI discipulum fuisse, primus sophistam egit. Cuius doctrina haec fuisse traditur: Πάντων χρημάτων μέτρον ἄνθρωπος, τῶν μὲν ὄντων ὡς ἔστι, τῶν δὲ οὐκ ὄντων ὡς οὐκ ἔστιν. Is igitur illius extitit erroris auctor, quem Subiectivismum vocant. Et quia in subiecto cognoscente experientiam sensuum tantum attendit, eam fundasse doctrinam recte putatur PROTAGORAS, quam posteriore tempore Sensualismum vel Empirismum nominarunt.

HIPPIAS Elius id fere, quod PROTAGORAS de cognitione docuerat, ad res ethicas traxit: ὁ νόμος τύραννος τῶν ἀνθρώπων.

GORGIAS Leontinus (483—375) tria docuit. Primum, nihil esse, quum ipsum „Esse" contradictionibus affectum esset; neque igitur reperiri quidquam, quod „esset", neque quidquam reperiri, quod „non esset". Secundum, etiamsi quid esset, id cognosci non posse; si enim cognosceretur, id quod cogitaretur, esset; unde nullus unquam error esset; et id quod non esset, neque cogitari posse. Tertium, etiamsi quid cognosci posset, id edici verbis non posse.

Et Sophistarum quidem multi egregii oratores extiterunt. „Ut enim intellectum est, inquit TULLIUS, quantam vim haberet accurata et facta quodammodo oratio, tum etiam magistri dicendi multi subito extiterunt. Hi docere se profitebantur, arrogantibus sane verbis, quemadmodum causa inferior (ita enim loquebantur) dicendo fieri superior posset. Iis opposuit sese SOCRATES, qui subtilitate quadam disputandi refellere eorum instituta solebat. Huius ex uberrimis sermonibus extiterunt doctissimi viri; primumque tum philosophia, non illa de natura, quae fuerat antiquior, sed haec, in qua de bonis rebus et malis, deque hominum vita et moribus disputatur, inventa dicitur." [2]

Neque inscite observatum est, artem sophisticam, etsi ex se ad evertendam omnem scientiam apta fuerit, tamen philosophiae excolendae magnam attulisse utilitatem. Imprimis enim ad evertenda Sophistarum captiosa argumenta orta est necessitas, ut inquireretur, quae essent recte ratiocinandi regulae. Unde factum est, ut in scholis Socraticis summo studio theoria cognitionis et logica excoleretur. Necesse quoque fuit, ut maxima cum accuratione determinaretur eorum terminorum vis et potestas, quorum usus est in philosophia frequentior.

28. SOCRATES (469—400), cui inquisitio ipsius veritatis cordi erat, hominum studia ad id reducere est conatus, ut non tam quaererent suam quisque opinionem diserte et apte dispositis verbis defendere, sed potius inquirerent, quid esset veritas et qua ratione

[1] Cfr. ARIST. l. 10 met. c. 3, 1061 b, 7 et c 8, 1064 b, 29, et l. 3 c. 2, 1004 b, 15, et elench. soph. c. 1, 165 a, 21.

[2] Brutus 8.

scientia veritatis acquiri posset. Et propter opinionem illam, quae eo tempore orta erat, „quod non potest esse de sensibilibus scientia", noluit quidquam de rerum naturis perscrutari, sed solum circa moralia disputavit.

Et ipse prius incepit in moralibus quaerere, quid esset universale, atque insistere ad definiendum. Unde et PLATO eius auditor suscepit hoc inquirendum in rebus naturalibus, quare in eis hoc posset evenire, ut universale in eis acciperetur, de quo definitio traderetur, ita quod definitio daretur non de aliquo sensibilium, quia, quum sensibilia semper transmutentur, non potest alicuius eorum communis ratio assignari. Nam omnis ratio oportet, quod et omni et semper conveniat, et ita aliquam immutabilitatem requirit. Et ideo huiusmodi entia universalia, quae sunt a rebus sensibilibus separata, de quibus definitiones assignantur, nominavit ideas et species existentium sensibilium, ideas quidem i. e. formas, in quantum ad earum similitudinem sensibilia constituebantur, species vero, in quantum per earum participationem Esse substantiale habebant. Vel ideas, in quantum erant principium essendi, species vero, in quantum erant principium cognoscendi[1].

SOCRATI itaque debetur definitionis accuratio et eius, quae ad definitionem adducit, inductionis. In inductione autem non ipse in observandis factis singularibus studium suum posuit, sed adhibita interrogandi et colloquendi methodo ex hominibus singulis quaerere conatus est, quid quisque de veritate sentiret, id arbitrans falsum esse non posse, in quo omnes vel saltem sapientissimi convenirent[2].

A SOCRATE igitur, qui non solum alienarum sumptionum confutationem spectasset (qua in re ZENO et Sophistae haeserunt), sed magna cum diligentia animum ad conceptum scientiae et tutam cognoscendi methodum convertisset logica prima aetatis tempora habuit. Postquam philosophia naturalis et ethica secundum sui partem haud exiguam tractata iam erat, etiam dialectica excoli coepta est. Adhibebatur logica prius usu in rebus naturalibus et ethicis, quam doctrina et speciali praeceptorum institutione[3].

SOCRATIS autem discipuli per scholas multas divisi sunt. Ex quibus Cynici duce ANTISTHENE putarunt indicari quidem posse, cui res similes essent, non

---

[1] S. THOM. in l. 1 met. lect. 8. Cfr. ARIST. l. 1 met. c. 6, 987 b, 1 et l. 13 c. 4, 1078 b, 27; XENOPHON, Memorab. IV. 5, 12; IV. 6, 1, 13.

[2] ARIST. l. 13 met. c. 4, 1079 b, 39; PLATO, Phaedo p. 101 E.; XENOPHON, Memorab. IV. 6 (1).

[3] Cfr. HARMS, Gesch. der Logik. p. 17.

vero, quid essent[1]. Cyrenaici ARISTIPPO duce, quum criterium omne veritatis et bonitatis in affectibus, voluptate, passionibus ponerent, res logicas plane neglexerunt[2]. Negant hi esse quidquam, quod percipi possit extrinsecus; se ea tantum percipere dicunt, quae tactu intimo sentiantur, ut *dolorem, voluptatem;* neque se quo quid colore vel quo sono sit cognoscere, sed se tantum sentire, se „affici" quodammodo[3]. Deinde duce EUCLIDE Megarici, quos propter disputandi pruritum etiam Eristicos vel Dialecticos vocant, omnia esse ens actu unum posuerunt[4]. Ad quam rem defendendam quum ab ipso EUCLIDE, tum ab EUBULIDE, DIODORO Krono, ALEXINO, ingens copia sophismatum inventa et ars sophistica maximopere exculta est.

29. PLATO et Academia vetus. Usque ad PLATONIS tempora dialectica erat philosophiae quasi additamentum vel appendix vel praefatio. Et primo dialecticam artem recte colloquendi dixerunt. Quia tamen ea arte veritas inveniri putabatur, deinde artem veritatis inveniendae ea voce significarunt, PLATO primus universam philosophiam per tres partes tractavit: dialecticam, naturalem, ethicam[5]. Et quum dialecticae nomine quamlibet partem philosophiae et universam etiam philosophiam promiscue significaret, tamen speciali ratione hoc nomen ad significandam doctrinam de scientia humana adhibuit, vel potius de eius obiecto, quod aeternum et immutabile esset[6]. Dialectica comprehendi dixit et rerum separatarum ad unitatem essentiae sive ideae reductionem et unius essentiae divisionem secundum rerum multitudinem[7]. Hanc συναγωγὴν et διαίρεσιν esse duas methodi dialecticae partes[8].

---

[1] „Stulta fuit opinio ANTISTHENIS; volebat enim, quod, quia voces sunt signa rerum: sicut res non habet aliam essentiam nisi propriam, ita in propositione nihil posset praedicari de aliquo, nisi propria eius definitio, ut simpliciter vel semper de uno subiecto dicatur unum praedicatum." S. THOM. in l. 5 met. lect. 34; ARIST. l. 4 met. c. 29, 1024 b, 32.

[2] Cfr. SEXT. Empir. adv. math. VII. 191—201; DIOG. Laërt. II. §§ 65—105.

[3] CIC. l. 2 acad. prior. c. 24. Id S. THOMAS attendisse videtur, quum diceret: „Quidam posuerunt, quod vires, quae sunt in nobis cognoscitivae, nihil cognoscunt nisi proprias passiones; puta, quod sensus non sentit, nisi passionem sui organi." Summ. theol. I. q. 85 a. 2.

[4] Horum sententiam Aquinas exponit, putasse eos nihil esse possibile, nisi quando esset actu; et tum solum esse aliquid in potentia, quando esset in actu, „ut puta, quod ille, qui non aedificat actu, non potest aedificare, sed tunc solum potest, quando actu aedificat". In l. 9 metaph. lect. 2. Cfr. ARISTOT. l. 8 met. c. 3 init. CIC. l. 2 acad. prior c. 42. DIOG. Laërt. II. 106.

[5] CIC. acad. post. I. 5, 19. SEXT. Emp. adv. math. VII. 6.

[6] Phil. p. 58. [7] Phaedr. 265.

[8] Videsis STEYER, Platonische Dialectik. Innsbruck 1869. I. p. 33 sqq.; ZELLER, Phil. der Griechen. II. 1 p. 517.

Plato igitur definitionis usum, quem a Socrate didicerat, a rebus moralibus ad quodlibet rerum genus vocavit amplificavitque, eique usum divisionis addidit, quae ad distinguendas varias rerum classes esset necessaria [1]; atque etiam ad rectum ratiocinii usum viam ostendit [2].

Itaque definitionibus regi mentem humanam veritatis cupidam Plato firmiter tenuit; has tamen definitiones ab essentiis sive ideis trahi docuit, quae a mente humana separatae essent.

Εἶδος vel ἰδέα proprie formam sive speciem significat, quae oculis cernitur; apud Platonem translate accipitur, idque indicat, quod mente cernitur. Etsi notionem rei sive definitionem Plato ideam vocat [3], neque tamen ideas in mente humana existentes hac voce intelligit [4], sed aeterna rerum exemplaria, quae exstent praeter res sensibus perceptibiles, atque etiam in mentibus nostris et cogitationibus nostris operentur; quae essentiam (οὐσίαν) sive substantiam quandam generalem et unam exhibeant; eaeque cum multis rebus extra existentibus quodammodo communicentur, manentes tamen unae (ἑνάδες sive μονάδες) [5], ex quo efficiatur, ut una quaeque idea sit ἓν ἐπὶ πολλῶν [6].

Et imaginibus, ut assolet, rem persequens, ideas tamquam in alio mundo existere, neque tam cogitari, quam potius mente pura aspici dicit, iisque omnium rerum sensibilium causas atque rationes contineri, et ipsas etiam vita et motu atque intellectu praeditas esse docet [7].

Itaque docet humanae cognitioni aut res constantes immutabiles, universales obiici intuendas, aut res sensibus subiectas, mutabiles; illas scientiam, has opinionem gignere; mediam inter utramque esse mathematicam. Scientiam neque sensuum perceptionibus constare posse, quum id, quod sensibus percipiatur, continenter mutetur (πεφορημένον ἀεὶ) et aliis aliud esse videatur [8]; neque hominum opinionibus contineri, etiamsi hae rectae sint et verae [9]. Opinionem ad recte agendum satis esse; quamquam virtus, quae recta opinione duntaxat et consuetudine ducatur, ad sapientiam nihil valeat. Scientiam igitur, quam persequatur philosophia, Plato arbitratur constare solum cognitione vel potius intuitu τοῦ παντελῶς ὄντος [10], quod idem est, atque τὸ ὄντως ὄν, ἡ ἀλήθεια, τὸ νοούμενον, quippe quod intellectu (τῷ νῷ, τῇ νοήσει) comprehendatur, non sensibus, neque opinando. Et eam solam cognitionem Plato scientiam esse agnoscit, quae versetur circa res et causas immutabiles [11] et quae consummatam rerum veritatem omnisque scientiae rationes absolute certas complectatur [12]. Ille primus cognitionem, quae circa veritatem et ipsum Esse versetur, non solum a cognitione sensitiva, sed etiam a cognitione mathematica distinxit. Obiecta

---

[1] Phaedr. I. 1. Soph. p. 253. [2] Phaedon. 101.

[3] De rep. X. p. 596 A.; Theaet. p. 204 A.; Phaedr. p. 249 B.

[4] Parmen. p. 132 B. [5] Phileb. p. 15 A. B. n. 262.

[6] Arist. l. 1 met. c. 9. S. Thom. in l. 1 metaph. lect. 9.

[7] Phaedr. p. 247 C. Tim. p. 28 A. 51 D. sqq. Phaed. p. 83 B. Sophist. p. 248 E. De republ. VI. p. 509 D., VII. p. 517 B.

[8] Ex his manifestum est Platonicum quem vocant „Idealismum" ex adverso opponi Idealismo illi, qui vana duntaxat phaenomena vult a nobis percipi posse.

[9] Theaet. p. 151 E [10] Euthydem. p. 288 D.

[11] Phaedr. p 247 D. [12] Parmen. p. 134 A.

enim mathesis media esse audivimus inter ideas sive species et sensibilia. Philosopho ante ceteras artes musicam et mathematicam colendas esse duxit, quarum illa animum liberaret temperaretque et pulchri sensu imbueret[1], haec peculiari modo ad eam „cogitationem" (τὴν διάνοιαν) pertineret, quae inter opinionem et scientiam media esset[2].

Etiamsi Plato sensibus hominis vim aliquam et dignitatem attribuebat[3], animum tamen usu sensuum impediri magis quam iuvari statuit, quum sensus (ἡ αἴσθησις) esset ea animi affectio, quae corpori subiecta esset atque una cum illo moveretur[4].

Primus omnium Plato inter praecipuas orationis partes distinxisse videtur. Ὄνομα est, quidquid nomine suo propriam naturam indicat; ῥῆμα id, quo de actionibus rei aliquid enuntiatur. Qua cum re cohaeret id, quod contra Eleaticos summo studio contendit, non solum unum esse, sed multa, quae vario modo inter se copulentur referanturque, copulataque enuntiationem efficiant.

Plato igitur in Academia, quod nemorosum suburbanum fuit ab Atheniensium civitate mille fere passus distans, philosophiam docuit, a quo loco auditores Academici dicti sunt.

30. Platoni in diversas partes discipuli exorti sunt. Successores habuit in Academia vetere vel prima Speusippum († 339), Xenocratem († 314), qui primus apertis verbis philosophiam in logicam, naturalem, ethicam divisisse, i. e. id quod Plato re egerat, verbo enuntiasse dicitur; Polemonem, Cratetem, Crantorem; quibus dissimulare scientiam placuit nullique rei inter disputandum firmiter adhaerere.

Secuta est deinde Academia secunda vel media. Haec Arcesilaum auctorem habuit, quem Lactantius[5] ignorantiae magistrum appellavit.

Et Tullius: Arcesilaus (318—245) negabat esse quidquam, quod sciri posset, ne illud quidem ipsum, quod Socrates sibi reliquisset; sic omnia latere in occulto, neque esse quidquam, quod cerni aut intelligi posset. Quibus de causis nihil oportere neque profiteri neque affirmare quemquam, neque assensiones approbare, cohibereque semper et ab omni lapsu continere temeritatem, quae tum esset insignis, quum aut falsa aut incognita res approbaretur; neque hoc quidquam esse turpius, quam cognitioni et perceptioni assensionem approbationemque praecurrere[6]. Dubitandi studio imbutus esse dicitur imitatione Menedemi, Diodori, Pyrrhonis.

---

[1] De republ. III. p. 401 C., 410 C. sq.

[2] De republ. VII. p. 523 sqq. 533 sqq. [3] Tim. p. 44 D., p. 47 A.

[4] Phileb. p. 34 A.; Rep. VI. p. 511, VII. p. 514. Cfr. Zeller, Phil. der Griechen, edit. 3. II. 1 p. 476.

[5] Div. Inst. L. 3 c. 5. [6] Academ. post. I. 12; cfr. de Orat. III. 18.

Tertiam vel novam Academiam instituit CARNEADES (215—130). Is negavit ullam certitudinem esse posse; et tria probabilitatis genera distinxit, quibus probabilium gradibus utendum in vita esset, prout res quaeque vel maioris esset vel minoris momenti.

Praeterea nominandi sunt PHILO Larissaeus et ANTIOCHUS Ascalonita, qui missis istis Academicorum novorum nugis et rixis ad veterem Academiam reverterunt. Quum ANTIOCHUS ea ex variis scholis, quae sibi vera videbantur, colligens Stoicorum et Peripateticorum placita (de quibus nos mox dicturi sumus) cum Academia consociare studeret, PHILO Academiam illam veterem illibatam instaurare conatus est. PHILONEM audiebat CICERO (106—43), qui totum se ei tradidit, admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus. Qui tamen, sicut in dialecticis rebus hanc novam Academiam secutus est, ita in disciplina ethica ut plurimum placitis Stoicorum adhaesit. Sectatus est igitur CICERO in rebus logicis quandam probabilitatis sive Scepticismi moderati theoriam. Omnes nostras cognitiones a solis sensitivis perceptionibus oriri posuit; his autem arbitratus est nunquam posse in nobis produci cognitionem omnino certam. Admittit tamen CICERO alias aliis opiniones esse posse verisimiliores; in qua re a CARNEADIS doctrina recessit.

31. ARISTOTELES et Peripatetici veteres. Quod PLATO a rebus, quas per experientiam nostram percipiamus, tamquam obiectum scientiae universale separavit, id ARISTOTELES ipsis rebus aliqua ratione inesse docuit. „Etenim, inquit, etsi sine universalibus non est accipere sapientiam, ea tamen a singularibus separare, est causa difficultatum, quae circa ideas accidunt." [1]

Fuit ARISTOTELES natione Thracius, patria Stagirites, filius NICOMACHI medici (384—322) [2]. Ab aetatis suae anno decimo octavo per viginti annos PLATONIS discipulus fuit. PLATONE mortuo (347) in Mysiam et Mitylenen profectus, inde anno 343 ad PHILIPPUM regem Macedoniae adiit. ALEXANDRI Magni per aliquot annos praeceptor, postmodum duodecim annos docuit Athenis in Lycaeo, ubi Peripateticorum sectam, sive a loco, qui deambulatorium nominabatur, sive quod ipse deambulando doceret, nuncupatam instituit. Accusatus, quod de diis male sentiret, Chalcidem profectus, ibi anno aetatis suae 63 mortuus est. Libros MOYSIS quum perlegisset, dixisse fertur: „Barbarus ille bene loquitur, sed nihil probat."

Quum SOCRATES et PLATO inductionem adhiberent solum ad formandas definitiones vel conceptus universales, ab ARISTOTELE inductio (ἐπαγωγή) et abstractio (ἀφαίρεσις) est distincta, quarum illa ad propositiones universales vel potius ad cognoscendas leges universales in essentiis rerum fundatas adduceret, haec autem ad universales conceptus [3].

[1] L. 12 met. c. 9, 1086 b, 5. [2] Plura GOUDIN, Log. mai. p. 1 disp. 2.

[3] „Chacun sait assez qu'ARISTOTE est le législateur du syllogisme; mais on ignore vulgairement, combien il a parlé de l'induction. ARISTOTE pose net-

Conceptibus universalibus causas rerum exhiberi docuit rebus ipsis insitas. Dum igitur Plato scientiam dixit esse idearum intuitionem, Aristoteles definivit scientiam: cognitionem rerum per causas.

De argumentatione scripsit Aristoteles in libris, quos analyticos vocavit. Quum enim vim argumentationis cognoscere vellet, eam in elementa solvit, primo enuntiationes et deinde terminos atque ex his causis sive principiis ipsam argumentationem explicavit[1]. Et duas analyses sive resolutiones distinguit. Quum enim principia, propter quae argumentatio scientiam rei efficiat, sint forma argumentationis, et materia, in qua haec vertitur, distinguit resolutionem priorem, qua resolvatur argumentatio in principia formalia, ex quibus pendeat necessitas et evidentia consequentiae; et resolutionem posteriorem, qua resolvatur argumentatio in principia materialia, ex quibus pendeat evidentia consequentis. Analysis igitur prior nexum inter principia et conclusionem considerat, analysis autem posterior naturam principiorum, ex quibus vis conclusionis pendet. Et quia sola demonstratio, quae ex principiis certis et evidentibus procedat, perfectam analysim admittit et ex se scientiam parere potest, analysis posterior de demonstratione est[2].

Scripsit Aristoteles ingentem librorum copiam, si modo fides est habenda Laertio longum librorum catalogum texenti. Tractatus quinque logicam spectantes nomine „organi“ (post Andronicum Rhodium) comprehendi solent. Ad organum (ὀργανικά) spectant categoriarum liber (κατηγορίαι), libri duo (quos alii in librum unum composuerunt) de interpretatione (περὶ ἑρμηνείας), libri quattuor analyticorum (ἀναλυτικὰ πρότερα et ἀναλυτικά ὕστερα); praeterea libri octo topicorum (τοπικά) et libri duo de elencho sophistico (περὶ σοφιστικῶν ἐλέγχων).

Sicut igitur Plato, ita etiam Aristoteles cognitionem humanam duxit esse repraesentationem sive imaginem vel idealem quandam reproductionem eius, quod revera „est“ extra mentem cognoscentis et ab hac mente non pendens. Quum autem universalia in rebus singularibus sensu perceptis aliquo modo inesse et de iis cum

---

tement que la raison a deux procédés, ni plus, ni moins, que l'un est l'induction, et l'autre le syllogisme. Toutes les démonstrations, dit-il, se font ou par syllogisme ou par induction. L'induction est le passage du particulier à l'universel, les raisonnements inductifs sont ceux qui montrent l'universel dans la lumière du particulier. L'induction donne le principe et l'universel; le syllogisme déduit de l'universel. L'induction est la voie qui conduit aux majeures.“ Gratry, Log. p. 16. Cfr. Barth, St.-Hilaire, Log. d'Aristote, préf. p. 117. Lewes Aristoteles.

[1] Cfr. l. 1 anal. prior. c. 32.

[2] Cfr. Kleutgen, Philos. der Vorzeit n. 87 et n. 295.

veritate praedicari posse videret, omnes rerum notitias ex perceptis rebus sensibilibus hauriendas esse docuit.

Mentem itaque humanam non habere apud se omnia iam actu cognita in latebris quasi et oblita; sed notitias revera parari novas dicit, ad quas habendas mens ex se prius fuerit in potentia. Idcirco mentem humanam potentiis multiplicis generis instructam esse. Et quamvis inter potentias intellectivas et sensitivas distinxerit, tamen etiam experientiae sensili, quippe quae sit fundamentum omnis cognitionis humanae, omnino fidendum esse affirmat. Quum homo intellectu aliquid apprehendit, conceptu mentis tenetur id, quod in re est οὐσία sive τὸ τί ἦν εἶναι. Quum intellectu iudicat, iudicando affirmat aut negat, aliquid ex parte rerum „esse“ aut „non esse“. Quum ratiocinatur, percipit nexum rerum causalem et certas causarum leges, quae in ipsis rebus fundamenta habent; velut quum videt *pietatem* ideo laudandam esse, quia virtus sit, ratiocinatur hocce modo: Omnis virtus est laudanda; atqui pietas est virtus; ergo pietas est laudanda. Et hoc modo efficitur, ut cognitio humana, quantum pro hominis natura fieri possit, sit imago perfecta eius, quod „est“ a parte rei. Quapropter Aristoteles summam operam ad id contulit, ut methodum hanc ratiocinandi, quam syllogismum vocavit, accurate excoleret.

Et generatim ex mente Aristotelis veritas logica est conformitas cognitionis ad rem cognitam. Unde per se primo non est repetenda ex cognitionis origine, neque ex consideratione causalitatis efficientis, sed ex consideratione causalitatis formalis, i. e. ex relatione immediata convenientiae vel similitudinis inter duo momenta, quae cognitioni essentialia sunt, inter momentum subiectivum formale et momentum obiectivum formale.

32. **Logica apud Stoicos et Neoplatonicos.** Stoici, qui ἀπὸ τῆς στοᾶς, quae erat Athenis porticus varietate conspicua, suum traxerunt nomen, ad excolendas res logicas magnam diligentiam contulerunt. Quum enim virtutem sine scientia, quae naturae quum rerum tum hominis conveniret, esse non posse arbitrarentur [1], non fieri non potuit, quin scientiam maximi facerent, eam potissimum, quae ad res ethicas referretur.

Res dialecticas ab aliquibus Stoicis contemptas quidem videmus, eo quod solum ad refutandos errores essent utiles, contra errores autem sapientem ex sese quemlibet satis confirmatum esse propter sanam rationem a natura inditam. Et Aristo, qui erat Zenonis, Stoicorum principis, discipulus, dialecticam excrementis comparavit et texturis aranearum, artificiosis illis quidem, sed plane inutilibus; et dialecticos hominibus, qui cancris vescerentur multo quidem adhibito labore parum nutrimenti obtinentes [2]. Pars autem scholae maxima praeclara accuratione res dialecticas tractarunt. A logica petendam esse rectam

[1] „Nec philosophia sine virtute est, nec sine philosophia virtus“ Seneca, Ep. 89, 8.

[2] Stob. Floril. 82, 7, 11, 15; Diog. Laërt. VII. 161, 162.

philosophandi methodum dixerunt et argumentandi rationem, qua ab erroribus muniremur; logicam propugnaculis vel moenibus urbis compararunt et hortorum saepimentis.

In logicae studio post ZENONEM et CLEANTHEM excelluit CHRYSIPPUS, qui contra Peripateticos logicam non solum sciendi instrumentum esse defendit, sed etiam veram ipsius scientiae partem. Logicam Stoici in rhetoricam et dialecticam dividunt, prout oratio aut continua est, aut inter respondentem et interrogantem discissa; hanc διαλεκτικήν, illam ῥητορικήν placuit vocare [1].

Rhetoricam ZENO palmae passae comparavit, dialecticam pugno ad caedendum compresso, eo quod latius loquerentur rhetores, dialectici autem compressius. His duabus partibus tertia accessit, quae est critica sive theoria quaedam cognitionis humanae. A qua distingui potest tamquam quarta ea pars, quae agit de conceptibus sive definitionibus [2].

Dialecticam definiebant esse scientiam et artem bene loquendi sive dicendi secundum veritatem et ad rem accommodate. Voces autem a conceptibus mentis separari non posse dixerunt. Unde in parte dialecticae priore de vocibus sive vocabulis ut signis praeceperunt, in altera de conceptibus ut significatis. Et pars prior grammaticam, poëticam, musicam complectebatur. In parte altera conceptus tum a rebus externis [3], tum a vocabulis, tum ab activitate cogitandi vel concipiendi probe distinxerunt; conceptum igitur obiectivum intellexerunt, sive id, quod cogitando menti obiicitur [4]. Conceptibus quidem „Esse" quoddam ideale affingunt (τὶ), quum autem hi sint incorporei, solummodo vero res corporeae veram realitatem habeant, ipsis realitatem (ὄν) denegandam esse dicunt. Conceptus omnes in completos et incompletos distribuunt.

In tertia parte, quam „criticam" diximus, omnes nostras repraesentationes (φαντασίας, quas vocabant καταληπτικάς) ex impressione rerum mechanica per sensus ortas esse docuerunt. Ex perceptione sensili oriri recordationes, ex additis inter se similibus recordationibus experientiam nasci, ex experientia per conclusiones oriri conceptus. Has conclusiones effici ex comparatis inter se et compositis sensationibus, ex earundem analogia, translocatione, oppositione sive per artem sive per naturam. Quod si per naturam et sine arte procedatur, illa sanae mentis dictamina acquiri, quae προλήψεις vel κοιναὶ ἔννοιαι a Stoicis vocantur [5]. Si autem per artem et industriam procedatur, oriri scientiam, quae

[1] SENEC., Ep. 89, 17; CIC., Fin. II. 6, 17; Orat. 32, 113; QUINTIL., Institut. II. 20, 7; SEXT. Empir. adv. math. II. 7.

[2] Cfr. ZELLER, Phil. der Griechen, edit. 3. III. 1 p. 64.

[3] Distinxerunt enim σημαῖνον, σημαινόμενον, τυγχάνον quod obiectum reale sive rem externam indicat. SEXT. Empir. adv. math. VII. 11.

[4] Inhalt des Denkens; cogitatum sive λεκτόν.

[5] Perperam aliqui putant, has κοινὰς ἐννοίας apud Stoicos esse notitias innatas. Illi enim apertis verbis dicunt animum ad eas ascendere collatione rationis. Cfr. ZELLER l. c. p. 75.

certo et inexpugnabili conceptuum systemate constituatur. Conceptus sive cogitata (ἐννοήματα), quum universalitate tum vero firmitate et certitudine excellere, etiamsi ut universales non sint reales; hanc certitudinem non ex intuitu oriri, rem ita esse et aliter esse non posse, sed ex subiectiva necessitate nasci vel potius ex indigentia practica, quia videlicet ad sane vivendum certitudo firma nobis sit necessaria. Criterium veritatis et falsitatis in firmitate assensus subiectiva positum esse, qui ut plurimum in nostra potestate sit positus. „Zeno ad haec, quae visa sunt, et quasi accepta sensibus, assensionem adiungit animorum, quam esse vult a nobis positam et voluntariam.“ [1] Esse tamen repraesentationes aliquas, quibus invincibili necessitate ad assentiendum cogamur.

Itaque criterium veritatis in imaginibus illis apprehensivis (φαντασίαις καταληπτικαῖς) positum esse duxerunt, vel ultimo et primo in necessitate subiectiva invincibili, qua adigeremur ad admittendum ea vera esse, quae cognita essent. Qua tamen re Academicis in Scepticismo haerentibus satisfactum non est.

De cetero multum Stoici laborabant in solvendis sophismatis, quae ipsis ab Academicis et Scepticis solvenda proponebantur; ita praecipue in solvendo eo, quod de „mendaci Cretensi“ est, et de „acervato“, quae ex Academicis adhibebant Arcesilaus et Carneades, ut Chrysippo nihil sciri posse ostenderent [2]. Quum syllogismum categoricum, quem magna cum accuratione exposuerat Aristoteles, „sine methodo concludere“ (ἀμεθόδως περαίνειν) existimarent, in excolendo syllogismo conditionali magnam operam posuerunt. Quum Academici opinarentur, in philosophia summum perveniri ad aliquam probabilitatem, nihil autem certum nobis esse posse, Stoici contra philosophis certitudinem tantum curandam esse docuerunt; quae autem essent probabilia, omnino esse negligenda.

33. Neoplatonicis antecesserunt ii, qui dogmata sua ex philosophia Pythagoraea, Platonica, Aristotelica elegerunt composueruntque; quorum praecipui sunt Philo Judaeus (20 a. Chr. n.—50 p. Chr. n.), Apollonius Tyanensis (imperante Nerone), Plutarchus Chaeronensis (50—120), Numenius Syrus (ab anno 150).

Ex quibus aliqui religionem Christianam sunt professi, ut S. Justinus Martyr († 163), S. Irenaeus (140—202), Athenagoras († 180), Clemens Alexandrinus (150—211). Is quum philosophiam summis extulisset laudibus, „Philosophiam, inquit, non dico Stoicam nec Platonicam aut Epicuraeam et Aristotelicam, sed quaecumque ab his sectis recte dicta sunt, quae docent iustitiam cum pia scientia, hoc totum selectum dico philosophiam“. Atque hi philosophi Christiani, etsi ex diversis sectis, Eclectici quum essent, quidquid castissimae religioni non adversaretur, seligerent, nihilo setius in moralibus

[1] Cic. Acad. I. 14, 40; II. 12, 37; alio loco Chrysippum dixisse fert: „Visum obiectum imprimet illud quidem et quasi signabit in animo suam speciem, sed assensio nostra erit in potestate.“ De fato 19, 43.

[2] Confr. Cic. Acad. II. 29.

praecipue Stoicos, in dialecticis et arte ratiocinandi Aristotelem, in doctrina de Deo, geniis, animaque humana et ceteris rebus immaterialibus Platonem sequebantur ducem, ita tamen, ut huic primas in omnibus partes deferrent, huius putantes placita facilius cum reliquis verae religionis dogmatis componi posse. Unde S. Augustinus veteres Platonicos non dubitavit dicere, si hanc vitam rursus agere possent, paucis mutatis verbis et sententiis ad Christianam religionem accessuros esse. Clementem et audivit et ut scholae caput secutus est celeberrimus ille inter Christianos doctor Origenes Adamantinus (185—254), qui ea sapientiae laude claruit, ut non Christianorum modo iuvenes, sed et ipsi gentilium philosophi ad excipiendas eius institutiones frequentissimi confluerent. Inter eos, qui post Origenem floruerunt, imprimis nominandi sunt S. Anatolius (usque ad annum 280 Laodicaeae episcopus), qui in rebus mathematicis bene versatus, a Platone deficiens primus Aristotelem Alexandriae praelegit; Arnobius († 327), Lactantius († 325), Eusebius (270—340), S. Augustinus cum plerisque S. Ecclesiae Patribus, qui fere omnes hanc philosophandi normam tenuerunt. Logica Aristotelis breviter exposita est a Clemente Alex., et posteriore tempore a S. Joanne Damasceno, Isidoro Hispalensi.

Nec deerant, qui a religione Christiana alieni ad veteres philosophos, praecipue ad Platonem, ut omnis sapientiae fontes, redeundum esse duxerint.

34. Ex Neoplatonicis imprimis nominandus est Plotinus (204 ad 269), qui experientiam omnem sensilem omnino negligendam esse putavit; hanc nihil exhibere nisi vana phaenomena, quibus tamen nos ad cogitandum excitaremur. Mentis intuitu immediato ideam boni, a Platone laudatam, νοῦν divinum esse vidit, ex quo ideae omnes sive substantiae emanarent, ita tamen, ut quae vocarentur genera, species, in illo manerent subsistentes. Ex istis qualitates emanare pure spirituales, quarum combinatione orirentur ea, quae nos putaremus esse corpora. In dialectica Platonem secutus est. Admisit tamen logicam Aristotelicam ut artem adiutricem et partem philosophiae praestantissimam, quae principia sua hauriret ex solo νοῦ, nec ullo modo ex sensibus [1].

Facultatum cognoscitivarum distinguunt Neoplatonici genus duplex, superius et inferius. In superiore sunt intellectus (νοῦς), ratio (λόγος), sensus interior sive cogitativa (διάνοια); in inferiore sensus externi.

Inter Plotini discipulos notissimus est Malchus (vel hoc nomine ex lingua Syriaca in Graecam verso) Porphyrius, Bataneae, quae est in Judaea civitas, natus anno 232 p. Chr. n. (mortuus circa annum 304). Qui quum magistrum suum Plotinum philosophiam Aristotelis et magis etiam Platonis omnino assecutum esse putaret, aphorismos scripsit de systemate Plotiniano; praeterea libros septem περὶ τοῦ μίαν εἶναι τὴν Πλάτωνος καὶ Ἀριστοτέλους αἵρεσιν; et commentarios in aliqua Platonis et Aristotelis scripta. Maxime autem inter

[1] Cfr. Zeller, Phil. der Griechen III. b, p. 607.

Porphyrii libros celebratum est opusculum, cui titulus: Εἰσαγωγὴ εἰς τὰς (Ἀριστοτέλους) κατηγορίας (περὶ γένους καὶ εἴδους καὶ διαφορᾶς καὶ συμβεβηκότος). Discipulum in rebus mathematicis habuit Chrysaorium. Qui quum Romae agens in Aristotelis categorias incidisset, neque earum intelligentiam assequeretur, a praeceptore tum temporis in Sicilia commorante per literas petiit, ut sibi hunc εἰσαγωγικόν in Aristotelis categorias conscriberet. Dicit Porphyrius de quinque quae vocantur praedicabilibus sive universalibus, ut ea ad reliquas logicae partes conducunt. Quae autem de universalibus dicit, praeclara sunt [1]. Eam controversiam, quae inter Platonicos et Aristotelicos posteriore tempore vehementer exarsit (utrum videlicet universalitas conceptuum universalium sit in ipsis rebus, an exoriatur in mente quidem nostra, sed ex rebus, an vero exoriatur ex solis mentis nostrae visceribus sive in vocibus sive in conceptibus), plane omisit. Dicit enim ipse: „Genera et species utrum in rerum natura sint, an in solis nudisque conceptibus collocentur, et utrum corporea sint, an corporis expertia; et utrum separata sint, an in ipsis sensilibus et circa haec consistentia, dicere nunc omittam.“ [2] Et quamvis Porphyrius ipse non solum magicarum artium superstitionibus deditus, sed etiam Christianae religionis impudentissimus oppugnator fuerit, tamen illa ad categorias introductio a Porphyrio conscripta in omnibus fere scholis Christianis initio explicabatur. Sicut enim, ut observant Conimbricenses [3], gens Hebraea Aegyptiorum auro (spretis deorum imaginibus, quae in eo expressae erant), ita Christiana philosophia aliorum quorumlibet, etiam adversariorum doctrinis (si tamen nihil a vero alienum habent) libenter ditescit. Quo etiam pertinet illud S. Augustini: „Philosophi qui vocantur, si quae forte vera et fidei nostrae accommodata dixerunt, maxime Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tamquam ab iniustis possessoribus in usum nostrum vindicanda.“ [4]

Aliqua Neoplatonicorum praecepta cum doctrina Christiana conciliare studuerunt Origenes, S. Gregorius Nyssenus. Ad systema Neoplatonicorum pantheisticum omnino regressus est Scotus Erigena.

35. Joannes Scotus Erigena (fuit saec. nono) censuit obiecta conceptuum universalium, velut „homo in communi“, realiter existere ut universalia eo modo, quo id placuerat Neoplatonicis.

„Et per hoc intelligitur, inquit, quod ars illa, quae dividit genera in species, et species in genera resolvit, non ab humanis machinationibus sit facta, sed in natura rerum ab auctore omnium artium, quae vere artes sunt, condita,

---

[1] Contra iudicat Prantl, qui Porphyrium vocat, „den bei weitem einflussreichsten Verderber der Logik für die ganze folgende Entwicklung; es wäre besser gewesen, inquit, wenn vom vierten Jahrhundert an zunächst durchaus keine Logik betrieben worden wäre, als dass man in den Schlamm der verstandlosen Producte des Porphyrius sich versenkte“. Geschichte der Logik tom. 1 p. 626.

[2] Ita in praefatione.

[3] Commentarii in dialecticam Aristotelis, Prooem. in isagogen Porphyrii.

[4] L. 2 de doctr. Christ. c. 40.

et a sapientibus inventa et ad utilitatem solerti rerum indagine usitata."[1] „Habitus vero οὐσίας, generis et speciei est virtus ipsa immobilis, per quam genus, dum per species dividitur, in seipso semper unum individuumque permanet, et totum in speciebus singulis, et singulae species in ipso unum sunt."[2] „Omnia siquidem, quae locis temporibusque variantur, corporeisque sensibus succumbunt, non ipsae res substantiales vereque existentes, sed ipsarum rerum existentium quaedam transitoriae imagines et resultationes intelligendae sunt."[3] Processum cognitionis eodem fere modo sicut Plotinus distinguit duplicem, unum, quo sensu externo excitati per sensum interiorem atque ratiocinia ascendamus ad intellectus intuitionem „gnosticam", qua cognoscatur Deus, ex quo cognito per alterum processum descendamus iterum ad obiecta sensuum[4]. Sed homini notitias omnium rerum innatas esse voluit Erigena. Et quoniam notitias idem plane esse dixit atque ipsas res, etiam res omnes homini innatas esse contendit[5].

Tempore medii aevi Erigenam aliqua ratione secuti sunt illi, qui vocantur Ultra-realistae, qui docebant, conceptum „entis" in communi acceptum, atque etiam conceptus omnes universales extra intellectum realiter esse ut entia actualia. Ex Erigena etiam Nicolaus Cusanus, Giordano Bruno nonnulla placita didicisse videntur.

36. Logica apud antiquos philosophos a philosophia peripatetica discrepantes. Multi sunt, qui a philosophia peripatetica decurrentibus saeculis dissenserunt variatis admodum inter se sententiis. Quorum placita quum suis quaeque locis data occasione indicanda sint et refutanda, hoc loco eos nominare satis est.

Epicurus Samius (341—270) anno 306 Athenas venit, ibique in horto scholam propriam instituit. Neglecto omni rerum studio, quod non ad commoditatem utilitatemque vitae referri posset[6], criterium veritatis in sensibus a natura datis et in sensuum repraesentationibus et affectibus reposuit.

De Epicuro Cicero: „Tollit definitiones, nihil de dividendo et partiendo docet, non quomodo efficiatur concludaturque ratio, tradit; non qua via captiosa solvantur, ambigua distinguantur, ostendit; iudicia rerum in sensibus posuit."[7] Quapropter omnem sensuum perceptionem evidentiam (ἐνάργειαν) vocabat, atque etiam ipsis insanorum imaginationibus et visis in somno verum subesse

---

[1] Cfr. Stöckl, Geschichte der Philosophie des Mittelalters. Mainz 1864. tom. 1 p. 58.

[2] De divisione naturae (ed. Migne) l. 1 c. 25.

[3] Op. cit. l. 5 c. 25 p. 914.

[4] De divisione naturae l. 2 c. 23 p. 573 sqq.; Stöckl l. c. p. 81.

[5] Op. cit. l. 4 c. 8 p. 773 sqq.; c. 9 p. 780 sqq.

[6] Ἐπίκουρος ἔλεγε τὴν φιλοσοφίαν ἐνάργειαν εἶναι λόγοις καὶ διαλογισμοῖς τὴν εὐδαίμονα βίον περιποιοῦσαν. Sext. Empir. adv. math. XI. 169. Cfr. Cic. l. 1 de fin. 21, 71.

[7] De fin. l. 1 c. 7; cfr. l. 2 c. 6; Diog. Laërt. X. 31, 32.

statuebat[1]. Et omnem eam opinionem veram esse dicebat, quae nulla sensuum perceptione redargueretur. Logicae substituit disciplinam paucas et breves regulas sive κανόνας complectentem, quam canonicam vocavit[2], qua sensus sensilisque perceptio statueretur ut unicum veritatis criterium doceretur que, quomodo repraesentationibus sensuum, variis opinationibus, positionibus ad vitam beatam et iucundam perveniri posset. Si sensus non admitteretur ut veritatis criterium, nullum admitti posse dixit, quum cognitio rationalis esset multo obscurior et sensilem supponeret. Sensus non nuntiare nobis, quid sint res, sed tantum impressiones, quae a rebus in organis nostris efficerentur, et has semper veras esse[3].

Sensuum testimonium neque ab intellectu, neque ab ipsis sensibus erroris convinci posse. Repetitis sensationibus conceptum (πρόληψιν) effici, qui nihil esset, nisi imago sensilis rei sensu perceptae atque in memoria retentae; ex conceptibus sola natura duce cogitationes varias oriri; has tamen nihil esse nisi incertas opinationes, quarum veritas in multis rebus per experientiam sensilem comprobari posset, velut quum turris nobis e longinquo rotunda appareret, et nos eam postea ex propinquo revera rotundam experiremur.

Eo differunt Epicuri placita a sententia Democriti, quod hic sensus, quum sibi non solum testimonium de apparentiis, sed etiam de rebus (non de his solum, quae nobis apparerent, sed de his, quae extra nos revera essent vel fierent) vindicarent, per se fallaces esse dixit; Epicurus, quum sensus solas apparentias nobis referre velle diceret, eos ne per accidens quidem umquam fallere asseveravit.

Scientiam omnem artemque sprevit Epicurus praeter eam, quae ad vitae usum et commoditatem aliquid efficere posset. In rerum dumtaxat physicarum notitia plurimum posuit, quia videlicet rerum naturalium cognitione a religione, a metu mortis et deorum liberaremur[4]. In statuendo Atomismo Democritum est secutus[5].

37. **Sceptici** qui vocantur, in quaerendo opinantur manendum esse et ab omni cognitione certa abstinendum atque ita ad quietem animi perveniendum.

Scepticismi auctor fuit Pyrrho Elide natus (fuit 360—270 a. Chr.). Dixisse fertur nihil honestum vel inhonestum neque iustum neque iniustum, neque verum

[1] Sext. Empir. adv. math. VII. 203, 216, VIII. 63.

[2] Canonicam Epicuri aliquid emendavit et in ordinem redegit Petr. Gassendi, de quo dicendum erit postea.

[3] Zeller, Op. cit. p. 388.

[4] Cic. l. 1 de fin. 19, 63. Diog. Laërt. X. 82, 85, 87, 112. Cfr. Zeller, Op. cit. p. 383.

[5] De diversitate inter doctrinam Epicuream et Stoicam cfr. Sanseverino, Log. Vol. 4 p. 165.

neque falsum [1]. Difficultatibus indissolubilibus irretiri eum, qui vel aliquid pro re certa asseverasset. Derisus a praesentibus, quum a cane territus post arborem recessisset, difficile esse dixit, hominem penitus exuere. Et admiratione Democriti ductus Pyrrho ad Scepticismum pervenisse videtur.

Discipulos habuit Philonem Atheniensem, Nausiphanem, praecipue vero Timonem Phliaeum (325—235 a. Chr.).

Timon ut plurimum versatus Athenis et Chalcedone artem medicam videtur esse professus; quum σίλλοις maxime clareret, dictus est sillographus. Secutus Pyrrhonem docuit, quum res omnes tot tantisque mutationibus subiicerentur, nihil prorsus, quod vel sensu vel intellectu perciperetur, certum esse; etsi de „apparentiis dubitandum non esset" [2]. Illi ergo, qui ad veram animi quietem pervenire vellet, ab omni mentis assensu certo abstinendum esse [3]. Necesse tamen esse, ut ad tria animum adverteret, quomodo res essent, quae esset rerum ad se relatio, quae inde nascerentur consequentia [4].

Posteriore tempore Aenesidemus Gnossius Scepticismum instauravit. Is ut ostenderet τἀναντία περὶ τὸ αὐτὸ ὑπάρχειν, primo posuit τἀναντία περὶ τὸ αὐτὸ φαίνεσθαι. Itaque Scepticismo abusus est ut argumento, quo probaretur sententia Heracliti. Decem sunt modi (τρόποι vel λόγοι), quibus scepticismum defendere conatus est; quos suo loco indicabimus.

Aenesidemum satis multi ex Empiristis (quo nomine tunc temporis vocabantur medici) secuti sunt, qui decem illos modos ad duos revocarunt. Inter hos eminent Agrippa, Menodotus, praecipue vero Sextus, a se nominatus „medicus methodicus", ab aliis empiricus (200 p. Chr.). Scripsit is libros tres Pyrrhonianarum institutionum, in quibus quid esset Scepticismus, exposuit, et undecim libros adversus mathematicos, in quibus Dogmaticos, i. e. eos, qui res plurimas omnino certas esse volebant, multis argumentis refellere conatus est. Imprimis ipsum argumentationis genus aggressus est atque etiam principium causalitatis. Omnem dixit argumentationem supponere id verum esse, cuius veritas probanda esset. Causalitatem vero rebus relativis annumerandam esse, quae apparerent quidem nobis propter nostram cogitationem, non tamen sic essent in se ipsis.

38. Peripatetici posterioris temporis. Galenus medicus (131 ad 200 p. Chr. n.) quum in rebus metaphysicis ad dubitandum in-

---

[1] Refert Diog. Laërt. IX, 61: Οὐδὲν γὰρ ἔφασκεν (sc. ὁ Πύῤῥων) οὔτε καλὸν οὔτε αἰσχρὸν οὔτε δίκαιον οὔτε ἄδικον· καὶ ὁμοίως ἐπὶ πάντων μηδὲν εἶναι τῇ ἀληθείᾳ, νόμῳ δὲ καὶ ἔθει πάντα τοὺς ἀνθρώπους πράττειν· οὐ γὰρ μᾶλλον τόδε ἢ τόδε εἶναι ἕκαστον. Cfr. Ritter et Preller, Historia philosophiae Graecae et Romanae ex fontium locis contexta. Gothae 1869.

[2] Τὸ μὲν ὅτι ἐστὶ γλυκὺ οὐ τίθημι, τὸ δὲ ὅτι φαίνεται ὁμολογῶ. Diog. Laërt. IX, 103.

[3] . . . διὰ τοῦτο οὖν ἐν μὲν τοῖς δοξαστοῖς ἀταραξίαν τέλος εἶναί φαμεν τοῦ Σκεπτικοῦ. Sext. Empir. Hyp. Pyrrh. I, 30. L. c. p. 338.

[4] Aristocles ap. Euseb. Pr. Ev. XIV, 18. „ὁ δὲ . . . Τίμων φησὶ δεῖν τὸν μέλλοντα εὐδαιμονήσειν εἰς τρία ταῦτα βλέπειν, πρῶτον μὲν ὁποῖα πέφυκε τὰ πράγματα, δεύτερον δὲ τίνα χρὴ τρόπον ἡμᾶς πρὸς αὐτὰ διακεῖσθαι, τελευταῖον δὲ τί περιέσται τοῖς οὕτως ἔχουσιν." L. c. p. 334.

clinaret, maximopere contendit, res logicas mathematicorum more tractandas esse.

Hoc studio adductus videtur esse, ut doctrinam Aristotelicam de figuris syllogisticis paulo ampliaret. Causam instrumentalem a quattuor ab ARISTOTELE positis causis omnino distinctam esse voluit. De cetero Stagiritam fideliter est secutus. Quum autem de relatione Deum inter et mundum cogitaret, suspicando ad Stoicorum placita accessit.

Eodem fere tempore ALEXANDER fuit Aphrodisiensis, qui ARISTOTELIS interpres fidelissimus, accuratam posuit inter methodum analyticam atque syntheticam distinctionem. Criterium deinde veritatis in sensu hominum communi reponendum esse censuit.

Id sibi proprium habet ALEXANDER, quod magnopere effert realitatem rerum singularium; quo factum est, ut nonnullis res singulares in omni ordine rebus universalibus anteponere visus sit.

39. S. AUGUSTINUS (354—430) quum plurima scripsisset de rebus theologicis, etiam res philosophicas maximo in pretio habuit[1]. Adversus Academicos scribens, cognitionem veritatis nobis ad vitam beatam esse necessariam ostendit. Quum initio aliquid Scepticismo moderatiori inhaesisset, nunc acriter Academicos confutavit, ex eo proficiscens, quod aliqua certitudo iam ipsa cogitatione et dubitatione adstrueretur, inde quod me vivere persentiscerem, me esse posse certum, me etiam revera esse. Quinimmo „mihi certissimum est, quod ego sum“[2]. Et saepe se cognitione sui ipsius et Dei contentum esse dixit[3]. Libere permisit omnes inquisitiones philosophicas ab aliqua dubitatione exordium capessere; non quidem vera, sed ficta[4]. De philosophis Graecis praeclarum tulit iudicium[5] et praecipue erga PLATONEM bene affectus erat, cuius philosophiam interdum impensius laudavit. Cuius quidem laudis eum postea nonnihil poenituit. „Laus quoque ipsa, inquit, qua PLATONEM vel Platonicos seu Academicos philosophos tantum extuli, quantum impios homines non oportuit, non immerito mihi displicuit,

[1] De quaestionibus philosophicis egit in libris, quos scripsit adversus Academicos, deinde in libris de quantitate animae, de ordine, de immortalitate animae, de vita beata; deinde in Soliloquiis. In scholis medii aevi diu recepta erat „Dialectica“ quaedam, nomine S. AUGUSTINI insignita, quam alii auctori alii attribuunt, alii genuinum S. AUGUSTINI opus esse censent.

[2] L. 3 c. Academ. c. 26; De vita beat. c. 7; L. 2 Soliloqu. c. 1; L. 2 de lib. arbitr. c. 7; De vera relig. 73; L. 10 de Trinit. c. 14; l. 14 c. 7; L. 6 Confess. c. 7.

[3] Solil. I, 7. [4] Hac de re confr. KLEUTGEN, Philos. der Vorzeit. n. 246.

[5] Cfr. Inter alios locos l. 8 de civit. Dei c. 2.

praesertim quorum contra errores magnos defendenda est Christiana doctrina." [1]

40. Boëthius (Anicius Manlius Torquatus Severinus Boëthius) (470—525) in sua philosophia placita Platonica, Aristotelica atque etiam Stoica complexus, sibi proposuit, ut scripta omnia Platonis et Aristotelis in linguam latinam verteret ostenderetque horum in rebus omnibus concordiam.

Interpretatus est autem tantum scripta logica, etiam „isagogen" Porphyrii. Librum de interpretatione reddidit bis, semel pro incipientibus, et deinde pro cultioribus. Qui libri omnes in scholis adhiberi soliti sunt.

Praeterea ex commentatoribus nominandi sunt: Simplicius (circa annum 552), homo eruditissimus, qui commentarium scripsit in categorias refertum notitiis historicis. Doctrinam quod attinet, ut plurimum Iamblichum secutus est.

Ioannes Grammaticus Philoponus (Simplicii aequalis) Christianam religionem professus, qui commentarios composuit in omnes fere libros logicos.

Accedunt: S. Ioannes Damascenus, qui inter alia scripsit: Capita philosophiae, quibus exhibetur dialectica sumpta ex Aristotelis organo. Michael Psellus (nat. 1020), Ioannes Italus (ὕπατος φιλοσόφων), Michael Ephesius, Eustratius (1100—1150).

41. Quum imperium Romanum in occidente a barbaris gentibus deletum esset, fere ubique artes etiam et disciplinae neglectae sunt. In nonnullis tantum monasteriis studium philosophiae perduravit. In his scholis adhibebatur logica Aristotelis a Boëthio in latinam linguam translata, praemissa introductione Porphyrii. Legebantur quoque libri, quos de rebus philosophicis scripserunt Cicero et Seneca.

Carolus autem Magnus, quum litterarum studia resuscitare vellet, eius generis scholas augendas curavit; et publicas in monasteriis, in episcopalibus domibus, in proprio palatio scholas instituit, in quibus philosophia simul cum ceteris disciplinis et clericis et saecularibus traderetur. In his autem instituendis et multiplicandis scholis imperatori summo auxilio fuit Alcuinus (726 ad 804), Venerabilis Bedae discipulus. Qui scripsit tractatus de septem disciplinis et de dialectica. Rabanus Maurus, Alcuini discipulus, hanc sui magistri dialecticam per scholas Germaniae propagandam curavit.

Heiricus Auxoniensis (Eric d'Auxerre, 834—881) contra errores Neoplatonicos a Scoto Erigena propositos surrexit negavit-

---

[1] L. 2 Retract. c. 1 n. 4. Cfr. Sanseverino, Log. Vol. 1. p. 48.

que rerum genera et species esse res in se extra mentem subsistentes[1].

„Sciendum est, inquit, quia propria nomina primum sunt innumerabilia, ad quae cognoscenda intellectus nullus seu memoria sufficit. Haec ergo omnia coarctata species comprehendit et facit primum gradum, qui latissimus est, scilicet, *hominem, equum, leonem,* et species huiusmodi omnes continet. Sed quia haec rursus erant innumerabilia et incomprehensibilia (quis enim potest omnes species animalis agnoscere?), alter est factus gradus angustior, iamque constat in genere, quod est *animal, surculus* et *lapis.* Iterum etiam haec genera, in unum coacta nomen, tertium fecerunt gradum arctissimum iam et angustissimum, utpote qui uno nomine solummodo constet, quod est usia.“[2] „Tria sunt, quibus omnis collocutio disputatioque perficitur: res, intellectus, et voces. Res sunt, quas animi ratione percipimus, intellectuque discernimus: intellectus vero, quo ipsas res addiscimus; voces, quibus quod intellectu capimus, significamus. Praeter haec autem tria est aliud quiddam, quod significat voces: hae sunt litterae. . . . Rem concipit intellectus, intellectum voces designant, voces autem litterae significant. Rursus horum quattuor duo sunt naturalia, id est res et intellectus, duo secundum positionem hominum, hoc est voces et litterae . . .“[3] Heiricus Remigium et Hubaldum calvum monachos haeredes philosophiae suae reliquisse traditur.

Ioannes Roscellinus de Compendio (Compiègne), S. Anselmi in doctrina de SS. Trinitate adversarius, ab hoc arguitur, quod omnes substantias universales esse solos „flatus vocis“ dixerit[4] et hominem nihil esse nisi individuum. Quamobrem Roscellinus auctor illius erroris habetur, quem Nominalismum dicunt[5]. Nominalistis, quippe qui negent conceptus nostros ulla in rebus fundamenta habere, obiicit S. Anselmus: „Dialectici moderni nihil esse credunt, nisi quod imaginationibus comprehendere possint“[6].

Guilelmus Campellensis (de Champeaux, 1070—1120) exaggeratum Realismum professus esse videtur. „Erat is, ut Abaelardus[7] refert, in ea sententia de communitate universalium, ut eamdem essentialiter rem totam simul singulis suis inesse adstrueret individuis, quorum quidem nulla esset in essentia diversitas, sed sola multitudine accidentium varietas.“

„Homo quaedam species est, res una essentialiter, cui adveniunt formae quaedam et efficiunt Socratem; illam eamdem essentialiter eodem modo informant formae facientes Platonem et cetera individua hominis, nec aliquid est in

[1] Hauréau, Histoire de la philosophie scolastique. Paris 1872. tom. 1. p. 176; Stöckl, Gesch. der Philos. des Mittelalters. tom. 1. p. 129.

[2] Glossae in decem categorias, fol. 24, ap. Hauréau, op. cit. tom. 1. p. 194.

[3] L. c. p. 195. [4] S. Anselm. de fide Trinitatis c. 2.

[5] Cfr. Stöckl, op. cit. tom. 1. p. 136.

[6] De fide Trinitatis c. 2. 3. [7] Historia calamitatum c. 2.

Socrate (praeter illas formas informantes illam materiam ad faciendum Socratem), quin illud idem eodem tempore in Platone informatum sit formis Platonis. Et hoc intelligunt de singulis speciebus ad individua et de generibus ad species. Ubi enim Socrates est, et homo universalis ibi est, secundum totam suam quantitatem informatus Socrateïtate; quidquid enim res universalis suscipit, tota sua quantitate retinet, quidquid suscipit, tota sua quantitate suscipit.“ Ita de Guilelmo Abaelardus [1]. Ex his manifestum est, Ultra-realistas quasdam essentias universales fingere, quas singulis individuis totas essentialiter inesse credunt, ita ut individua solis accidentibus inter se distinguantur [2].

Realismum exaggeratum professi quoque sunt Adelardus de Bath, Anglus, Bernardus Carnotensis (Chartres), Guilelmus de Conchis (Conches), Gauterus sive Walterus de Mauretania (Gauthier de Mortaigne).

Contra Realismum exaggeratum insurrexit Petrus Abaelardus Palatinus (1079—1142), Roscellini discipulus, qui quum in multos errores lapsus esset, in doctrina de universalibus non satis clare locutus, a nonnullis Nominalistis est annumeratus. Genera esse docuit nonnisi in speciebus, et species in individuis [3].

Qui illo tempore Nominalismum defenderunt, minoris notae philosophi erant. Ex quibus aliqui apertis verbis conceptus universales et collectivos confundunt. Ita in libello, cui titulus: „De generibus et speciebus“, cuius auctor ignotus, quem tamen ante annum 1150 scriptum esse constat, legitur: „Speciem igitur dico esse non illam essentiam hominis solam, quae est in Socrate vel in aliquo alio individuorum, sed totam illam collectionem ex singulis aliis huius naturae coniunctam. Quae tota collectio, quamvis essentialiter multa sit, ab auctoritatibus tamen una species, unum universale, una natura appellatur, sicut *populus*, quamvis ex multis personis collectus sit, unus dicitur.“ [4]

42. Non deerant illo tempore, qui Nominalismo moderationem adhibentes, universalitatem non in nominibus, sed potius in con-

---

[1] Oeuvres inéd. p. 512 sqq. Cfr. Ioann. Saresb., Metalogicus l. 2. c. 17. Hauréau, op. cit. p. 327. Stöckl, op. cit. p. 141.

[2] Neque deerant, qui hac ratione mysterium SS^{mae} Trinitatis explicare vellent. „Robert Palleyn, se demandant quelle peut être l'opinion des philosophes sur les personnes divines, introduit un dialecticien sur la scène et l'interroge: celui-ci répond aussitôt: Species est tota substantia individuorum, totaque species eademque in singulis reperitur individuis: itaque species una est substantia, eius vero individua multae personae et hae multae personae sunt illa una substantia.“ Hauréau l. 1 p. 327.

[3] Iudicat Stöckl: „Man hat den Abälard unter die Kategorie der Nominalisten gestellt; allein es fehlt nicht an Andeutungen in seinen Schriften, welche ein realistisches Gepräge haben; jedoch so, dass er sich von der excessiv realistischen Anschauungsweise fern hält.“ Geschichte der Philosophie des Mittelalters. tom. 1. p. 222.

[4] Ap. Cousin, Oeuvres inéd. d'Abélard. p. 527.

ceptibus inesse dicerent, ita tamen, ut haec conceptuum universalitas ex sola mente sive ex formis subiectivis menti innatis oriretur, neque ulla haberet in rebus extra existentibus fundamenta. His annumerandus videtur IOSCELLINUS Suessionensis (Soissons), ABAELARDI aequalis[1].

GILBERTUS Porretanus (de la Porrée, † 1159) conceptus universales ut universales in mente tantum nostra inesse dixit, eos tamen in rebus fundamenta habere. Quae fundamenta in conformitate formarum essentialium rebus insitarum cum idea divina, quae rerum creatarum esset exemplar, quaerenda esse putavit.

De quo refert IOANNES Saresberiensis: „Porro alius, ut ARISTOTELEM exprimat, cum GILBERTO episcopo Pictaviensi universalitatem formis nativis attribuit, et in earum conformitate laborat. Est autem forma nativa originalis exemplum et quae non in mente Dei existit, sed rebus creatis inhaeret. Haec Graeco eloquio dicitur εἶδος, habens se ad ideam ut exemplum ad exemplar; sensibilis quidem in re sensibili, sed mente concipitur insensibilis; singularis quoque in singulis, sed in omnibus universalis.“[2] „Dicuntur, inquit GILBERTUS, multa subsistentia unum et idem, non naturae unius singularitate, sed multarum, quae ratione similitudinis fit, unione. . . . Diversae subsistentiae, ex quarum aliis homines, et ex aliis equi, sunt animalia, non imitationis vel imaginaria, sed substantiali similitudine ipsos, qui secundum eas subsistunt, faciunt esse conformes. . . . Diversae substantiae, quae una sunt species, quarum alia Cato, alia Cicero homo est, eosdem substantialiter faciunt similes.“ Deinde dicit, numeralem rerum diversitatem non effici dissimilitudine accidentium, sed probari. „Universalia ab ipsis individuis humana ratio quodammodo abstrahit, ut eorum naturam perspicere et proprietatem comprehendere possit. . . . Genus nihil aliud putandum est nisi subsistentiarum secundum totam earum proprietatem, ex rebus secundum species suas differentibus similitudine comparata collectio. Qua similitudinis comparatione omnes illae subsistentiae dicuntur unum universale, unum dividuum, unum commune, unum genus, una eademque natura.“[3]

Sed ne GILBERTUS quidem, quum in quibusdam dicendi formulis obscurius quam incautius locutus esset, aliquorum Nominalismi saltem moderatioris sive mentalis accusationem non effugit.

IOANNES Saresberiensis (Salisbury, 1120—1180) vehementer invectus est in „cornuficios“ (ita per ludibrium nominabantur dialectici sophistici illius temporis) multumque in scientia commendavit academicam modestiam. Contra Nominalistas statuit: „Uni-

[1] HAURÉAU, op. cit., STÖCKL p. 145. Et his etiam aliqui annumerant ABAELARDUM. Ita IAC. THOMASIUS: „Ruentem praeceptoris (ROSCELLINI) causam sustinuit PETRUS ABAELARDUS, proque flatu vocis substituens conceptus significatos, tamquam novo tibicine subiecto, non infeliciter fulcire visus est.“ De doct. schol. dissert hist. Lipsiae 1676.

[2] Metal. l. 2 c. 17. [3] In libr. BOETH. de dual. nat. p. 1263, 1374.

versalia et res dicuntur esse, et plerumque simpliciter esse, sed non ob hoc aut moles corporum, aut subtilitas spirituum, aut singularium discreta essentia in iis attendenda est."[1] Contra Ultrarealistas: „Omne quod homo est, iste vel ille est, i. e. res singularis est. . . . Res sibi conformes sunt, ipsamque conformitatem, deducta rerum cogitatione, perpendit intellectus"[2].

43. **Philosophi Arabes et Iudaei.** Iniquitas temporum per complura saecula id effecerat, ut inter Christianos artes et disciplinae non ea diligentia et amplitudine, quae exoptanda erat, colerentur. Exul quasi Romano imperio philosophia apud Arabes, qui sub finem saeculi octavi et initium noni subactis quam plurimis in Asia, Africa, Hispania provinciis amplissimum dominatum sunt adepti, asylum invenit. Almaimonis tum regni gubernacula tenentis cura ac sollicitudine effectum est, ut litterarum studium in populo ceteroquin inculto nonnihil efflorescerert. Atque ita saeculo octavo ab aliquibus medicis philosophia Aristotelica ad Arabes translata est[3].

Inter Aristotelicos Arabes praecipui erant Alkendi (circa annum 825), Alfarabi († 950), Avicenna (Ibn Sina, 980—1037). Et Avicenna quidem posuit „omnium rerum sensibilium intelligibiles species non quidem per se subsistere absque materia, sed praeexistere immaterialiter in intellectibus separatis, a quorum primo deriventur huiusmodi in sequentem et sic de aliis usque ad ultimum intellectum separatum, quem nominat intellectum agentem, a quo, ut ipse dicit, effluunt species intelligibiles in animas nostras et formae sensibiles in materiam corporalem."[4]

In Hispania docuit Avempace (Ibn Badia, † 1138). Qui dixit: „Quod quum dicitur, quod puer in potentia est sciens, ibi triplex est potentia. Una, qua puer est in potentia ad formas imaginationis; secunda, qua formae imaginationis sunt in potentia ad lumen agentis; tertia, qua intellectus possibilis est in potentia ad formas separatas a lumine agentis."[5]

Algazeli (1058—1111), quum phantastico cuidam Mysticismo indulgeret, doctrinas logicas proposuit, ut eas vanas esse ostenderet et ad Scepticismum ducentes. Librum scripsit, cui titulus „Destructio philosophorum", adversus quem Averrhoes composuit „Destructionem destructionis".

Averrhoes (Ibn Roschd, 1126—1189), „commentator", omnium rerum ab homine scibilium scientiam in uno Aristotele contineri arbitratus est. In „organum" scripsit commentarios simplices, medios, magnos.

---

[1] Metalog. l. 2 c. 20. [2] Ibid.

[3] De doctrina logica scholae Arabicae, quae dicitur „fratrum puritatis" (ihwan as-safer), videsis Diterici, Logik und Psychologie der Araber im 10. Jahrhundert. Lipsiae 1868.

[4] S. Thom., Summ. theol. I. q. 84 a. 4.

[5] Albertus Magnus, De unitate intellectus c. Averrh. c. 5. Cfr. S. Thom., Summ. c. gent. l. 3 c. 41.

44. Neque silentio praetereundi sunt, qui ex Iudaeis rebus logicis navarunt operam, saltem praecipui. Saeculo octavo inter Iudaeos ortae sunt sectae duae, quarum prior Rabbanitarum sive orthodoxorum vel Talmudistarum placitis philosophicis antiquitus traditis (Talmud) caeco modo inhaeserunt; altera Caraïtarum sive Caraeorum traditionem omnem reiecerunt. Hi ab Anan, qui sectae caput erat, etiam Ananii sunt vocati. A Rabbanitis distinguendi sunt Cabbalistae, qui dogmatis secretioribus et arcanis inhaeserunt, quae Cabbalam vocant. Doctrina Cabbalistica, quae in libris Iezirah et Sohar est tradita, sicut in omnibus rebus philosophicis, ita etiam in logicis dogmata Neoplatonica est imitata, vel theosophica, i. e., ea, quae non satis distinguunt inter activitatem Dei et rerum creatarum.

Rabbanitae, quos etiam Talmudistas vocant, ut sese contra aggredientes Caraïtas defenderent, philosophiam Aristotelicam ab Arabibus excultam in auxilium vocarunt. Inter primos, qui hac in re excelluerunt, erat Moses Maimonides (Moseh ben Maimon vel Maimuni, 1135—1204).

Sed iam ad scholas Christianas est redeundum.

45. B. **Albertus Magnus** (1193—1280), ex familia Comitum de Bollstädt, in ordinem S. Dominici ingressus qualis fuerit, ex confessis cuiusdam heterodoxi, rationis humanae osoris, intelligi potest: „Ob amplitudinem omnifariae doctrinae Magnus dictus fuit, in omni philosophia peripatetica peritissimus. Hinc et a plerisque ‚Simia Aristotelis' appellatus est. Qui nimirum vino saecularis scientiae ebriatus sapientiam humanam, ne dicam philosophiam profanam, divinis litteris copulare ausus est, quique dialecticam contentiosam, spinosam et garrulam sacratissimae et purissimae non timuit permiscere theologiae, novum et philosophicum modum sacras docendi et explanandi litteras suis tradens sequacibus, theologistarum sectae, quae ab eo Albertistarum dicitur, dux et monarcha excellens.“ [1]

Sicut in rebus naturalibus, ita etiam in logicis ex mente Aristotelis philosophatus est. Et sicut experientiam et scientiam empiricam, ita etiam dialecticam maximi habuit [2]. Illum excoluit Realismum moderatum, qui medium tenet inter Nominalismum et Realismum extremum. „Essentia uniuscuiusque rei dupliciter est consideranda. Uno modo videlicet prout est natura diversa a natura materiae sive eius, in quo est, quodcunque sit illud. Et alio modo prout est in materia sive in eo, in quo est individuata per hoc, quod est in ipso.

---

[1] Ita in Chronica Langii ad annum 1258; quam citat Tennemann, Gesch. der Philosophie.

[2] Commentarios scripsit de praedicabilibus, de decem praedicamentis, de sex principiis Gilberti Porretani, in libros Aristotelis de interpretatione, de syllogismo simpliciter, i. e. super priorum analyticorum librum, de demonstratione, i. e. in posteriorum analyticorum librum, super topicorum libros octo, super libros duos de sophisticis elementis. Et de aliis rebus philosophicis et theologicis plurima. Cfr. Io. Bach, Des Albertus Magnus Verhältniss zur Erkenntnisstheorie der Griechen, Lateiner, Araber, Iuden. Wien 1881.

Et primo quidem modo adhuc dupliciter consideratur. Uno quidem modo, prout est essentia quaedam absoluta in seipsa, et sic vocatur essentia, et est unum quid in se existens, nec habet Esse nisi talis essentiae, et sic est una sola. Alio modo, ut ei convenit communicabilitas secundum aptitudinem: et hoc accidit ei ex hoc, quod est essentia apta dare multis, etiamsi nunquam det illud, et sic proprie vocatur universale. . . . Per hanc igitur aptitudinem universale est in re extra, sed secundum actum existendi in multis non est nisi in intellectu. . . ." [1] Et admittit quidem universalia ante rem (in Deo), in re (formas ipsis rebus insitas), post rem (conceptus nostros). „Per hoc quod universale est in nostro intellectu, dupliciter consideratur, scilicet aut secundum relationem ad intellectum intelligentiae primae cognoscentis et causantis ipsum, cuius radius quidam est, aut secundum relationem ad intellectum per abstractionem cognoscentem ipsum . . ., quod talis intellectus, secundum quod abstrahit ipsum, agit in ipso universalitatem." [2]

46. S. **Thomas Aquinas** (1225—1274), magni Alberti discipulus, ea, quae a magistro suo didicerat, admirabili ingenii acumine ad praeclarissimum ordinem redegit.

Natus in castro „Rocca-sicca" regni Siciliae ineunte anno 1225 (sec. alios 1227) parentibus nobilissimis, scientiarum princeps praedestinatus videbatur. Sana ac sancta disciplina iam a prima pueritia institutus est. Puer enim quinque annorum Monachis O. S. B. in Monte Casino litteris et pietate informandus traditus, et puer decem annorum Neapolim ad universitatem a Friderico II. nuper conditam missus erat, in qua magistris usus est optimis in humanioribus Petro Hiberno, Martino in philosophicis. His studiis absolutis novum S. Dominici ordinem ingreditur Neapoli anno 1243.

At PP. Dominicani nimiam piae matris sollicitudinem metuentes Thomam Romam prius, indeque in Galliam miserunt, quo in itinere, matre iubente, a fratribus suis prope Aquapendente interceptus in paterno castello retinetur. Frustra omni arte tentatus, a sororibus in cista per fenestras dimissus, a Dominicanis Neapolim reductus, deinde Romam venit ad Ioannem Teutonicum magistrum generalem, qui Thomam Parisios secum duxit et postea Coloniae Alberto Magno erudiendum tradidit (1245). Albertus ante instaurationem Scholarum ad gradus accipiendos Parisios venit; quem quum sequeretur Thomas discipulus, ab illo eruditur per tres annos in Sententiarum Petri Lombardi explicatione. Albertus et Thomas Coloniam redeunt 1248 ad novam Ordinis scholam regendam. Hic Thomas iuxta decreta Ordinis per quinque annos philosophiam et S. Scripturam explicat. Anno 1252 Lovanii litem inter doctos viros excitatam, arbiter ab ipsis constitutus, composuit. Ex quo apparet, quanti iam tum temporis Thomas aestimatus sit. Nemo tamen eo tempore magis honorabatur, quam qui in dissertatione aulica lauream sibi comparaverit. Thomas igitur a superioribus ad gradus percurrendos Parisios missus est Baccalaureus in theologia Sententias P. Lombardi explicat (1253). Omitto tempestatem, quae mox contra Mendicantes Parisiis studiis operam navantes exoriebatur, ad quam supprimendam Thomae auctoritas multum valebat. Romam

[1] De intellectu et intelligibili l. 1 tr. 2 c. 2 p. 247 b sqq.

[2] De praedicabilibus tract. 2 c. 3.

enim missus Summo Pontifici apologiam pro ordine Mendicantium legit, i. e. opusculum contra impugnantes religionem. Dissensione composita sub finem anni 1256 Parisios revertit et „aulam suam" habuit de illis verbis: „Rigans montes de superioribus suis; de fructu operum tuorum satiabitur terra" (Ps. 103). Una cum S. Bonaventura „laurea magistrali" ornatus est. Per duos annos magister, „de veritate" docens, simul officio concionatoris functus est, cuius verba tamquam ex ore Dei excipiebantur. Anno 1261 in Italiam vocatus Romae, deinde Bononiae docuit. Hoc tempore „Summam contra gentiles", quam anno 1253 inceperat, ad finem perduxit. Abhinc in litterarum universitatibus modo Italiae modo Galliae „de fructu operum suorum" cum multis communicavit, claritate doctrinae scholares plus caeteris ad amorem sapientiae provocare videbatur, ubique terrarum ut „Stella matutina praeeminens in mundo, iubar in luce saeculi, luminare eius" celebrabatur. Inter alia multa, quae hoc vitae spatio scripsit, „Summae theologicae" maximam operam dabat, cuius primas nonaginta quaestiones partis tertiae, anno 1272 Neapolim vocatus, ipse absolvit. Mox a Gregorio X. ad concilium Lugdunense II. missus (1274), in itinere morbo correptus, in Monasterio Ordinis Cisterciensium Fossae-novae, ubi propinqui Thomae, Domini de Ceccano, conveniens hospitium impetrarunt, ut vir sanctissimus sanitati suae consuleret, vita cessit Nonis Martii, hora matutina diei sabbati, aetatis suae anno quinquagesimo inchoato, postquam in suscipiendo S. Viatico confessionem fidei publice emisit sic conceptam: „Sumo Te, pretium redemptionis meae, sumo Te, viaticum peregrinationis animae meae, pro cuius amore vixi, vigilavi et laboravi, praedicavi et studui. . . ."

Ut vero inter logicae doctores ad S. Thomam prae ceteris animum verteremus, non ideo factum est, quod multa variaque de logicis rebus separatim scripserit, sed potius quod ea, quae ab aliis acceperat, vel ipse dilucide exposuit, falsa a veris segregavit, accuratius definivit vel de aliorum scriptis logicis (praecipue Aristotelis) optime disseruit atque disputavit.

Opuscula certe genuina, in quibus D. Thomas de solis logicis rebus agit, sunt fere haec: „De ente et essentia", „De principio individuationis", „De quattuor oppositis", „De natura verbi intellectus", „De propositionibus modalibus", „De fallaciis". Multa quoque quam praeclarissime exposita in „Summa theologica" invenies, in eius „Summa contra gentes", in „Quaestionibus disputatis" et „Quodlibetis" atque etiam in „Commentariis ad quattuor sententiarum libros".

47. Philosophi reliqui aetatis mediae. S. Bonaventura (Ioannes de Fidanza, 1221—1274) nihil quidem de rebus logicis ex industria scripsit, praeclare tamen regulas logicas rebus metaphysicis applicavit. Ideas rerum et exemplar et rationes sic in Deo esse docet, quod idea importat causam efficientem conformem effectui, sed exemplar causam formalem, ratio vero causam finalem. „Sicut in mente artificis prius est forma rei, quam opus exeat, sic ideae rerum ante mundi constitutionem in mente Creatoris erant." [1]

[1] Compend. theol. verit. I. 25.

Rogerius Baco, Anglus (1214—1294), Ord. S. Franc. religiosus, Oxonii et Parisiis studiis vacaverat. Maximam apud omnes admirationem excitavit propter amplissimam suam in rebus physicis, chimicis, mathematicis, linguisticis eruditionem. Et gravius ille momentum posuit in acquirendis notitiis empiricis, quae tum passim negligebantur, quam in instituendis per syllogismos speculationibus subtilioribus, quae in omnibus scholis illius temporis maximopere aestimabantur. Qui si eo fuisset contentus, ut diceret, syllogismum non sufficere, quum de invenienda phaenomenorum naturalium explicatione ageretur, certe vituperatione dignus non esset. At videtur Rogerius studio novarum rerum abreptus etiam falsa docuisse; quo factum est, ut multos illo tempore offenderet.

Ioannes Duns Scotus (1275—1308), ex Anglia oriundus, Oxoniae et Parisiis philosophiae et theologiae se dedit. Doctrinae S. Thomae vehementius adversabatur, praecipue in doctrina de universalibus.

In hac re quoad loquendi modum ad placita Realismi exaggerati aliquid concessit. Dixit enim, universalia esse entitates, realiter existentes, quae a mentis conceptione nullo modo penderent. Universalia haec constituere entium essentiam; individua eo inter se discrepare docuit, quod universalibus quaedam positivae entitates supperadderentur, quibus universalia ad producendas individualitates distinctas determinarentur. Ita Socratem esse individuum eo, quod humanitati in Socrate addita esset Socrateïtas. Has igitur „haeccëitates“ esse individuationis principia.

48. Contra Realismum Scotisticum egerunt Petrus Aureolus († 1321) et Durandus († 1332), quorum prior ex Scotistarum schola profectus est, alter ex S. Thomae discipulis. Sed hi incautius locuti iterum Nominalismo viam aperuerunt.

Guilelmus Occam (1280—1343), qui Nominalismi auctor illo tempore fuerit, recte nominatur.

Intellectum eodem modo a rebus singularibus et materialibus species per influxum physicum accipere docuit, quo sensum. Eam ob rem non solum sensibus, sed etiam intellectui cognitionem intuitivam rerum materialium attribuendam esse. Universalia extra nostram mentem nullam plane existentiam habere inde potissimum deduxit, quod entia non essent multiplicanda praeter necessitatem. Omnem cognitionem esse omnino immediatam putavit, ita ut nulla plane species interveniret. Solas qualitates rerum a nobis cognosci posse, substantias autem ipsas nos latere. Ita nec animae humanae spiritualitatem, nec Dei existentiam a nobis ratione naturali cognosci posse, sed has et alias in hoc genere veritates ex sola fide Christiana teneri.

Nominalisticum errorem ab Occamo propositum inter alios secuti sunt: Buridanus, Petrus Alliacensis, Gabriel Biel.

Ioannes Buridanus († 1358), Occami discipulus, regulas posuit in logica ad inveniendum in syllogismo terminum medium, quae in scholis multum adhibe-

bantur. Notus quoque est suis de libertate humana disputationibus, in quibus in comparationem adducit asinum inter duos avenae modios omnino aequales collocatum et ex utraque parte tractum fame pereuntem. Petrus Alliacensis (Pierre d'Ailly, 1350—1425), Cameracensis Episcopus et Cardinalis, „destructiones modorum significandi" scripsit et „conceptus", et „insolubilia". Gabriel Biel (1430—1495) nihil aliud sibi proposuit, nisi ut „dogmata et scripta venerabilis praeceptoris Guilelmi Occam, veritatis indagatoris acerrimi, abbreviaret".

49. Contra Nominalistas Realismum moderatum pars maxima philosophorum sunt tuiti.

Inter quos eminent Gualtherus Burlaeus (Burleigh, 1275—1337), Ioannes de Bacon (Baconthorp, Ord. Carmel., † 1346), Averrhoïstarum princeps, specialis scholae caput, qui in multis rebus Averrhoem S. Thomae Aquinati anteposuit. Putavit ille Joannes, universale non sequi, sed praecedere actum intellectus, omnibusque hominibus infundi notitiam Dei ut donum supernaturale [1]. Praeterea Thomas de Argentina (Thomas de Strassburg), Ord. S. Augustini († 1357); Marsilius de Inghen († 1396), canonicus Coloniensis. Ex Dominicanorum familia praecipui sunt: Bernardus a Eannaco (Auvergne), Petrus de Palude († 1342), Ioannes Capreolus, Thomistarum princeps († 1444), Dominicus a Flandria († 1500), Sylvester Ferrariensis († 1525), Sylvester Prierias, Didacus Dega († 1523), Caietanus (Thomas de Vio).

Qui nominetur praeterea dignus est Raymundus de Sabunde, Hispanus, medicus († 1437), qui opinatus est, etiam mysteria fidei Christianae per logicam ex principiis naturalibus cognosci posse. In quo errore Raymundum Lullum (1234—1315) antecessorem habuit.

Tres fontes cognitionis Lullus agnoverat, primum „in magna arte" positum, ex quo veritas per solam visionem hauriretur, alterum in logica Aristotelica, atque tertium in re quadam media, quam „logicam novam" vocaverat. Unde ars Lullistica a multis probata, a pluribus reiecta ortum traxit. Quae est logica quaedam mechanica, et in eo consistit, ut ideae eodem fere modo atque numeri ad formandas propositiones componantur.

50. **Logica apud recentiores temporis philosophos.** Inter primos, qui in philosophia novas quaesierunt vias, numerandus est Nicolaus Cusanus (1401—1464), qui neglecta logica scholastica vestigiis Neoplatonicis insistens totum se dedit investigandae crisi cognitionis humanae.

Merito Ambrosium litaniis addidisse: „A dialecticis libera nos Domine." In omni facultate quaedam praesupponi ut principia prima docet, quae sola fide apprehendantur, ex quibus intelligentia tractandorum eliciatur. In scientia identitatem requiri inter „Esse" et „Cogitare"; cogitationem omnem mensuratione contineri, hanc ob rem disciplinas mathematicas praestantissimas esse, quibus omnia, quae sint, quoad id fieri possit, patefiant, non quidem directe, sed symbolice tantum; directe nos cognoscere nihil nisi coniecturaliter; quidditatem

[1] Hauréau, Histoire de la philosophie scolastique. tom. 3 p. 441.

enim rerum inattingibilem esse, et quanto in hac ignorantia doctiores fuerimus, tanto magis nos ad ipsam veritatem accedere. „Quid est mundus, inquit, nisi invisibilis Dei apparitio? Quid Deus nisi invisibilium invisibilitas?" Rationem in homine dicit esse facultatem sensitivam, quae sit media inter sensum et intellectum.

Nicolaum secuti sunt Iacobus Faber Stapulensis (Iacques le Fevre d'Etaples), Carolus Bovillus (Bouillé, 1470—1553; is tamen omissis illis loquendi formulis, quae Pantheismum sapiunt, ad philosophiam scholasticam est regressus). Giordano Bruno (ob turpissimum flagitium Venetiis captus † 1600) vestigia illa Neoplatonica, quae a Nicolao didicerat, in perfectum Pantheismum evolvit.

Fidem is „sensui" omnem denegandam esse docet; „cognitione rationali" sive discursiva attingi quaedam veritatis initia; altius ascendere „intellectum", qui cognoscat principia et summam rerum omnium unitatem, in qua opposita omnia unita sint. Sed supra intellectum ascendere „mentem", quae sit quarta cognitionis facultas atque veritatem perfecte intueatur vel potius veritatis umbram.

Platonis philosophiam instaurare conati sunt Georgius Gemisthus Plethus, Graecus, qui (1438) de Platonicae et Aristotelicae philosophiae differentia libellum scripsit, in quo Platonem extulit, Aristotelem depressit. Contra quem pro Aristotele scripsit Georgius Scholarius cognomento Gennadius libros, quibus Gemisthi errores Neoplatonici notati sunt. Neque minus Bessarion, quum philosophiam Aristotelicam et Platonicam componere studeret, Aristoteli anteposuit Platonem.

Marsilius Ficinus (1433—1499) Platonem summum omnium philosophorum laudavit, sed multa placita traxit ex philosophia Neoplatonica.

Intellectum formare seipsum dixit. „Et quoniam, si esset prorsus informis, seipsum formare non posset, necesse est, ante eas formas vel notiones, quas per omnem aetatem paene momentis singulis in se parit, latere in animae penetralibus formas alias animo naturales (species innatas) totidem numero, quot sunt in mundo rerum species creatarum, quibus possit formas illarum intelligibiles parere." [1] „Platonici omnes probant, in rationibus contemplandis divinam rationem tactu quodam mentis substantiali potius quam imaginario tangi, unitatemque mentis propriam Deo, rerum omnium unitati, modo quodam inexistimabili copulari." [2] „Neque aliud quidquam est, quod intelligere dicimus, quam ab intelligentia divina formari."

Ioannes Pico Mirandulensis (1463—1494), Ficini amicus vel discipulus, Platonismi et doctrinarum cabbalisticarum sectator extitit. Thesim proposuit: „Anima habet apud se rerum species, et excitatur tantum ab extrinsecis rebus."

---

[1] Theologia Platonica de animorum immortalitate l. 11 c. 3.

[2] Ibid. l. 12 c. 2.

Franciscus Patritius (1529—1597), Platonem sectatus, id sibi proposuerat, ut totam Aristotelis philosophiam ex scholis Christianis eiiceret. „Omnia, inquit, sunt in uno, sed uniter, et unum uniter est omnia, et unum est Unomnia. Omnia ergo in se praehabuit. Et quia erat bonum, ea de se proferre habuit necesse. Haec necessitas fecit voluntatem producendi, et voluntas necessitatem.“ Sed „unum in rerum secundarum productione non progreditur extra se, neque movetur“.

51. Hac aetate Aristotelici multi philosophiam Aristotelicam, ut in scholis tradebatur, reliquerunt et partim Averrhoem, partim Alexandrum Aphrodisiensem ut fideles Aristotelis interpretes secuti sunt; ita ut Ficinus ausus sit dicere: „Totus fere orbis terrarum a Peripateticis occupatus in duas plurimum sectas divisus est: Alexandrinam et Averrhoïcam.“

Haec inter Averrhoïstas et Alexandristas diversitas potissimum psychologiam spectat. Ut unum indicemus, docuerat Averrhoes, intellectum illum, quo anima humana active intelligeret res, esse separatum quiddam a corpore secundum Esse suum et unum pro omnibus hominibus[1]. Contra Alexander docuerat, intellectum illum multiplicari quidem cum singulis hominibus et esse aliquam in nobis virtutem. Quia vero intelligere non poterat, aliquam substantiam intellectualem esse corporis formam, posuit substantias quasdam separatas, quae continenter actu intelligerent, ex quarum influentia fieret, ut homines actu aliquid intelligerent. Id autem in homine, quo is esset potentia intelligens, consequi ex commixtione elementorum in corpore humano. Ex eius igitur sententia determinatus mixtionis humani corporis modus facit hominem esse in potentia ad recipiendam influentiam intellectus agentis. Id autem in homine, quo est potentia intelligens, est intellectus possibilis; et sic videbatur sequi, quod ex commixtione determinata in nobis fit intellectus possibilis[2].

Averrhoïsmus in Italia superiore, praecipue in schola Patavina invaluit auctoribus Urbano Bononiensi († 1403), Ord. Serv.; Paulo Venetiano († 1429), Ord. S. Aug.; Caietano Theatino († 1462), Canonico; Nicolleto Vernias († 1494). Averrhoïstis annumerari solent etiam Alexander Achillinus († 1518), optimae notae auctor; Marcus Antonius Zimara († 1532); Augustinus Niphus († 1546).

Alexandristarum caput est Petrus Pomponatius (1462—1524). Quem secuti sunt Simon Porta (vel Portius); Paulus Iovius († 1552); Casparus Contarenus († 1542); Ioannes Genesius Sepulveda († 1572); Iulius Caesar Scaliger (1484—1558).

Inter utramque scholam haeserunt dubii Iacobus Zabarella (1532—1589); Franciscus Piccolomini († 1604); Caesar Cremoninus († 1630).

Praeter has duas partes (Averrhoïsmum dico et Alexandrismum) ortus est, qui dicitur „Aristotelismus purus“, qui reiectis omnibus

[1] Cfr. S. Thom., Summ. c. gent. l. 2 c. 59.
[2] S. Thom., Summ. c. gent. l. 2 c. 62.

interpretibus, ARISTOTELEM ex se ipso intelligendum esse posuit. Cuius rei dux erat ANDREAS CAESALPINUS (1519—1603), qui tamen in Pantheismi errorem lapsus est saltem quoad dicendi modum.

Neque inter Aristotelicos deerant, qui omni ope et opera in componenda cum Platonicis pace laboraverint. Inter quos eminet LEONICUS THOMAEUS († 1533).

52. Etiam ex humanistis et philologis illius temporis primo contra terminos et nomina in philosophiae scholis adhibita, et deinde contra ipsam philosophiam scholasticam consurrexerunt; sed praecipue contra dialecticam. Hanc permultis rebus inutilibus onerari dixerunt. Quum autem logicam ab his additamentis supervacaneis liberare vellent, plurima etiam reiecerunt, quae ad hanc scientiam omnino sunt necessaria.

Inter hos eminent LAURENTIUS VALLA (1415—1457), qui scripsit dialecticas disputationes contra Aristotelicos; RUDOLPHUS AGRICOLA (1443—1485); LUDOVICUS VIVES Hispanus (1492—1540); MARIUS NIZOLIUS (1498—1576), qui neque dialecticam, neque metaphysicam a rhetorica diversam esse arbitratus est. Universalitatem omnem reperiri in solis nominibus. PETRUS RAMUS (DE LA RAMÉE, 1515—1572), quaecunque ab ARISTOTELE dicta essent, commentitia esse iudicans novum dialecticae systema proposuit. Dialecticam nihil aliud esse dicit, nisi virtutem disserendi, quae homini a natura propria sit.

53. In Germania apud Lutheranos initio philosophia, sicut omnis rationis humanae activitas, ingenti contemptui haberi coepta est. Ex quo tempore autem MELANCHTHON LUTHERO persuasit, theologiam in scholis tractari non posse omissa philosophia, neque ullam philosophiam fidei Christianae magis convenire quam Aristotelicam, a suscepto contra rationem humanam et ARISTOTELEM bello est cessatum. Et ipse quidem MELANCHTHON breves libellos secundum ARISTOTELIS doctrinam composuit, qui usque ad LEIBNIZII tempora in omnibus Germaniae academiis Lutheranis legebantur.

Et in tanta illa rerum varietate alii alios ex philosophis Graecis restituere conati sunt. Stoicos secutus est, quantum ab homine Christiano fieri potuit, IUSTUS LIPSIUS (1547—1606); EPICURUS amicum adeptus est PETRUM GASSENDI (1592—1655); CLAUDIUS BERIGARD (1592—1663) ad philosophos Ionicos regressus est. Neque deerant, qui duce MICHAELE DE MONTAIGNE (1533—1592) (cuius libellus: Essais de morale) ad Scepticorum de cognitione omni scientiaque desperationem redirent. Inter quos sunt praecipui PETRUS CHARRON (1541—1603) (cuius libellus: De la sagesse), et FRANCISCUS SANCHEZ (1562—1632), qui librum scripsit: „Quod nihil scitur."

Atque haec Scepticismi de cognitione omni desperatio etiam posteriore tempore nonnullorum animos infecit: Inter hos Blasius Pascalius (1623—1662) causam debilitatis humani ingenii ex peccato originali deduxit; hunc esse huius peccati effectum dixit, ut homo sine gratia supernaturali nihil prorsus cum certitudine cognoscere posset. Petrus Daniel Huetius (1630—1721) librum scripsit (Traité de la faiblesse de l'esprit humain), in quo omnia veterum Scepticorum, praecipue Sexti Empirici, argumenta adhibuit, quibus ostenderet nullam veritatem pro naturali mentis humanae constitutione sine revelatione et fide divina a nobis cognosci posse. Petrus Baylius (1647—1706) in libro „Dictionnaire historique et critique" de veritate qualibet, praecipue vero de rebus religionis naturalis et revelatae, argumenta inter se opposita collegit, quae permulta inter se destruerent; quo ostenderetur, nihil certi a nobis sciri posse. Simile quid suo tempore tentaverat Abaelardus in opusculo theologico: „Sic et non."

Neque non Theosophia quae vocatur Cabbalistica eo tempore multos amicos adepta est.

Inter hos nominandi sunt Ioannes Reuchlin (1455—1522), Cornelius Agrippa de Nettesheim (1487—1535), Franciscus Zorzi Venetianus (1460—1540). Apud quos omnes vanas Neoplatonicorum imaginationes per phantasiam in has vel illas imagines tractas reperies, et ingens odium logicae Aristotelicae.

Cum hac cabbalistica halucinatione studium rerum naturalium coniunxerunt Theophrastus Paracelsus (Philippus Bombastus, 1493—1541), Hieronymus Cardanus (1501—1576), Ioannes Bapt. de Helmont (1577—1644), Robert Fludd (1574—1637), alii.

54. Sed etiam ex philosophia reali lumina nova exoriebantur, quorum opinationes vanae pro rebus dialecticis non sine momento fuerunt. Ex his nominandus primus est Bernardinus Telesius Consentinus (1508—1580), cui Campanella fidelis extitit interpres et discipulus.

Thomas Campanella (1568—1639) quum Scepticismum impugnare vellet, ab illo principio profectus est, quo iam S. Augustinus contra Academicos usus erat: „Mihi certissimum est, quod ego sum." Hanc „sui ipsius" notitiam homini innatam esse, externarum autem rerum notitiam acquirendam, idque ope sensuum. „Cognoscere" idem dixit esse atque „Esse". Cognitionem omnem oriri ex affectionibus sensuum: „Sentire, inquit, est scire." Sensus non instrumenta esse, quibus res externae cognoscerentur, sed canales, per quos effectus rerum longinquarum ad nos adducerentur. Ex additis inter se impressionibus nasci experientiam; atque ex sensili experientia per abstractionem omnia principia rationis exoriri et repraesentationes universales. „Sensum solum sapere." Conceptum substantiae nihil esse nisi impressiones sensuum inter se additas. Inde fieri docet, ut scientia omnis nihil sit nisi historia eorum, quae eveniant sive intra nos, sive extra nos.

Hanc sapientiam Campanella magnam partem didicerat non solum a Telesio, sed etiam a Nicolao Cusano.

55. **Logica sub modernae aetatis initiis.** Maiore cum scientiae apparatu in Aristotelem invectus est Baco de Verulamio (1561 ad 1626), qui Stagiritae crimini dedit, quod solum syllogismum de-

ductivum excoluisset, inductionis utilitatem plane ignorasset. Is quum totam scientiae salutem a disciplinis naturalibus peteret, res omnes in scientia non logice, sed physice tractandas esse voluit. Finem scientiae ultimum et unicum, qui revera obtineri posset, in utilitate et commoditate vitae vegetalis et animalis ab hominibus in hac terra degendae posuit. Leviorem rerum notitiam mentem a Deo avocare, profundiorem ad Deum reducere; sed hanc nullo modo haberi posse. Rerum igitur altiorum curam fidei Christianae et theologiae relinquendam esse, quibus cum scientia proprie dicta nihil prorsus commune esset. Perniciem scientiae eo paratam esse, quod Plato et Aristoteles in rebus naturalibus omnia ex ideis petiissent et causis finalibus. Naturam interpretandam esse ex se ipsa et non ex scriptis Graecorum. „Organo" Aristotelis suum „Novum Organum" opposuit. Cui praemisit librum „De dignitate et augmento scientiarum". Qui duo libri communi titulo „Instauratio magna" comprehendi solent.

Et „Novum Organum" in duas partes dividitur; quarum prior negativa sive destructiva esse dicitur, et de causis agit, quae se renovationi et progressui scientiarum obiiciant. Has causas quaerendas esse in vitiosis methodis, inter quas praecipue usus syllogismi ad veritatem detegendam, et in errorum fontibus, quos Baco novo nomine idola vocavit, qui tamen ab hominum memoria omnibus sanae mentis philosophis noti erant. Alter liber Novi Organi legitimae scientiae methodum proponere conatur, quae a Bacone „Ars interpretandi naturam" est vocata. Quae ars in observatione dumtaxat phaenomenorum physicalium et in inductione consistere dicitur. De phaenomenis intellectualibus et moralibus omnino tacet Baco. Scripsit multa de inductione, cuius vim et naturam omnino ignorasse videtur; de ea tamen (a Galilei iam et aliis praeclare adhibita) praecepta collegit composuitque, quibus non sine utilitate attentio multorum ad colendam inductionem aucta est; neque usum inductionis quae spectant utilitate carent.

Vestigiis Baconis institerunt quam plurimi, inter quos eminet Thomas Hobbes (1588—1679), qui cognitiones omnes ad affectiones motu mechanico effectas revocavit atque scientiam omnem ex solis nominibus constitui voluit.

56. In Gallia ab Aristotele discessit Petrus Gassendi (1592 ad 1655), cuius supra incidit mentio, ecclesiae Diniensis canonicus et mathesis professor in universitate Parisiensi: Qui Epicuri partes suscepit huiusque de atomis systema, omissis iis, quae cum veritate religionis Christianae male cohaerebant, emendatum physicae recentiori accommodavit. Doctrinam logicam in libro proposuit, cuius titulus: Syntagma philosophicum [1]. Et omnem quidem cog-

[1] Opp. tom. 2 et 3.

nitionem ex sensibus derivandam esse docuit. Ex repraesentationibus singularibus sensuum intellectum repraesentationes universales formare affirmavit quidem, quo autem modo id fieret, tacuit. Initio Petro Charron favens, postea mediam viam Scepticos inter et Dogmaticos tenendam esse censuit. Generatim res logicas obiter et extremis tantum digitis attigit, intentus magis Atomismo in philosophiam naturalem introducendo. Inter Gassendistas eminuerunt Franciscus Bernerius et Gualterus Charleton.

Canonica Epicuri, ut a Gassendi proponitur, haec est: Diiudicandae veritatis statuuntur instrumenta tria: sensus, anticipatio, passio.

Sensui tribuit canones hos: 1) Sensus nunquam fallitur; omnis igitur sensio, omnisque phantasiae vel apparentiae perceptio vera est. 2) Opinio est consequens sensum, sensionique superaddita, in quam veritas vel falsitas cadit. 3) Opinio illa vera est, cui vel suffragatur vel non refragatur sensus evidentia. 4) Opinio illa falsa est, cui vel refragatur vel non suffragatur sensus evidentia.

Anticipationis hi sunt canones: 1) Omnis, quae in mente est anticipatio sive de re aliqua notio, vel incursione efficitur, quum res per se in sensum incurrit; vel proportione, quum ex notione rei incursione perceptae fingitur notio rei non perceptae secundum proportionem aliquam, velut quum ex notione hominis fingitur notio gigantis; vel similitudine, quum rem non visam imaginamur ut visam; vel tandem comparatione, quum notiones perceptas unimus in novam non perceptam, velut quum ex notione hominis et tauri formamus notionem hippocentauri. 2) Anticipatio est ipsa rei notio sive definitio, sine qua quidquam dubitare, opinari, nominare non licet. 3) Est anticipatio in omni ratiocinatione principium, sive id, ad quod attendentes inferimus, unum esse idem aut diversum, coniunctum aut disiunctum ab alio. 4) Quod non est evidens, ex rei evidentis anticipatione demonstrari potest.

Passio sive appetitus, quo distinguantur moralia, his regitur canonibus: 1) Ea voluptas, quae nullam molestiam annexam habet, amplectenda est. 2) Ea molestia, quae nullam habet annexam voluptatem, fugienda est. 3) Ea voluptas, quae vel maiorem voluptatem impedit, vel graviorem molestiam parit, fugienda. 4) Ea molestia, quae aut maiorem avertit molestiam, aut uberiorem voluptatem creat, amplectenda.

Etsi aliqui horum canonum recte possunt intelligi, tamen prudens quisque mirabitur, omnes partes in cognitionis negotio sensui deferri, ita ut id omne et id solum verum sit, quod sensus ostendat.

57. Aliam in Gallia sectam exorsus est Renatus Cartesius (Des Quartes vel De quartis), ortus Hagae Turonum, qui postquam complures annos partim militando, partim per Germaniam Italiamque peregrinando consumpserat, tandem in Hollandiam se recipiens, totum sese meditationibus philosophicis tradidit et instituendis experimentis et naturae eventibus ad leges geometricas revocandis. Novum ibi philosophiae systema ab aliis plurimum discrepans in lucem edidit. Is quum multis, quas se expertum esse dicit, sen-

suum fallaciis perturbatus esset, primo veritatem experientiae sensilis, et deinde cognitionis omnis in dubium vocavit praeter cognitionem cogitationis propriae. In hac deinde cogitatione detexit propriam sui ipsius existentiam[1] atque etiam aliquas ideas, ut ideam existentis Dei et existentis mundi, praeterea etiam nisum invincibilem certo admittendi omnia, quae in idea clara et distincta alicuius rei contenta essent. Quum autem Deus qua verax permittere non posset, ut nos per nisum invincibilem duceremur in errorem, nos tuto huic nisui credere posse asseveravit. Hoc nisu nos ad id adduci, ut essentiam nostram ipsorum poneremus in cogitatione actuali, et essentiam rerum corporearum in actuali extensione geometrica. Praeter ideas principales innatas admisit Cartesius ideas adventicias, velut rerum corporearum determinatarum, et facticias, velut equi volantis.

Negavit igitur Cartesius nos immediate percipere corpora, sed id, quod immediate perciperemus, esse ideas dixit inhaerentes menti nostrae, sive signa, quae tamen cum ipsis rebus (utpote sola extensione geometrica constitutis) nullam haberent similitudinem. Nos percipere quidem calorem, frigus, colorem, sonum et alias quas qualitates sensibiles vocant, sed haec omnia nihil esse nisi affectiones sive modificationes solius mentis, non autem corporum ipsorum, quae dicerentur illis qualitatibus affecta.

Cognitionem distinxit Cartesius immediatam, qua principia intueremur, quam intuitivam vocavit; et mediatam, quam voce deductionis comprehendit. In cognitione mediata methodum analyticam distinxit et syntheticam; illam, qua a cognitionibus particularibus ad principia ascenderetur, potissimum inveniendae veritati inservire dixit; hanc, quae ex principiis proficiscens ad praecepta particularia perveniret, ad demonstrandam veritatem aptam esse. Errorem omnem inde oriri putavit, quod per malum voluntatis liberae abusum inconsiderate progrederemur ad iudicium praeceps atque immaturum.

Leges logicas parum curavit Cartesius; ad docendum has quidem aptas esse dixit, sed ipsis scientiis eas parum utilitatis afferre. „Logica, inquit, quae in scholis docetur, nonnisi dialectica quaedam est, quae modum docet, ea, quae iam scimus, aliis exponendi, vel etiam de iis, quae nescimus, multum et sine iudicio loquendi; quo pacto bonam mentem magis corrumpit, quam auget.“ Loco omnium legum logicarum regulas methodicas proposuit quattuor, quibus

---

[1] „Je me résolus de feindre que toutes les choses, qui m'étaient jamais entrées dans l'esprit, n'étaient non plus vraies, que les illusions de mes songes. Mais, aussitôt après, je pris garde que, pendant que je voulais ainsi penser que tout était faux, il fallait nécessairement que moi qui le pensais, fusse quelque chose; et remarquant que cette vérité: je pense, donc je suis, était si ferme et si assurée que toutes les plus extravagantes suppositions des sceptiques n'étaient pas capables de l'ébranler, je jugeai que je pouvais la recevoir sans scrupule pour le premier principe de la philosophie que je cherchais.“ Discours sur la méth. 4e partie.

praeciperetur, qua nos ratione gerere deberemus, ut observantes leges logicas ab errore caveremus. Et primo praecepit, ne quid unquam pro re certa admitteretur, quod non esset evidens propter claram et distinctam perceptionem. Claram vocat illam perceptionem, quae menti attendenti praesens et aperta est; distinctam autem illam, quae quum clara sit, ab omnibus aliis ita seiuncta est et praecisa, ut nihil plane aliud, quam quod clarum sit, in se contineat [1]. Secundo difficultates non una simul considerandas esse praecipit, sed seorsum examinandas, quo facilius solvi possint. Tertio ordinate procedere nos iubet, ut videlicet incipientes a facilioribus et simplicioribus procedamus ad ea, quae difficiliora sunt et complicatiora. Quarto tandem monet, ne unquam quid omittatur et negligatur, quod ad rem pertineat [2].

His servatis praeceptis omnem artem logicam, et praecipue syllogismum, in usu scientiae supervacaneum esse [3].

At maxima diligentia in rebus omnibus leges mathematicas observari voluit, in quo negotio complures CARTESIUM secuti sunt [4].

---

[1] Principia philosophiae mathematica I. § 45.

[2] „Ainsi, au lieu de ce grand nombre de préceptes dont la logique est composée, je crus que j'aurais assez des quatre suivants, pourvu que je prisse une ferme et constante résolution de ne manquer pas une seule fois à les observer. Le premier était de ne recevoir jamais aucune chose pour vraie, que je ne la connusse évidemment être telle: c'est à dire d'éviter soigneusement la précipitation et la prévention et de ne comprendre rien de plus dans mes jugements que ce qui se présenterait si clairement et si distinctement à mon esprit que je n'eusse aucune occasion de le mettre en doute. Le second, de diviser chacune des difficultés que j'examinerais, en autant de parcelles qu'il se pourrait et qu'il serait requis pour les mieux résoudre. Le troisième, de conduire par ordre mes pensées, en commençant par les objets les plus simples et les plus aisés à connaître, pour monter peu à peu comme par degrès jusques à la connaissance des plus composés, et supposant même de l'ordre entre ceux qui ne se précèdent point naturellement les uns les autres. Et le dernier, de faire partout des dénombrements si entiers et des revues si générales, que je fusse assuré de ne rien omettre." Discours de la méthode pour bien conduire sa raison et chercher la vérité dans les sciences, 1637.

[3] Recte UEBERWEG: „Im stolzen Bewusstsein der eigenen, jugendlich frischen Geisteskraft wirft DES CARTES die Syllogistik zugleich mit der ganzen Aristotelisch-scholastischen Logik, gleichsam das gesammte logische Erbgut der Jahrtausende, über Bord, um an dessen Stelle jene einfachen vier Regeln über das subjective Verhalten bei der Erforschung der Wahrheit zu setzen. Und doch hat derselbe DES CARTES, ohne es sich zu gestehen, in seinen mathematisch-physikalischen Untersuchungen von eben jenem missachteten Syllogismus den ausgedehntesten und für die Förderung der Wissenschaft fruchtreichsten Gebrauch gemacht." System der Logik § 101.

[4] Hac de re LEIBNIZIUS: „Il est vrai que plusieurs habiles hommes de notre temps ont tâché de raisonner géométriquement hors de la géométrie. . . . Pour s'en éclaircir on n'a qu'à examiner les prétendues démonstrations de Mr. DESCARTES dans une des réponses aux objections contre ces méditations et celles de SPINOZA dans l'essai sur les principes de DESCARTES et dans l'ouvrage

Dici vix potest, inquit STORCHENAU[1], quanta quamque diversa animorum motione novum CARTESII systema fuerit exceptum; obstrepentibus enim aliis et acerrime novam doctrinam impugnantibus, alii iique longe plures ambabus eam ulnis amplexi sunt, quo etiam factum est, ut ea brevissimum intra tempus per totum Belgium, Galliam, Angliam et complures Germaniae partes sese diffuderit. Sectatorum ex numero alii Cartesiana dogmata commentationibus suis illustrarunt, ut IOANNES CLAUBERGIUS, IOANNES DE RAEY, THOM. CORNELIUS, CHRIST. HUGENIUS, DAN. LIPSTORPIUS; alii ea in compendio exhibuerunt, ut SILVANUS REGIUS, FRANC. BAYLE, ANT. LE GRAND, IAC. ROHAULT; alii denique, nonnullis immutatis, suas addiderunt opiniones, inter quos eminent NIC. MALEBRANCHE, ARNOLDUS GEULINX, BARUCH SPINOZA.

58. CARTESII vestigiis insistens NIC. MALEBRANCHE (1638—1715) res creatas omnes activitate carere posuit; si igitur inter se agere viderentur, alias respectu aliarum esse occasiones tantum, quibus positis Deus solus haec vel illa phaenomena produceret sive in corporibus, sive in mentibus. Mentem nostram, quippe quae semper ideam „infiniti“ sive Dei praesentem haberet, in hac idea videre non solum rerum essentias, sed etiam existentiam; atque ita a nobis cognosci etiam existentiam corporum.

Ultra progressus BARUCH SPINOZA (DESPINOZA, 1632—1677), qui non solum omne Agere, sed etiam omne Esse substantiale rebus, quas experiremur, negavit. In experientia nulla esse cognitionis initia dixit, nisi fortasse negativa. Ex principiis pro arbitrio a se positis per intuitionem quandam, ut ipse putat mathematicam, deduxit Pantheismum.

Sicut CARTESIUS, ita etiam SPINOZA essentiam rerum corporearum in actuali extensione geometrica reposuit, et essentiam rerum spiritualium in actuali cogitatione. His tamen ens unum absolutum ut substantiam unicam subdidit sive rem unam, quae ita existeret, ut nulla alia re ad existendum indigeret. Triplicem gradum cognitionis distinguit, primo imaginationem et sensum, unde procedere soleat experientia vaga sive cognitio imperfecta et inadaequata;

---

posthume „de Deo“. On a vu un Euclide métaphysique de THOMAS ALBIUS; et ABDIAS TREU, habile mathématicien d'Altorf, a réduit la physique d'ARISTOTE en forme de démonstration autant que cet auteur en était susceptible, et le P. FABRY a prétendu d'habiller toute la philosophie à la géométrie.“ Préceptes pour avancer les sciences ap. ERDM. p. 168.

[1] SIGISM. STORCHENAU S. I., Institutiones logicae. Vindobonae 1769, in historia philosophiae, quam ut „Prolegomena in philosophiam“ initio logicae posuit, p. 46.

deinde rationem, qua res cognoscantur ex suis proprietatibus, sed imperfecte tantum; tertio intellectum intuitivum, qui evidentiam pariat. Hunc intellectum intueri primo ens omnino absolutum. Ut enim mens nostra omnino referat naturae exemplar, debet omnes suas ideas producere ab ea, quae refert originem et fontem totius naturae, ut ipsa etiam sit fons ceterarum idearum[1]. Et „concatenatio intellectus concatenationem naturae referre debet". Unde causa prima etiam primum cognitum esse debet. Ex hoc ente infinito cum necessitate omnimoda fluere intuetur extensionem et cogitationem ut duo attributa, et res omnes singulares ut modos. Itaque methodum philosophicam non aliam esse docuit quam mathematicam. „Mentis oculi, quibus res videt observatque, sunt ipsae demonstrationes." „Sicut lux seipsam et tenebras manifestat, sic veritas est norma sui et falsi." „Qui veram habet ideam, simul scit, se veram habere ideam, nec de rei veritate potest dubitare." „Quis scire potest se aliquam rem intelligere, nisi prius intelligat?" Quum secundum Spinozae principia cognitio omnis intuitiva sit, nulla per se necessaria est demonstratio, sed haec tantum requiritur propter distinctiones factas a ratione nostra ratiocinante. Unde a Spinoza omnis forma syllogistica est omissa.

Spinozam secutus Gualterus de Tschirnhausen (1651—1708) logicam integram ad artem inveniendi retulit in libello, cui titulus: Medicina mentis sive artis inveniendi praecepta generalia (Amstelod. 1687, Lipsiae 1695).

Antonius Arnaldus (1612—1694) et Petrus Nicolius (1625 ad 1695) auctores sunt libri, qui adhuc hodie in scholis Galliae multum celebratur, cuius titulus: La Logique ou l'Art de penser, in quo praecepta logicae Aristotelicae ad normam claritatis et perspicuitatis a Cartesio tantopere commendatae redacta sunt. Nec desunt in isto libello aliqua Cartesianorum errorum vestigia.

59. At vero non longo post tempore potentes nacta est philosophia Cartesiana in Anglia et Germania adversarios. Anglorum primum nominare liceat Isaacum Newtonum (1642—1727). Contra Cartesium, qui (ut recte vituperavit Leibniz) „ad hypotheses miras ex abrupto delapsus est", posuit Newton, hypotheses non fingendas esse. Quum Cartesius diceret ad naturales effectus examinandos non descendendum esse, nisi post causas iam cognitas, Newton contra ex effectibus singularibus causas inquirendas esse docuit, nullam arbitrans unquam a philosopho causam assignandam esse, nisi cuius veritas vel diligenti observatione experimentisque, vel solida ratiocinatione liquide demonstrari posset.

---

[1] Tractatus de intellectus emendatione. Amstelod. 1677. Cfr. Kuffeler, Specimen artis ratiocinandi naturalis et artificialis, ad pantosophiae principia manuducens. Hamburg 1684.

Doctrina haec, qua Newton inscius et quasi invitus ad placita Aristotelis est regressus, partim in opere, quod inscripsit: „Principia philosophiae mathematica", partim in „Optica" proposita, „ita eruditis omnibus, inquit Storchenau, sese probavit, ut hac qua vivimus aetate eorum fere nullus sit, qui eandem non profiteatur. Enumerare longum est omnes illos viros et a scientia experimentali et a geometriae algebraeque sublimioris peritia clarissimos, qui inde iam ab origine hoc systema et propugnandum et doctis suis laboribus excolendum sibi sumpserunt, quos inter praecipuum sibi locum vindicant S. Gravesandius[1], Muffenbroeckius, Clarkius . . . Le Seur, Jacquier. His accensendus est saeculi nostri decus P. Roy. Ios. Boscowich e S. I., qui quum in complurибus opusculis, tum maxime in ‚Theoria philosophiae naturalis' (Viennae 1758, Venetiis 1763) Newtonianam theoriam ita vel deduxit vel emendavit, ut eam sibi gloriam omni iure vindicet, quae systematum auctoribus et sectarum principibus debetur. Elaboratum a Boscowichio systema adoptarunt et eruditis lucubrationibus illustrarunt Carolus Benvenuti Romae, Carolus Scherffer et Paulus Mako Viennae, Leopoldus Biwald Graecii." [2]

In Anglia alii, quum summis viribus commenta Cartesiana impugnarent, inter quos praecipuus Iohn Locke, in funestissimos proh! errores lapsi sunt. Sed antequam hos prosequamur, breviter advertere liceat etiam in aliis Europae partibus plurimos contra Cartesianam philosophiae novitatem extitisse adversarios. Tanta autem erat eo tempore in omnibus scholis Aristotelis auctoritas[3], ut etiam illi, qui eclecticam philosophandi libertatem secuti sunt,

[1] Introductio ad philosophiam, logicam, metaphysicam (1736).

[2] Ita Storchenau, Prolegomena in philosophiam p. 48.

[3] De philosophis Germaniae ad Protestantes quod attinet, testatur Zeller: „Die herrschende Richtung derselben war die von Melanchthon, dem ‚Lehrer Deutschlands', angegebene. Das aristotelische System soll die Grundlage alles philosophischen Unterrichtes sein. . . . Sie alle wollen Aristoteliker sein. . . . So in Wittenberg (Iacob Martini, 1570—1649), in Leipzig (Simon Simonius, 1570; Iacob Thomasius, 1622—1684), in Altorf (Philipp Scherb et Michael Piccart, 1574—1620), in Rostock, in Helmstädt (Cornelius Martini, 1568—1621; Conrad Horneius, 1590—1649; Georg Calixtus, 1586—1656; Hermann Conring, 1606—1682), in Tübingen (Iacob Schegk, 1511—1587), in Strassburg (Ioh. Ludw. Havenreuter, 1548—1618), in Jena (Victorin Strigel, Daniel Stahl, † 1656, Paul Slevogt, 1595—1655), in Königsberg (Christian Dreier, 1610 ad 1688; Melchior Zeidler, 1630—1686), in Giessen (Christoph Scheibel). . . . Auf vielen von diesen Anstalten bestanden eigene Lehrstühle für die Erklärung der aristotelischen Schriften. . . . Indessen bedurfte es dessen kaum, um das Uebergewicht des Aristoteles über alle anderen Philosophen zu begründen, da man sich auch in den systematischen Vorträgen durchaus an Aristoteles und die neueren Aristoteliker, besonders Melanchthon, zu halten pflegte, und abweichende Lehrweisen, wie die der Ramisten, und später die Cartesianische, nicht selten durch die Universitäts-Statuten, oder durch landesherrliche und academische Verordnungen geradezu verboten wurden." Geschichte der deutschen Philosophie, edit. 2. Monac. 1875. p. 32—35.

in quorum numero Leibnizius[1], summo studio conarentur res suas novas sub externa doctrinae Aristotelicae specie proponere.

60. John Locke (1632—1704) veritatem cognitionis nostrae non ex huius relatione immediata ad res obiective formaliter repraesentatas petendam esse duxit, sed demonstrandam ex cognitionis sive idearum origine. Cartesium aggressus ideas, quae ante omnem experientiam in mente nostra tamquam innatae inessent, omnino reiecit; et cognitionem omnem, non solum sensualem, sed etiam intellectualem ex solo sensu deduxit. Nihil esse in intellectu docet, quod non eodem modo, quo sit in intellectu, etiam fuerit in sensu. Distinguit sensationem sive perceptionem sensualem, et reflexionem sive perceptionem operationum internarum, quas anima a rebus externis excitata exerceat. Ex his duabus oriri cognitionem omnem; veritatem non reperiri in conformitate cognitionum nostrarum cum rebus, sed in certa et ordinata coniunctione cognitionum nostrarum tamquam signorum cum rebus externis tamquam significatis.

Qualitates dicit alias primarias esse, ut extensionem, figuram, motum, quae ipsis rebus eo modo ut propriae conveniant, quo a nobis repraesententur; alias autem secundario tantum qualitates rerum vocari posse, ut luciditatem, colorem, quae sint solum affectiones a rebus in nostris organis productae eo modo, quo dolor sit affectio subiectiva producta ab acu pungente, et hinc acus pungentis signum, nullo autem modo eiusdem imago.

Notatus quoque est Locke, quod docuerit Deum posse alicui materiae portioni facultatem cogitandi tribuere, quodque affirmaverit identitatem personalem hominis in sola praeteritarum cogitationum recordatione consistere[2].

61. Godefridus Guilel. Leibnizius (Lubeniecz, 1646—1716) primus sibi visus est principio rationis necessariae, quod ipse rationis sufficientis vocavit vel etiam „melioris“, vim integram vindicasse. Itaque ut omnis demonstrationis principia non solum principium vitandae contradictionis posuit, sed illud etiam, quo nihil esse sine ratione „sufficiente“ enuntiatur. Quum recte censeret plus possideri ab intellectu, quam sensu percipi posset, Lockio adversatus ideas in intellectu innatas posuit vel potius idearum formatarum germina sese ab intra secundum harmoniam quandam praestabilitam evolventia[3].

---

[1] „J'ai trouvé que la plupart des sectes ont raison dans bonne partie de ce qu'elles avancent, mais non pas tant en ce qu'elles nient.“ Op. edit. Erdmann, p. 702.

[2] An essay concerning human understanding, 1690.

[3] Cfr. Ueberweg, Geschichte der Philosophie. tom. 3 § 12 Anm. p. 136.

Sicut Cartesius ita etiam Leibnizius principium statuit: „Quidquid clare et distincte de re aliqua percipio, id est verum seu de ea enuntiabile"; in hoc etiam Cartesium secutus, quod huius principii certitudinem ex Deo petiit veraci, qui illam harmoniam in mente humana praestabilivisset. Notionem claram eam dixit, quae satis fortiter sentiretur et satis esset, ut res repraesentata cognosceretur et ab aliis rebus secerneretur; notionem distinctam eam dixit, quae esset adeo clara, ut etiam notae singulae notionis compositae clarae essent[1]. Ideas menti humanae innatas quas posuit, confusas quidem et obscuras esse dixit et ex germine quasi extrahendas, quae in philosophia efficerentur clarae et distinctae[2].

In hoc vehementer a Cartesio dissentit, quod artem logicam magni facit. „Non contemnenda veritatis enuntiationum criteria sunt regulae communes logicae, quibus etiam geometrae utuntur, ut scilicet nihil admittatur pro certo, nisi accurata experientia vel firma demonstratione probatum; firma autem demonstratio est, quae praescriptam a logica formam servat."[3]

Neque tamen non ab Aristotele discrepat Leibnizius. Studio enim et amore rerum mathematicarum, quo satis multi illius aetatis viri doctissimi erant incensi, tractus est et illectus, ut salutem scientiae omnis inde exspectaret, quod logica ad calculum mathematicum eveheretur. Inveniendam esse unam linguam est arbitratus, quam characteristicam vocavit, in qua combinationibus mathematicis veritas omnis exprimeretur.

Quum videlicet puer iam in praedicamentorum considerationem magna cum diligentia incumberet[4], posteriore tempore in contemplationem incidit „quod excogitari posset quoddam alphabetum cogitationum humanarum, et quod litterarum huius alphabeti combinatione et vocabulorum ex ipsis factorum analysi omnia et inveniri et diiudicari possent"[5]. Rem primo proposuit in libello „de arte combinatoria", in quo analysim mathematicam considerans, complicationes numerorum ad res logicas transferre est conatus. Postea aliis scriptis opusculis hanc suam sententiam planius declaravit. „Iam inde a Pythagora, inquit, persuasi fuerunt homines, maxima in numeris mysteria latere. Sed quum vera arcani clavis ignoraretur, lapsi sunt curiosiores in futilia et superstitiosa, unde nata est Cabbala quaedam vulgaris, a vera longe remota, et ineptiae multiplices cuiusdam falsi nominis magiae, quibus pleni sunt libri."[6]

---

[1] Cfr. Meditationes de cognitione. Edit. Erdm. p. 79. Ueberweg, System der Logik § 27.

[2] „S'il y avait des veines dans la pierre, qui marquassent la figure d'Hercule préférablement à d'autres figures, cette pierre y serait plus déterminée, et Hercule y serait comme inné en quelque façon, quoi qu'il fallût du travail pour découvrir ces veines et pour les nettoyer par la politure, en retranchant ce qui les empêche de paraître." Edit. Erdmann p. 196 a.

[3] Erdmann p. 81 a.

[4] Cfr. Ep. ad G. Wagner ap. Erdmann p. 420 a, b.

[5] Historia et emendatio linguae univers. ap. Erdmann p. 163 a.

[6] Historia et emendatio ling. univ. p. 162. Et alio loco: „Atque ea vera foret sive Cabbala vocabulorum mysticorum, sive arithmetica numerorum

Cognitionem nostram simili ratione constitui notionibus primitivis docuit, sicut mundus constitueretur elementis simplicibus sive monadibus.

Et sicut Leibnizius, omissa omni inquisitione dialectica, omnia ad normam mathesis revocanda esse statuit, ita fere omnes, qui eum ducem secuti sunt philosophi, quinimmo haud pauci ex recentioris aetatis Peripateticis, praeter modum methodum mathematicam in rebus logicis adhibuerunt.

Logicam Aristotelis haud spernendam esse duxit Leibnizius [1], sed eam dixit logicae verae initia recta esse quantumvis imperfecta.

Quum primo recta ratione ductus contra Cartesium posuisset in rebus naturalibus praeter extensionem etiam activitatem inesse, ultimo in eum errorem est lapsus, ut nihil plane in rebus praeter huius activitatis principia inextensa, quae monades vocavit, inesse diceret. His monadibus activitate immanente praeditis constitui res ipsas dicit et effici illa phaenomena, quae sub extensionis specie nobis appareant. Nos igitur sensu non res percipere, sed phaenomena a rebus effecta. Ex quo consequens erat, ut diceret, nullo argumento absolute demonstrari posse „dari corpora; quum tamen id, ut omnino certum sit, demonstrari debeat". „Nec quidquam prohibet, somnia quaedam bene ordinata menti nostrae obiecta esse, quae a nobis vera iudicentur et ob consensum inter se quoad usum veris aequivaleant. Nec magni momenti argumentum est, quod vulgo afferunt, ita Deum fore deceptorem. . . Nam nos non a Deo, sed a iudicio nostro decipiemur. . . Et quamquam magna adsit probabilitas, non ideo tamen

---

Pythagoricorum, sive characteristica magorum, hoc est sapientum. . . . Interim certum est, si haec ars analytica generalis vera aliquando absoluta et in consuetudinem traducta haberetur, homines eius intelligentes atque exercitatos tantum aliis praestituros, ceteris paribus, quantum sciens ignaro, doctus rudi, geometra praestans tironi, algebraïsta insignis vulgari calculatori." De scientia universali p. 84. Cfr. p. 164: „Nec multo plus laboris hanc ‚scientiam universalem' sive ‚calculum philosophicum' exigere dixit, quam in nonnullos cursus aut in nonnullas encyclopaedias iam inpensus esset." Ibid.: „Neque a me nisi eius initia traduntur, hoc est, praecepta elementaria, ex quibus certum sit, arcanas regulas non usque adeo difficulter inveniri posse." De nat. et usu scientiae universalis. Erdm. p. 87, 88.

[1] „Zwar ist diese Arbeit des Aristoteles nur ein Anfang und gleichsam das ABC. . . . Doch ist es bisweilen rathsam, dass man sich an solche Bauernrechnung und Kinderlogik halte. . . . Ich stehe in den Gedanken, dass ein schlechter Kopf mit den Hilfsvortheilen und deren Uebung es dem Besten bevorthun könnte, gleichwie ein Kind mit dem Lineal bessere Linien ziehen kann, als der grösste Meister aus freier Hand. Die herrlichen Ingenia aber würden unglaublich weit gehen können, wenn die Vortheile dazu kämen. . . . Dass diese Vernunftkunst noch unvergleichlich höher zu bringen, halte ich für gewiss. . . . Ich muss bekennen, dass alle unsere bisherigen Logiker kaum ein Schatten dessen seien, so ich wünsche." In epist. ad G. Wagner ap. Erdm. p. 420 sqq.

Deus est deceptor, qui eam nobis obiicit. Quid enim, si natura nostra non erat forte capax phaenomenorum realium; profecto non tam accusandus foret Deus, quam gratiae ei agendae. Efficiendo enim, ut phaenomena illa, quum realia esse non possent, saltem consenticula essent, praestitit nobis, quod in omni vitae usu realibus phaenomenis aequipolleret. Quid vero, si tota haec brevis vita non nisi longum quoddam somnium esset, nosque moriendo evigilaremus? . . . nemo sanus Deum deceptorem dicet, si forte contingeret, breve aliquod somnium admodum distinctum et congruum animo obversari.“ [1]

Et omnes hi, Cartesius, Locke, Leibnizius, alii, a philosophia antiqua eo desciverunt, quod quiddam subiectivum pro ultimo motivo certitudinis et veritatis criterio statuerunt.

62. Christianus Wolff (1679—1754) quum in philosophia naturali nonnulla ex Leibniziana philosophia omitteret, in rebus logicis vestigia Leibnizii secutus est. In disciplinis omnibus evidentiam clarissimam curandam esse voluit, quam effici putavit solis adhibitis syllogismis more mathematicorum. Ex quo illa logica orta est, quam mathematico-scholasticam dicunt. Itaque omnia ex principiis primis per „demonstrationem“ deducenda esse docuit. Illa sola iudicia vera esse, quae per subiecti analysim efficerentur, ea autem sola per analysim statui posse, quae in ipso subiecto invenirentur. Disciplinarum empiricarum vim et utilitatem totam in eo sitam esse, quod his disciplinis praeclare ea confirmari possent, quae in philosophia rationali ex principiis supremis a priori deducta essent. Wolffius primus in rebus philosophicis linguam Germanicam adhibuit.

Ex Wolffianis imprimis commemoratione digni sunt G. B. Bilfinger (1693—1750), qui in suis „Dilucidationibus“ doctrinam Wolffii praeclare exposuit; Ludw. Phil. Thümming (1697—1728), qui institutiones philosophiae Wolffianae scripsit; Martinus Knutzen († 1751), quo Kantius magistro est usus; Alex. Gottlieb Baumgarten (1714—1762), inter omnes fortasse celeberrimus; Godefridus Ploucquet (1716—1790), qui vestigiis Leibnizii fideliter insistens libellum scripsit de arte characteristica et methodo calculandi in logica.

In Italia secundum methodum Wolffianam philosophatus est Antonius Genuensis (nat. 1712), qui ex Locke, Leibniz, aliis recentis aetatis varia elegit, quibus philosophiam Aristotelicam impugnaret.

63. Ioann. Henric. Lambert (1728—1777) Wolffium sequens et ad Kant accedens novum organum scripsit de investiganda veritate, in quo distinxit dianoiologiam sive disciplinam de legibus cognoscendi, alethiologiam sive disciplinam de conceptibus et principiis, semioticam sive doctrinam de signis rerum et conceptuum, phaeno-

[1] De modo distinguendi phaenomena realia ab imaginariis. Edit. Erdmann p. 444 a.

menologiam sive doctrinam de vanis apparentiis. Is conatus est placita Empiristarum Anglorum cum doctrina Wolffiana componere. Si quis explicare vellet, unde esset cognitio humana, eum dixit separare debere formam cognitionum nostrarum earumque materiam[1].

64. Atque hoc temporum impetu etiam aliqui ex philosophis scholasticis in admirationem et imitationem Leibnizii et Wolffii abrepti sunt.

Quorum sententia ex his Storchenavii verbis facile perspicietur: „Quo tempore Anglia suo gloriabatur Newtono, Germaniam nostram Leibnizii magnum inter eruditos nomen illustravit. Scholasticorum ille quidem philosophiam non ex integro repudiandam, in multis tamen emendandam esse censuit; eam ob rem obscuras confusasque eorum notiones ad claras et distinctas reduxit; terminos inanes, quibus illorum scripta scatebant, extirpavit; methodum denique mathematicam in auxilium vocavit . . . atque ita excellentis doctrinae famam sibi comparavit, nactusque est sectatores in Germania praecipue non paucos, ex quibus Leibnizianorum secta, hodie in metaphysicis praecipue florens, est conflata. Omnium antesignanus est Christ. Wolffius, magno editorum voluminum numero clarissimus. . . Hunc ingens turma comitatur eorum, qui logicam et metaphysicam ad mentem Leibnizii concinnarunt. . . Ad extremum hoc loco dissimulandum non est, Leibnizium, uti eruditis suis laboribus ad logicae praesertim et metaphysicae splendorem plurimum contulit, ita abstractis, quibus plus aequo indulsit, ratiociniis ad opiniones quasdam non parum absurdas lapsum esse.“[2]

Neque tamen in ipsa Germania deerant, qui Leibnizio et Wolffio admodum essent infensi.

Ita opera Ioannis Ioachimi Lange (1670—1744) effectum est, ut Wolffius tamquam de Atheismo suspectus ex regno Borussiaco expelleretur. Plura contra Leibnizii Wolffiique scripsit Andr. Rüdiger (1671—1731), qui ideas omnes oriri a sensione voluit. Et magis etiam Wolffianismum impugnavit Chr. Aug. Crusius (1712—1775). A quo non multum discessit Ioach. Georg Daries (1714—1772), qui in „Elementis metaphysicis“ methodum quidem Wolffianam secutus est, quoad rem autem omnia fere, quae Leibnizii et Wolffii propria erant, reiecit. Sed iam ad Anglos redeundum est.

65. **Philosophi illius temporis reliqui.** Georgius Berkeley (1685 ad 1753) quum Materialismum impugnare vellet, persuasionem de reali

---

[1] Cfr. R. Zimmermann: Lambert der Vorgänger Kants. Viennae 1879.

[2] Prolegomena in philosophiam p. 48. Quanta autem apud multos ipsius philosophiae scholasticae studiosos per nimiam istam novarum rerum admirationem invecta sit philosophiae Aristotelicae ignoratio, videre est in Adamo Contzen, praestantis ingenii viro et omni laude digno; qui haec scribere potuit: „Cartesius primus ille aut inter primos fuit, qui in rebus philosophicis rationem magis quam auctoritatem sequi docuit, primus, qui vocabulis non contentus, in res ipsas studia convertit.“ Praelectiones logicae p. 188.

corporum extra nos existentia, iam ab aliis ante labefactatam, omnino vanam esse dixit. Docuerant iam Cartesius et Locke nos sensibus nostris non immediate percipere ipsas res externas, sed affectiones subiectivas sive imagines, ex quibus per longa ratiocinia ad cognoscendam rerum externarum existentiam realem pervenire possemus. Id tenuit Berkeley, et ratiocinia ista, praecipue a Cartesio et Malebranche prolata, acri ingenio expendit. Quumque probationes has omnes vanas esse perspiceret, conclusit nos scire non posse, utrum extra nos revera existerent corpora necne. Neque solum nos omni de existentia corporum certitudine destitutos esse docuit, sed ipsa corpora revera non existere, eo quod notio corporis ut substantiae extensae contradictionem involveret. Ipsum igitur „Esse" rerum sensibilium nihil esse nisi „Percipi". Sibi „corpus" quoddam imagine repraesentare nihil aliud esse, nisi sibi repraesentare quoddam „Percipi". Deum ut suam nobis sapientiam manifestaret, immediate in mente nostra producere sensationes et ideas corporum[1].

66. David Hume (1711—1776), Baconem, Lockium, Berkeley secutus, naturam humani intellectus perscrutari conatus est. Distinguit repraesentationes fortiores et debiliores. Fortiores oriri in nobis subito post habitas impressiones; debiliores fortiorum reliquias esse et imagines; has ideas vocari. Harum idearum relationes cognosci per scientiam. Consuetudine nixos nos scire post similia evenire similia; res antecedentes vocari a nobis „causas", sequentes autem „effectus". Invincibili nisu nos eo ferri, ut credamus res existere, et futurum praeterito simile fore. Conceptus universales revera nullos esse, quum nos semper cogitemus res singulares confusas, et ne has quidem ut substantias, sed ut aggregata repraesentationum. Nexus causales a nobis penitus ignorari dicit. Unde enim, inquit, hos cognoscamus? Per analysim? Sed effectus, quum non lateat in causa, neque analysi in causa reperiri potest. Per experientiam? Sed haec nihil nos docet, nisi effectum post causam esse, non autem propter causam.

Neque immerito Hume ut fautor et patronus Scepticismi recentiore aetate omnium praestantissimus celebratur. Quae de omni certitudine desperatio apud Hume ex duplici fonte orta est, ex Sensualismo et Subiectivismo. Ut rem paucis comprehendamus, haec erat prior Humii ratiocinatio: Omnis cognitio ex experientia sensili nascitur; sed ex hac nihil de principio causalitatis statui potest; hoc ergo principium reiiciendum est. Sed hoc principio semel reiecto, iam

---

[1] A Treatise concerning the principles of human knowledge § 3.

veritates omnes ordinis rationalis fundamento carent. Altera vero haec: Nihil nos percipimus nisi imagines sive affectiones subiectivas; ergo his exceptis subiectivis „ideis" nihil est, de quo certi esse possimus. Ut enim de conformitate harum imaginum cum rebus, quarum sint imagines, iudicare possimus, praeter has ideas etiam ipsas res in seipsis cognoscere oportet. Solis ergo perceptis imaginibus, nulla de rebus ipsis cognitio certa esse potest.

67. Stephanus Bonnet de Condillac (1715—1780) in rebus plurimis Lockium secutus est; sed omissa „reflexione" unicum tantum humanae cognitionis fontem admisit: „sensationem", ex qua per varias transformationes omnes nostrae cognitiones orirentur, ita ut praeter sensationes transformatas haberemus nihil.

Et sensatio quidem, ut Condillac philosophatur, simul repraesentat aliquid ut extra mentem positum, simulque mentem grate vel ingrate afficit. Ex sensatione ut „repraesentante" ex ordine nasci attentionem, memoriam, comparationem, iudicium, reflexionem, imaginationem, ratiocinium; harum rerum fasciculum esse id, quod vocetur „intellectus". Ex sensatione autem ut „afficiente" nasci desiderium et aversionem, necessitates varias psychicas, amorem et odium, spem et timorem, et in hoc genere alia, quarum collectio sit id, quod vocetur „voluntas". Originem cognitionum explicat famosa illa hypothesi statuae sensatione praeditae, quam rem exscripsit ex libello scripto a Diderot (Lettres sur les aveugles, 1749). Et causam linguarum deduxit ex hypothesi duorum infantium in deserto relictorum[1].

Petrus Laromiguière (1756—1837) etsi se Cartesianum professus est, tamen vix non omnino secutus est Condillac. Distinguens in homine duo attributa primaria, passivitatem et activitatem, ex sola activitate facultates omnes tum intellectus tum voluntatis oriri censet.

Activitatem ad directe aliquid cognoscendum esse „attentionem"; ex attentione iterata produci „comparationem"; comparatione duplici constitui „ratiocinium"; atque haec tria: attentionem, comparationem, ratiocinium, si accipiantur simul, efficere intellectum. Simili ratione dicit activitate, quae ad aliquod bonum obtinendum dirigatur, effici „desiderium", ex quo „electio" nascatur, et

[1] Essai sur l'origine des connaissances humaines, 1746; Traité des sensations, 1754; Logique ou les prémiers développements de l'art de penser, 1780.

Hunc secutus est Destutt de Tracy, Éléments d'idéologie, 5 parties; 3e part. Logique, 2 édit. Paris 1818.

François Pierre Gonthier Maine de Biran (1766—1824) ab initiis Condillacianis profectus (Sur l'influence de l'habitude à la faculté de penser, 1802) postea mysticum quemdam Pantheismum professus est (Nouveaux essais d'anthropologie, 1823).

Sunt praeterea plurimi, qui ex mente Condillac de rebus logicis scripserunt, quos enumerare longum est. Inter quos in Italia Domenico Romagnosi (1761—1835); in Lusitania Silvestre Pinheiro Ferreira (1769—1846); in Polonia Ios. Sniadecki (1819).

deinde „libertas“, quibus tribus simul sumptis efficiatur „voluntas“. Et ideas omnes a sensu deducendas esse vult; eo enim ipso, quod aliquis sensus confusus fiat distinctus, fieri ideam. Quattuor species sensuum tamquam quattuor fontes idearum distinguuntur: sensatio in sensu sive sensatio proprie dicta, sensus actionis facultatum animae sive sensus intimus, sensus relationis, sensus moralis[1].

68. Claudius Buffier S. I. (1640—1737) quum doctrinam Cartesianam et Lockianam componere vellet, eo adductus est, ut innatum quiddam admitteret, negaret tamen id habere naturam idearum. Sicut igitur Leibnizius ideas suas „virtuales“, quae innatae essent, invenit, ita Buffier sensum quendam communem posuit a natura datum, qui esset cognitionis humanae principium. Atque is primus fuisse videtur, qui expressis verbis hunc sensum sive instinctum principiis cognitionis humanae annumeraverit. Atque ita Buffier scholae, quam Scoticam vocant, cuius caput extitit Thomas Reid, viam latius aperuit[2].

Thomas Reid (1710—1796) quum Scepticismum impugnare vellet, Lockio et Humio sese opposuit negans omnes cognitiones nostras ex sola sensatione originem ducere. Sensationes vel simplicissimas (ut perceptionem odoris) iam iudicia quaedam necessaria et universalia adiuncta habere opinatus est, in quo genere essent principia substantiae et causalitatis. Haec igitur iudicia primitiva ex experientia hauriri non posse. Ea fassus est non esse nobis innata ut iudicia sive principia explicita. Neque scivit ea per abstractionem ab intelligentia post experientiam formari posse. Reliquum igitur erat, ut diceret, ea a nobis admitti propter instinctum caecum naturae nostrae inditum. Eius generis principia, quae ab omnibus hominibus propter invincibilem naturae impetum admitterentur, numeravit octo. Praeterea repraesentationes omnes inter se associari propter consuetudinem docuit.

Dugald Stewart (1773—1828) Reid secutus, legem psychicam naturae nostrae insitam esse dixit, qua adigeremur ad credendum psychicis nostris phaenomenis.

69. **Kant et qui eum secuti sunt.** Immanuel Kant (1724 ad 1804), Regiomontanus, tum solum videbatur sibi Scepticismum ab Hume denuo in scientiam introductum efficaciter impugnare posse,

---

[1] Éléments de métaphysique, 1788. Leçons de philosophie ou essai sur les facultés de l’âme, 1815—1818.

[2] Traité des vérités prémières; Éléments de métaphysique mis à la portée de tout le monde; Cours des sciences sur les principes nouveaux et simples (1732).

si a defendenda obiectiva cognitionum nostrarum realitate, quae extra mentem cogitantem locum haberet, omnino recederet, eo contentus, ut vim cognitionum humanarum intra ambitum subiecti cogitantis conclusam defenderet. Omnibus igitur cognitionibus nostris vim obiectivam et realitatem, quae ipsum cognitionis actum transcenderet, ademit, nostrisque cognitionibus solum obiici duxit phaenomena sive apparentias, quae activitate nostra effectae et actui nostro immanentes essent. Itaque eam tantum cognitionis obiectivitatem admisit, quae actui immanens et ordini subiectivo inesset, deserens illam, quae actum nostrum transcenderet et in ordine reali reperiretur. Ordinem realem, qui extra actum cognitionis sit, nominat transcendentem (vi vocis ab usitata significatione ad hanc novam avocata), et respectum cognitionis nostrae ad ordinem illum transcendentem vocat transcendentalem; transcendentales vocat conditiones, quae ante omnem experientiam ex parte nostra ad efficiendas cognitiones requirantur. Ordinem transcendentem, quum priore tempore aliquid neglexisset, postea omni diligentia affirmavit et agnovit, concedens illi „Esse“ quoddam, ad quod nos propter principium causalitatis ex phaenomenis tamquam ad causam haec excitantem concludere possemus, quod tamen „Esse“ nobis plane ignotum et occultum maneret.

Secundum haec placita a logica, cui dirigendam cogitationem pure subiectivam reliquit, criticam secrevit, et praecipue „Criticam rationis purae“.

Distinguit enim Kant „rationem“ puram et „rationem“ logicam sive formalem. „Rationem“ logicam facultatem esse dicit concludendi sive subsumendi iudicium quoddam sub iudicio universaliore, a qua diversus sit intellectus, qui conceptus (ideas aestheticas) et iudicia formet. „Rationem“ puram esse quendam quasi intuitum, ex quo oriantur conceptus (ideae transcendentales) iudiciaque, quae nullo modo ab experientia pendeant („a priori“ ea vocat).

Non posuit Kant in cognitionum „claritate“, „distinctione“, „contradictionis absentia“ illud momentum, quod maximi fecerant Cartesius et Leibnizius; sed in hoc Lockii vestigiis ingressus est, quod potissimum ad cognitionis nostrae originem attendendum esse duxit. Cui negotio in „Critica rationis purae“ navans operam, cognitionis humanae originem, ambitum, limites conatus est statuere. Distinguit iudicia analytica, in quibus mens contradictionem cavere debeat, et synthetica, quibus aliquod praedicatum subiecto sic adiudicetur, ut nulla huius adiudicationis ratio in conceptu subiecti vel praedicati inveniatur. Haec iudicia synthetica in experimentalia distinguit, quae sint accidentalia et particularia, et in talia, quae ab experientia nullo modo pendeant, sed tota ex necessitate subiectiva oriantur et sint necessaria et universalia: Horum iudiciorum ut originem explicet, in mente innatas formas ponit subiectivas; duas aspectabilitatis formas: spatium et tempus; et duodecim ad usum intellectus categorias.

In iudiciis illis principium vitandae contradictionis negat ullam vim habere. Ita docuit, in nostra de mundo cogitatione quattuor revera antinomias sive contradictiones inesse, quae nulla ratione solvi possent: mundum in spatio et tempore existentem simul esse finitum et non finitum; materiam in infinitum dividi posse et non posse; omnia evenire secundum legem causalitatis necessariam et simul aliqua fieri ex libera voluntate; mundum habere sui causam et non habere. Atque ita esse quattuor theses et antitheses.

Kant quum in cognitione distingueret materiam et formam, non tamen voluit obiectum cognitionis esse aliquid ex forma et materia compositum; sed solis elementis formalibus rationem obiecti tribuit; id quod ab Herbart his breviter expressum est: Obiectum cognitionis reperitur in formis cognitionis [1].

Logicam generatim [2] censuit tradere regulas cogitandi [3]. Hanc in logicam formalem (universalem) distinxit et transcendentalem (specialem), prout repraesentationes obiectivae in ea negligerentur aut attenderentur [4]. Logicam formalem iterum in logicam puram distinxit, quae omnes affectiones in subiecto ex quacunque experientia exortas negligeret, ad principia dumtaxat attendens, quae inessent in subiecto a priori, i. e. ante omnem experientiam [5], et logicam applicatam, qua leges rationis purae applicarentur ad subiectum cogitans, quatenus id homo esset et experientiae substaret [6].

Et universam suam inquisitionem criticam in omnes facultates cognoscitivas tribus potissimum libris absolvit: Critica rationis purae [7], Critica rationis practicae [8], Critica rationis iudicativae [9].

---

[1] „In der Form des Wissens ist zugleich sein Gehalt anzutreffen." Opp. tom. IV. p. 317.

[2] „Vernunftlehre", „formale Philosophie".

[3] „Wissenschaft von den Regeln des Denkens, d. i. der Verknüpfung unserer Vorstellungen zu Begriffen, Urtheilen und Schlüssen."

[4] „Formale Logik ist Logik ohne Rücksicht auf dasjenige (Vorstellungen, Gegenstände), was gedacht wird. Praktische Logik ist Logik mit Rücksicht auf bestimmte Materialien und Gegenstände des Denkens (worunter man auch zuweilen gewisse Uebungen nach den Regeln der reinen Logik versteht); Organa, Methodenlehre einer Wissenschaft. Transcendentale Logik ist die Wissenschaft des reinen Denkens der Gegenstände."

[5] „Reine Logik ist Logik ohne Beziehung auf die subjective Beschaffenheit des Denkenden, aus lauter Principien a priori."

[6] „Angewandte Logik ist Logik mit näherer Bestimmung und Anwendung der reinen Vernunftgesetze auf das denkende Subject, sofern es durch Erfahrung erkannt, und in der empirischen Anthropologie erklärt wird; Logik des menschlichen Denkens."

[7] „Kritik der reinen theoretischen Vernunft."

[8] „Kritik der praktischen Vernunft."

[9] „Kritik der Urtheilskraft." Logicam edidit Iäsche secundum notas, quibus Kant explicans logicam Meieri in praelectionibus exornaverat.

Ex his maximopere „Critica rationis purae“ est attendenda. Cuius tamen extat editio duplex (1781 et 1787), quarum utraque ingentem sectam sequacem habuit, quarum una sibi nomen Idealismi imposuit, altera Realismi. Quum enim I. G. Fichte aliique ex editione prima intrepida constantia atque audaci consecutionum perpetuitate traxissent conclusiones omnino idealisticas sive subiectivisticas, ita ut extra mentem cogitantem negarent esse quidquam: Kantius ipse, quippe qui id sibi proposuisset, ut impugnaret etiam Idealismum illum purum quem Berkeley induxerat, terrore perculsus opus suum fassus est indigere non quidem emendationis et retractationis, sed tamen explicationis multiplicis. Quocirca scripsit Criticae purae editionem alteram, quae eo differt a priore, quod in ea realitas rerum extra mentem revera existentem multis locis est affirmata. Inter eos, qui praeferunt editionem priorem, eminent Fichte, Rosenkranz, A. Schopenhauer, Kuno Fischer. Editionem alteram sequuntur Herbart, Hartenstein, alii.

Et plurimi sunt, a quibus logica „formalis“ ex mente Kantii exculta est[1].

70. Postquam philosophiae Kantianae dogmata longe lateque per Germaniam divulgata sunt, haud pauci eo sunt progressi, ut doctrinam pantheisticam Spinozae, usque ad illa tempora oblivioni fere traditam, revocarent. Negant Pantheistae nos vel intellectu vel sensu ipsas res percipere secundum ipsarum Esse „reale“; tantum percipere nos docent „phaenomena“; negant igitur apparere in phaenomenis ipsas rerum realitates. Nihil, inquiunt, cognoscimus nisi ea, quorum nosmetipsi causa sumus; cognoscimus autem universum mundum, nos ergo certum est constituere id, quod omnium rerum causa est. Praeterea id, quod est cognoscibile, est intra nos; sed quidquid est, est cognoscibile; ergo quidquid est, est intra nos; sed quidquid est intra nos, est unum idemque nobiscum; ergo quidquid est, est unum idemque ac nos.

His logicae magistris si credimus, et sensu et intellectu percipimus tantum multitudinem quandam rerum pure phaenomenalem et relativam. Sed per „speculationem“ vel „intuitum rationis purae“ cognoscimus illam multitudinem, diversitatem, oppositionem oriri quadam evolutione vel emanatione vel deter-

---

[1] Inter quos praecipui sunt: Maimon (Versuch einer neuen Logik, oder Theorie des Denkens, 1794), Bouterwek (Idee einer Apodiktik, 1799; Lehrbuch der philosophischen Wissenschaften, 1813), Krug (Logik oder Denklehre, 1806), Twesten (Logik, insbesondere Analytik, 1825; Grundriss der analyt. Logik, 1834), Fries (System der Logik, edit. 3. 1837), Laurence P. Hickok (The Logic of reason, universal and eternal. Boston 1875); Ch. Renouvier (Essais de critique générale. Paris 1854, édit. 2. 1875), A. Tandel (Cours de logique, Liège 1844); in Polonia Andreas Sniadecki (1799), Felix Iaronski (1812), Ios. Szaniawski. Et nostro tempore in plurimis libris ad usum scholae conscriptis vestigia Criticismi reperies, velut apud Theob. Ziegler, Lehrbuch der Logik. Bonn 1881.

minatione vel nescio quo processu dialectico ex ente primitivo et absoluto, quod sit unum et omnia. Atque illam notionem entis generalem, quam habemus admodum vagam et indeterminatam, omni determinatione carentem, dicunt Pantheïstae esse ens unum, perfectissimum, absolutum. Quod ab aliis alio modo enuntiatur. Fichte, qui ipsum omnium rerum „Esse" totum et integrum traxit in subiectum cogitans („Ego"), hoc „Ego" acri manu prehensum abstrahit et ab obiecto cognito et a subiecto cognoscente, et rem illam quae relinquatur nudam et abstractissimam salutat „Ego purum". Schelling ope abstractionis reiicit ipsam sui conscientiam, et adhibens „intuitionem intellectualem" videt ipsum „Absolutum", in quo iam ea, quae extra differre inter se videntur, non differunt; quod igitur sit absoluta subiecti et obiecti identitas et „indifferentia omnium differentium". Hegel, ad Fichte fere regressus, per abstractionem ex cogitatione realitatem omnem removet; deinde vero ex cogitatione sive idea omnino vacua et indeterminata per deductionem dialecticam omnem realitatem extrahit, concipiens hanc „ideam" sive „processum logicum" ut ens absolutum, cui tamquam uni infinito filo sive funi inhaereant et mentes cogitantes et entia cogitata tamquam totidem vanae apparentiae.

Quibus ex dictis intelligitur, Kantium Pantheïsmo latissimam viam aperuisse, ut antea neminem. Quum enim id, quod nobis in cognitionibus nostris obiective formaliter repraesentatur, quod igitur in cognitionibus est praecipuum, in formis pure subiectivis posuisset, facile erat addere, etiam excitationem illam, quam Kant a re externa „ignota" petierat, a subiecto cognoscente oriri, secundum placita Pantheïsmi subiectivi; vel etiam rem illam externam „ignotam" esse ipsum ens absolutum secundum placita Pantheïsmi obiectivi.

71. **Logica confecta a philosophis modernis nostri saeculi.** Ioannes Theophilus Fichte (1762—1814) Kantium sequens ens illud obiectivum, quod Kant tamquam ignotum x in ordine externo existere permiserat, negandum esse censuit, illa dumtaxat ut entia agnoscenda esse, sine quibus actus cognoscitivus, quem ego ponerem, esse non posset; ad hunc autem actum satis esse, ut poneretur unum „Ego" indeterminatum, quod in multis „Ego" appareret eo modo, quo somnians somniando personas multas induere soleret, et somniando mundum integrum phaenomenalem efficeret (Bildwesen). Et illud „Ego" apparere sibi continenter per quandam evolutionem pure idealem secundum legem tribus elementis scientiae fundamentalibus expressam, per thesim, qua illud se ponat; per antithesim, qua sibi se opponat; per synthesim, qua se positum et sibi oppositum in superiore unitate iterum componat. Ex illo uno principio scientiam omnem deducendam esse voluit[1].

[1] Cfr. eius opusculum: Ueber den Begriff der Wissenschaftslehre, 1794; et opus praecipuum: Grundlage der gesammten Wissenschaftslehre.

Logicam distinguit formalem sive communem et transcendentalem [1]. Logicam formalem, quum supponat, quod demonstrandum sit, funditus evertendam esse dicit [2]. „Ego" istud summo iure horrere cuncta asseverat, quibus impediri possit, ne cum libertate et ex libidine producat cogitationes quaslibet.

Hoc igitur modo Criticismus KANTII a FICHTE ad Idealismum absolutae subiectivitatis (Reine Ichheitslehre) provectus est. Philosophiam universam duxit esse scientiam scientiae sive doctrinam scientiae [3].

72. FRIED. GUIL. IOS. SCHELLING (1775—1854) FICHTEO contradicens non omnia ad ipsum „Ego" trahenda esse voluit, sed potius ad „identitatem" huius „Ego" et „Non-Ego". Nullam enim putavit cognitionem esse posse, nisi poneretur obiecti cogniti realitas et perfecta eiusdem cum subiecto cognoscente identitas. Quomodo enim, inquit, fieri potest, ut cognoscam aliquid, quod non sit, vel quod a me diversum sit? Unde ens illud ἓν καὶ πᾶν non nomine „Ego" vocari voluit, sed potius „identitatis absolutae", vel „Absoluti"; vel, quia hoc „Absolutum" esset plane indifferens ad ordinem idealem et realem, nomine „indifferentiae omnium differentium"; entis igitur, in quo differentia omnis et oppositio ipsius „Ego" et „Non-Ego", ordinis idealis et realis, spiritus et naturae, infiniti et finiti, unitatis et multitudinis, possibilitatis et existentiae evanesceret. Hanc absolutam identitatem videt mens per „intuitionem quandam intellectualem", eo quod ab omni subiecto cogitante et ab omni re cogitabili abstrahit, et „absolutam rationem" illam, quae est media et indifferens inter subiectum et obiectum, contemplatur. Unde fit, ut logica formalis ad usum scientiae nihil valeat [4].

---

[1] „Alles was Denken zum Objecte hat, ist Logik; wir haben also zwei verschiedene Wissenschaften des Einen Objectes, die gemeine Logik und die transcendentale, d. i. die von der Philosophie aus angesehene Logik." Opp. t. 9; posth. t. 1 p. 111.

[2] „Die Logik lässt das Ich denken vor allem Denken. . . . Der Logiker muss das, was er erklären will, schon voraussetzen. . . . Der Mensch wird schlechthin im Wissen geboren, sein Dasein bringt das Wissen mit sich. . . . Das Wissen selbst denkt ursprünglich. . . . Die transcendentale Logik weiss, dass das, was sie treibt, blosse Reproduction ist des ursprünglichen Lebens des Wissens; die gemeine Logik aber meint, es sei das erste ursprüngliche Denken selbst. Jene setzt das Wissen voraus, das so verfahren ist, wie sie es construirt, und bescheidet sich, ein blosses Nachbild zu sein, und eben daher ist sie transcendental, weil sie sich erkennt als darüber schwebend über dem wahren Denken . . . d. h. auf das Ursprüngliche gerichtet." L. c. p. 112—122.

[3] FICHTEUM secuti sunt G. E. A. MEHMEL (Analytische Denklehre, 1803); IOH. BAPT. SCHAD (Transcendentale Logik, 1801; Institutiones philosophiae universae, tom. 1, logicam complectens, 1812).

[4] System des transcendentalen Idealismus, 1800, p. 35—38; Vorlesungen über die Methode des academischen Studiums, 1803, p. 17 sqq. SCHELLINGIUM

Car. Christ. Friedr. Krause (1781—1832) secutus Schellingium, ut Pantheïsmum cum Theïsmo (vel potius Deïsmo) componeret, systema posuit, cui nomen Panentheïsmi est inditum. Philosophiam ab intuitione ipsius „Ego“ exordia trahere; inde procedendum ad conceptum humanitatis et naturae; et hinc ascendendum ad conceptum essentiae sive Dei. Nos percipere Deum per intuitum immediatum sive sensum[1].

73. Georg. Guil. Fried. Hegel (1770—1831) obiectivam illam realitatem, quam Kant tenuerat ut ignotum x, hanc, simili fere qua Fichte ductus ratione, penitus negavit, et ipsam cogitationem logicam duxit esse omnium rerum essentiam et realitatem[2]. Hanc cogitationem sive ideam habuit ut ἓν καὶ πᾶν, quod sese processu dialectico in momenta diversa et inter se opposita et contradictoria evolveret, ita ut entia cogitata et mentes cogitantes inhaererent tamquam accidentia vel potius vana phaenomena illi processui logico tamquam uni substantiae. Huius processus nos spectatores esse. „Si cogitamus, inquit, non nos cogitamus, sed realitas in nobis cogitatur, dum nos potius passivos nos habemus.“

Quum igitur Schelling omnia ut immota et quiescentia conciperet, Hegel omnia in motu posuit. Et motum quidem posuit esse identitatem inter Esse

---

secuti sunt Klein (Verstandeslehre, oder Anschauungs- und Denklehre, edit. 1. 1810); Thanner (Wissenschaftliche Logik, 1811); Troxler (Logik, die Wissenschaft des Denkens und Kritik aller Erkenntniss, 1830); Ioh. Iac. Wagner (Organ der menschlichen Erkenntniss. Erlangen 1830).

Principia philosophiae Schellingianae reperies etiam in scriptis Francisci Baader (1765—1841) et Francisci Hoffmann, qui distinguunt logicam theosophicam, quae agat de formis cognitionis Dei, et anthroposophicam, quae agat de formis cognitionis humanae; atque etiam apud Iosephum Goluchowski (1822).

Neque multum distant a principiis Schellingianis, qui de logica scripserunt ex schola Güntheriana: W. Kaulich (Handbuch der Logik. Prag 1869); I. H. Loewe (Handbuch der Logik. Wien 1881).

[1] Grundriss der historischen Logik, 1803; Abriss des Systems der Logik, 1825; mit der metaph. Grundlage der Logik verm. Aufl. 1828; die Lehre vom Erkennen oder Vorles. über die anal. Logik, hrsg. von H. K. v. Leonardi, 1836.

Haec philosophia Krausiana ab Ahrens (1808—1874) in linguam Gallicam versa multos asseclas adepta est, praecipue inter Franco-muratores.

Krausium praeterea secuti sunt: Lindemann (Denkkunde oder Logik. Solothurn 1846); Tiberghien (Essai sur la génération des connaissances humaines. Paris 1844; Logique, la science de la connaissance. Paris 1865). In Hispania Del Rio, qui nonnulla scripsit adversus Balmes.

[2] „Ausser meinen Gedanken ist an der Sache nichts, und meine Gedanken sind ausser der Sache nichts.“ Ita in epist. ad Pfaff, ap. Rosenkranz in Heg. vita p. 295.

et Non-esse. Cuius doctrinae consequens est, ut ubique ipsum Esse et Non-esse idem plane esse dicat. Non igitur, sicut Kant, quattuor tantum antinomias sive contradictiones esse voluit, sed omnia contradictionibus referta esse, immo contradictionibus constitui affirmavit [1]. Si autem omnia simul sunt et non sunt, iam sequitur de re qualibet quidlibet affirmari simul et negari posse illaesa veritate [2].

Et ex Hegelii mente logica a metaphysica separari non potest; in ea consideratur ens-idea in primo stadio evolutionis. Distinguitur logica obiectiva, quae continet doctrinam de ente et doctrinam de essentia, et logica subiectiva, quae continet doctrinam de conceptu subiectivo [3].

74. Fried. Henr. Iacobi (1743—1819) id, quod Kant ex iudiciis petierat menti nostrae a natura insitis, ex actu fidei sive caecae

---

[1] „Zu bemerken ist, dass nicht nur in den vier besonderen aus der Kosmologie genommenen Gegenständen die Antinomie sich befindet, sondern vielmehr in allen Gegenständen aller Gattungen, in allen Vorstellungen, Begriffen und Ideen. Dies zu wissen und die Gegenstände in dieser Eigenschaft zu erkennen, gehört zum Wesentlichen der philosophischen Betrachtung; diese Eigenschaft macht das aus, was weiterhin sich als das dialektische Moment des Logischen bestimmt." Encyclopädie der philosophischen Wissenschaften, 1. Thl., Berlin 1840, § 48.

[2] Addit Hegel: „Auf dem Standpunkt der alten Metaphysik wurde angenommen, dass, wenn das Erkennen in Widersprüche gerathe, so sei dieses nur eine zufällige Verirrung, und beruhe auf einem subjectiven Fehler im Schliessen und Raisonniren. Nach Kant hingegen liegt es in der Natur des Denkens selbst, in Widersprüche (Antinomien) zu verfallen, wenn dasselbe das Unendliche erkennen will. . . . Es verdient bemerkt zu werden, dass Kant auch hier bei dem bloss negativen Resultate der Nichterkennbarkeit des Ansich der Dinge stehen geblieben, und nicht zur Erkenntniss der wahren und positiven Bedeutung der Antinomien hindurch gedrungen ist. Die wahre und positive Bedeutung der Antinomien besteht darin, dass alles Wirkliche entgegengesetzte Bestimmungen in sich enthält, und dass somit das Begreifen eines Gegenstandes nur soviel heisst, sich dessen als einer concreten Einheit entgegengesetzter Bestimmungen bewusst zu werden." L. c. Zusatz.

[3] Wissenschaft der Logik, edit. 2. 1834; Encyclopädie der philosophischen Wissenschaften im Grundrisse, 1. Thl.: Die Wissenschaft der Logik, §§ 19—244.

Ex mente Hegelii de rebus logicis scripserunt: G. A. Gabler (Lehrbuch der philos. Propädeutik. Erlangen 1827); Mussmann (De logicae et dialecticae notione historica, 1828); Hinrichs (Grundlinien der Philosophie der Logik. Halle 1826); I. E. Erdmann (Grundriss der Logik und Metaphysik. Halle 1841; edit. 4. 1864); Franz Riese (Philos. Propädeutik, 1845); Rosenkranz (Wissenschaft der log. Idee. Königsberg 1859); Kuno Fischer (Logik und Metaphysik, edit. 2. Heidelberg 1865); C. C. Everett (The Science of Thought, 1869).

Extra Germaniam Hegelium secuti sunt: A. Vera (1859), Bertrando Spaventa (1861), Felice Tocco, Bronislaw, Ios. Kremer, Trentowski (1844), Carol. Libelt, Aug. de Cieskowski.

cuiusdam credulitatis repetendum esse voluit, qui ab anima vehementer sentiretur neque ulla probatione egeret. Fide igitur tenentur principia, quae sunt demonstrationis cuiuslibet exordia. Res externas existere tenemus fide illa, qua veritatem sensationis credimus. Existere mundum intelligibilem, scimus perceptione immediata manifestationis divinae per sensum intimum, quae perceptio actu fidei constituitur. Timuit Iacobi, ne ratio humana, per viam demonstrationis incedens, necessario laberetur in Pantheïsmum, eligens autem viam Criticismi, ad Scepticismum tandem perveniret. Neque praeter Iacobi desunt alii, qui tanta turbatione rerum philosophicarum perculsi, de vi cognitionis humanae desperantes unum refugium quaesierunt in actu fidei.

Docuerat Petr. Dan. Huetius (1630—1721) nullum hominem ex naturae viribus rem ullam certo cognoscere posse[1], sed ad habendam certam de aliqua re cognitionem requiri revelationem divinam.

Idem fere proposuit Lud. Gabr. de Bonald (1754—1840). Qui arbitratus est primitus homini necessariam fuisse revelationem quandam praeternaturalem, unde vocabula didicisset atque ita ad formandas ideas pervenisset. Deum igitur ipsum docuisse primos homines simul cum sermone veritates primarias, et hos per traditionem ad omnes eius posteros simul cum sermone transiisse.

Haec Traditionalismi vestigia persequens Hugo Felicitas Robertus de Lamennais (1782—1854) docuit[2] hominem individuum ex se solum nihil unquam quod vere certum sit, cognoscere posse, sed omnem certitudinem ex ratione generali, i. e. ex consensu generis humani hauriendam esse.

75. Friedr. Dan. Ernestus Schleiermacher (1768—1834), Schellingio finitimus, mollem et sensualem Pantheïsmum professus, etiam de rebus dialecticis librum scripsit. Ex ente absoluto oriri ordinem realem et ordinem idealem, qui inter se congruentes essent, ita ut esset parallelismus inter operationes mentis nostrae et res processusque reales. Harum rerum cogitationumque identitatem non percipi ab homine, sed esse sumptionem tacitam, quam unusquisque in se persentisceret. Dialecticam dixit esse artem sermocinationis internae, qua cogitationes nostrae componerentur in pace tum inter se, tum cum rerum realitate. Distinguit in dialectica

---

[1] Traité philosophique de la faiblesse de l'esprit humain.

[2] Essai sur l'indifférence en matière de religion, tom. 2.

partem duplicem, transcendentalem et technicam sive formalem; in illa agendum esse de essentia scientiae secundum seipsam, praecipue de conceptu et de iudicio, ut respondeant formis existentiae; in parte technica de scientiae genesi esse dicendum, praecipue de syllogismo inductivo et deductivo et reliquis formis combinatoriis, ut sint formae motuum mentalium. Conceptibus nostris respondere formas substantiales in rebus; iudiciis respondere rerum actiones[1].

76. Friedr. Ed. Beneke (1798—1854) omnes nostras cognitiones ex experientia interna trahendas esse censuit, nosmetipsos nos cognoscere perfecte et immediate arbitrans, mundum autem externum mediate tantum et admodum imperfecte. Logicam esse eam partem psychologiae, quae nos doceret, qua ratione processus cognitionis efficeretur.

Substantiam animae negavit atque etiam potentias, essentiamque animae in habitibus posuit complexis, qui consuetudine, exercitatione, educatione acquirerentur. Scientiae id propositum esse, ut ostenderetur, qua ratione complexa ex simplicibus elementis orirentur.

Scripsit systema logicae. Artem syllogisticam ab Aristotelicis traditam parvi pendit, omneque momentum ponit in syllogismis complexis per substitutionem reducendis ad formam incomplexam.

Benekium secutus est I. G. Dressler[2]. Neque multo aliter arbitratus est Reichlin-Meldegg[3] logicam esse partem scientiae naturalis.

Pasquale Galuppi (1770—1846) ex multis scholis placita traxit eaque in unum systema composuit. Philosophiam dixit esse scientiam de actibus humanis, cuius in parte theoretica ageretur de cogitatione, in parte vero practica de volitione. Ultimum veritatis criterium esse internum conscientiae testimonium. Hominem immediate sentire dumtaxat seipsum, et hac sui ipsius perceptione

---

[1] Etsi Schleiermacher nonnulla praeclare praecepit, non sine ratione de ipso iudicatum est: „Schleiermachers Wissenschaft ist die Kunst der Schaukelei des Denkens, seine Religion eine Schwebereligion, seine Ueberzeugung die Ueberzeugungslosigkeit". Hillebrand, Geschichte der deutschen Nationalliteratur.

Discipulos Schleiermacher non est nactus; eum tamen aliqua ratione secuti sunt: Henr. Ritter (Vorlesungen zur Einleitung in die Logik, 1823; Abriss der philosophischen Logik, 1824; System der Logik und Metaphysik, 1856; Encyclopädie der philosoph. Wissenschaften, 1864); Franc. Vorländer (Wissenschaft der Erkenntniss, 1847); L. George (Die Logik als Wissenschaftslehre. Berlin 1868).

[2] Die Grundlehren der Psychologie und Logik, 1866, 1872.

[3] System der Logik, nebst Einleitung in die Philosophie, 1870.

interveniente etiam alia. Conceptus universales nihil esse nisi modos cognitionis effectos a mente abstrahente et comparante[1].

77. Ioh. Friedr. Herbart (1776—1841) secutus Kantium obiectum logicae posuit in solis cogitandi formis subiectivis, omni respectu ad rerum cognitionem praetermisso. Metaphysicae id muneris esse, ut nos doceret, qua ratione cognoscerentur res; quamobrem metaphysicae laborandum esse, ut conceptus nostri ab omni contradictione liberarentur.

Quum videret Herbart, de omni scientia et philosophia actum esse, si aliquid posset simul esse et non esse, principium vitandae contradictionis adversus Hegel magna accuratione est tuitus. Concessit tamen, in ipso „Fieri“ vel motu sive mutatione involvi contradictionem, et simili contradictione etiam continuitatem sive extensionem affectam esse; inde fieri, ut conceptus omnes, quos de rebus huius mundi visibilis haberemus, contradictionibus referti essent. Et propter has apertas contradictiones realem motus et extensionis existentiam negavit, arbitrans totum hunc mundum esse vanum et apparentem dumtaxat, cui tamen entium moles sive ut ipse ait „realium“ subesset[2]. Sicut igitur Fichte et qui hunc secuti sunt Idealistae systema Kantianum ad Idealismum pure subiectivum excoluerunt, ita Herbart Realismum quendam professus est, retentis tamen Kantii principiis.

Logicam formalem admisit hancque dixit esse eam philosophiae partem, in qua normae traderentur, quibus conceptus claritate exornarentur et distinctione, et haec quidem praecepta ad conceptus, iudicia, ratiocinia trahenda esse. Logicam ad exercitium mentis plurimum valere confessus est, nihil tamen ad cognoscendam rerum realitatem; a logica aperiri, augeri, foveri contradictiones, nedum ab ea contradictiones, quae in conceptibus experimentalibus reperirentur, tolli possent[3].

---

[1] Saggio filosofico sulla artica della conoscenza. Napoli 1819—1832; Lettere filosofiche sulla vincende della filosofia relativamente ai principii delle conoscenze umane, da Cartesio sino a Kant inclusivamente. Napoli 1838; Elementi di filosofia. Messina 1832; Introduzione allo studio della filosofia. Napoli 1832; Lezioni di Logica e di metafisica. Napoli 1842.

[2] „Die gegebenen Begriffe zeigen sich bei näherer Untersuchung von Widersprüchen durchflochten, und es herrscht demnach auf dem Gebiete der Erfahrung der Schein. Aber wenn nichts wäre, könnte auch nichts scheinen, und es muss wie viel Schein, so viel Hindeutung auf's Sein geben.“

[3] „Herbart greift die Logik, die Giltigkeit ihrer Lehren viel stärker an, als es jemals geschehen ist. Das logische Denken bildet selber die Widersprüche in den Erfahrungsbegriffen, welche die Logik nicht lösen kann. Es gibt darnach keine Logik der Thatsachen, sondern nur eine Logik des bloss formalen wörtlichen Denkens. Das logische Denken hat keine Giltigkeit in der empirischen Erkenntniss; und die Logik enthält kein Organon, kein Kriterion für diese Erkenntniss. Sie handelt nur von dem Denken, um zu denken, welches zum Erkennen nichts nützt, da alle Empirie damit im Widerspruche sein soll und die Logik diese Widersprüche nicht soll lösen können. Sie handelt nur

Ad usum scientiae et cognitionis realis HERBART praeter logicam aliam postulavit disciplinam methodicam et metaphysicam, quae ex se tollendis istis contradictionibus par esset [1].

78. In Gallia VICTOR COUSIN (1791—1867) ut Materialismum et philosophiam sensualisticam firmius et efficacius impeteret, novam Eclecticismi theoriam proposuit; quem THEOD. JOUFFROY (1796 ad 1841), M. PH. DAMIRON (1794—1862), alii secuti sunt. Et hi quidem unam ad inveniendam veritatem viam in crisi posuerunt omnium systematum, quae unquam ab aliquo philosopho proposita essent. Neque id agendum dicunt, ut eligatur componaturque, quidquid veritatis in variis systematis quasi membratim detegatur, sed id potissimum, ut systemata omnia vel maxime inter se contradictoria, ita ut sunt, concilientur. Hoc pacto etiam in rebus ad religionem spectantibus veritatem cum cuiuslibet generis erroribus isti studuerunt componere. Hanc viam dixerunt esse facillimam atque tutissimam, qua ad unius veritatis claram cognitionem omnes pervenirent. Sed eventus spem atque promissionem misere fefellit. Nam ne ipsi quidem huius sapientiae patriarchae in rebus principalioribus inter se convenerunt aliique in alios errores abierunt. Ita COUSIN creationem impossibilem esse docet; TH. JOUFFROY in Scepticismum obiectivum lapsus est; DAMIRON Deum negat quidquam praescire posse, quod a libera voluntate futurum sit.

79. ALPHONSUS GRATRY (1805—1872) ex illis est, qui cognitionem omnem ex immediato Dei ut entis absoluti intuitu, quo unusquisque homo perpetuo fruatur, deducunt. Quem Ontologismi errorem, a MALEBRANCHE iam propositum et in Italia alio modo ab ANTONIO ROSMINI-SERBATI (1797—1855) et alio modo a VINCENTIO GIOBERTI

---

von dem Denken, welches nicht auf das Seiende gerichtet ist, welches nicht erkennen und wissen will. . . . Diese formale Logik . . . enthält daher nur eine Gymnastik des Denkens, welches für Schulzwecke empfehlenswerth sein mag, aber es nicht ist für das Studium und die Bildung der Wissenschaften.“ HARMS, Die Philosophie seit KANT, Berlin 1876, p. 514.

[1] Cfr. HERBART, Lehrbuch zur Einleitung in die Philosophie, 1813 (edit. 5. 1850), §§ 34—71.

HERBARTII vestigiis insecuti sunt GRIEPENKERL (Lehrbuch der Logik, 1831); H. W. WAITZ (Hauptlehren der Logik, 1840); STRÜMPELL (Entwurf der Logik, 1846; Grundriss der Logik, 1881); ALLIHN (Antibarbarus logicus, 1853); ROB. ZIMMERMANN (Philos. Propädeutik, 1852; edit. 3. 1867); AD. LINDNER (Lehrbuch der formalen Logik, 1861; edit. 4, 1877); MATTH. AMOS DEBAL (Lehrbuch der propädeutischen Logik, 1874); K. V. STOY (Philos. Propädeutik, 1869); IGN. POKORNY (Neuer Grundriss der Logik, 1878); IOS. MICH (Grundriss der Logik, edit. 3. 1877).

(1801—1852)[1] propositum, GRATRY speciali modo ad res logicas traduxit[2].

Certitudinem GRATRY inde derivat, quod omnis nostra cognitio sit visio Dei et actus fidei erga Deum elicitus, fidei autem falsum subesse non possit[3]. Syllogismum ad unam formulam revocat: Tres unum sunt; atque ita fundamenta universae logicae in SS. Trinitate quaerenda esse[4]. Sicut in Deo sit principium, imago, vinculum, ita in propositione esse subiectum, praedicatum, copulam. Ex dogmate: „Et in hac Trinitate nihil maius aut minus, sed totae tres Personae coaeternae sibi sunt et coaequales" fluere syllogismi regulam: Latiorem hunc quam praemissae conclusio non vult. Atque ita deinceps[5].

Menti humanae duas cognoscendi vias tribuit[6]. Aut enim mens ex principio universali aliquod particulare concludit, aut a particularibus ad universale proficiscitur. Si priore via procedit, ab eodem ad idem progreditur, quia particularia universali continentur. Sin posteriorem viam tenet, ab una re ad rem plane diversam transibit, quia universale particularibus non continetur. In priore via fit processus syllogisticus, in hac autem processus inductivus[7]. Solus autem processus inductivus inventioni inservire potest; syllogismo nihil unquam, quod novum sit, cognosci potest[8].

In hoc autem cerni humanae superbiae signum arbitratur GRATRY, quod non velit discere nova, sed paucis illis contineri in hisque circumvolvi, quae iam cognita habeat. Inde consequens esse, ut velit semper adhibere viam deductionis (Log. tom. 1 p. 399). Recte autem constitutum animum praeferre potius processum inductivum, quae via unica sit inveniendi nova. (L. c. p. 402.) Sicut deductio fundamenta habeat in SS. Trinitate, ita inductionem referri ad mysterium Incarnationis[9].

Huius inductionis essentia in eo cernitur, quod ex cognito uno facto interiore existentia facti exterioris, vel legis naturalis, vel notionis universalis immediate inducitur (Log. tom. 2 p. 2). Nititur autem in firmo conscientiae testimonio. Hoc actu intellectus generatim a finito ad infinitum progreditur per destructionem limitum, quibus finitum coartatur. Quia intellectus hoc modo a finito ad infinitum prosilit, infinita illa, quibus unum ab altero seiungi intelligimus, destruit et delet; unde huic inductioni nomen „processus infini-

---

[1] Introduzione allo studio della filosofia, 1839.

[2] Logique par A. GRATRY, Prêtre de l'oratoire, Paris 1855, t. 2 p. 260.

[3] Log. tom. 1 p. 29 et 32. [4] L. c. p. VI. et p. 386, 387.

[5] L. c. p. 392, 397.

[6] L. c. p. 114. „Ces deux procédés reposent sur deux principes, que l'on peut appeler principe d'identité et principe de transcendance" (p. 115).

[7] „Le procédé dialectique ou inductif affirme dans la vue du fini l'infini par la négation des limites." L. c. p. 121.

[8] „Le syllogisme développe, mais n'ajoute pas." Log. tom. 2 p. 195.

[9] „. . . imitation du mystère de la vie de Dieu dans son rapport aux créatures. Comment les créatures sont-elles supportées par le Verbe? Comment le Verbe s'incarne-t-il? Cur Deus homo? Comment le fini conçoit-il l'infini? . . . L'humanité entière doit-elle dire à la fin comme S. PAUL: ‚Non iam vivo ego, vivit vero in me Christus'?" L. c. p. 411.

tesimalis" apte imponi potest. (Tom. 2 p. 76.) Potest etiam vocari, id quod Platoni placuit, „methodus dialectica", quum per eam mens a rebus conditioni subiectis ad illud, quod omnis conditionis expers sit, tollatur[1]. Hanc esse dicit illam analysim infinitorum, quam saec. XVI. et XVII. Leibniz, Kepler, Newton, alii ad summum scientiae incrementum adhibuerint. Et merito ab Apelt[2] enuntiatum esse, „theoriam verae methodi inductivae existere non potuisse, antequam calculus infinitesimalis inventus esset, eiusque ope a Keplero systema mundi demonstratum". (Tom. 2 p. 65.)

Hanc autem de qua dicit inductionem ab inductione, quae in scientia naturali adhiberi soleat, omnino diversam esse vult. (Tom. 2 p. 51, 62.)

Quid autem in causa est, cur mens humana ab una re cognita ad aliam plane diversam tuto transilire possit? Haec in instinctu vel potius sensu quodam divino cernitur, quo fit, ut, ubi primum mens rem finitam, internam, contingentem, multiplicem perceperit, statim sub finito infinitum, sub interno externum, sub contingenti necessarium, sub diverso unum quiddam omisso omni nexu cognoscitivo quasi sentiat. (Tom. 2 p. 191, 193.) In hoc transitu a finito ad infinitum reperiri actum fidei liberum dicit. (Tom. 2 p. 194, 195.)

Et plurimae quidem cognitiones huic inductioni adscribuntur: 1° Homo posita cognitione sensili affectionis subiectivae cognoscit rem externam. Hanc enim ipsam non cognoscit; quo igitur pacto eam cognosceret nisi inductione?[3] 2° Per inductionem infert ex duratione interna cognita durationem rerum externam, quae in se ab homine cognosci non potest[4]. 3° Per inductionem fit abstractio illa intellectualis, qua mens humana a re percepta particulari parat conceptum universalem; atque id praecipuum inductionis munus esse videtur. Quo enim alio modo id, quod universale est, percipi potest, quum sensus per-

---

[1] L. c. p. 4—12; quo loco explicat Plat. de republ. l. 7 n. 532 sqq.; Soph. 253 E.; Phaed. n. 101 E.

[2] Die Theorie der Induction. Leipzig 1854. [3] Log. tom. 2 p. 45, 186.

[4] Approbat ea, quae sunt apud Royer-Collard: „Le procédé, par lequel nous passons de notre propre durée à la durée des autres existences, et de là à la durée universelle et nécessaire, est le même qui nous fait passer immédiatement de notre causalité et de notre substance à la substance et à la causalité extérieures. Ce serait une grave erreur de le confondre, soit avec la déduction soit avec cette autre induction sur laquelle reposent les sciences naturelles, et dont Bacon a tracé les lois. Je ne déduis point de ma durée la durée extérieure: elle n'y est point contenue; encore moins la durée universelle, car le tout ne saurait être renfermé dans la partie. Mais à l'occasion de ma durée je conçois et ne puis pas ne pas concevoir la durée de toutes choses, la durée infinie et absolue. J'induis donc, je ne déduis pas. D'un autre côté je n'induis pas à la manière du physicien; l'induction du physicien a pour base la stabilité des lois de la nature d'où il suit que ses conclusions sont toujours hypothétiques (!); les lois de la nature ne pourraient être rigoureusement constatées que par l'universalité des faits; d'où il suit que le physicien, concluant un fait inconnu du petit nombre des faits connus, n'obtient jamais qu'une probabilité plus ou moins forte; au lieu que l'induction dont nous parlons, s'appuyant sur un seul fait attesté par la conscience, s'élève sans incertitude à des conclusions qui ont toute l'autorité de l'évidence." Log. tom. 2 p. 42. Cfr. p. 51, 189.

cipiat tantum id, quod particulare est? (Tom. 2 p. 46 sqq.) 4° Per inductionem calculus infinitesimalis efficitur. (Tom. 2 p. 89—169.) 5° Et sicut inductio applicata ad mathesim calculum infinitesimalem efficit, ita applicata ad mundum visibilem a Keplero astronomiam effecit. (Tom. 2 p. 59 sqq. 173.) 6° Quinimmo inductionem laudat Gratry ut fundamentum omnis vitae, poësis, pietatis. (Tom. 2 p. 43, 120.)

Atque his breviter dictis nemo non videt, quantopere tota haec a Gratry proposita philosophandi ratio a philosophia scholarum Christianarum diversa sit.

80. In Anglia William Hamilton (1788—1856) placita Thomae Reidii et Kantii sectatus praeter sola phaenomena primitiva conscientiae nulla fundamenta philosophiae admisit. Sicut igitur Kant et Herbart, ita etiam Hamilton cogitationi nostrae indolem cognitionis denegavit[1]. Praecepta de cogitandi legibus ab Aristotele constituta magni duxit; sed ea imcompleta esse iudicavit eo, quod Aristoteles ad quantitatem praedicati, quae deberet esse par quantitati subiecti, non satis attendisset. Praecepit igitur Hamilton, ut ipse sibi videbatur, omnino nova et admodum utilia „de quantificatione praedicati".

Ante Hamilton hac de re dixerat iam Georg. Bentham[2]. Sed enucleatius primus scripsisse videtur Hamilton. Huic si credimus, in omni enuntiatione copula est signum paritatis et aequivalentiae eo modo, quo in mathesi dicitur $2 \times 2 = 4$. Atque ita omnis syllogismus ad unum typum revocatur per vim mathematicam: $A = B$, $B = C$, ergo $A = C$.

Dum igitur in logica Aristotelis numerantur quattuor iudiciorum genera, velut: *Omnis homo est animal. Aliquod animal est homo. Nullus lapis est animal. Aliquod animal non est homo;* in hac nova logica sunt octo, velut: *Omnes homines sunt omnia animalia rationalia. Omnes homines sunt aliqua animalia. Aliqua animalia sunt omnes homines. Aliqui bipedes sunt aliqui implumes. Nullus lapis est animal. Nullus homo est aliquod animal. Aliquod animal non est homo. Aliqua animalia non sunt aliquae substantiae.*

Et haec est nobilis illa praedicati quantificatio, a qua tamquam ab arte omnino nova nonnulli salutem logicae exspectant per aliquam eiusdem reductionem ad processus mathematicos.

Quum ex Hamiltonii sententia de solis cogitandi formis agendum sit, omnis inductio, quae sit modus cognoscendi, et non cogitandi, ex logica exulare iubetur. Et ea tantum inductio admittitur, quae est modus formalis cogitandi hoc modo:

a, b, c sunt M;
M est O;
ergo a, b, c est O.

---

[1] Edidit opera Reidii, quibus adiunxit Supplementary dissertations. Post eius mortem edita sunt: W. Hamilton's Lectures on Metaphysics and Logic, edited by the rev. H. L. Mansel and John Veitch, 1859—1863.

[2] Outlines of a New System of Logic, 1827.

Aug. de Morgan (1806—1871) maximi facit logicam formalem, i. e. eam, quae ad solas cogitandi leges subiectivas attendat, omni cura cognoscendarum rerum praetermissa. Ut autem omnia, quae cogitationis humanae propria essent, detegi et exprimi possent, cogitationes ab omni vinculo vocabulorum solvendas esse dixit. Imperfectionem sermonis humani in causa esse, cur ars logica hactenus ad perfectionem nondum perducta esset. Unde conatus est conceptus omnes revocare ad quantitates numericas eo fere modo tractandas, ut fieri solet in arithmetica [1].

Georg. Boole (1815—1864) Hamiltonium et de Morgan secutus, omnes mentis operationes logicas ad operationes algebraicas reducere studuit, ita ut logica sit pars algebrae [2]. In rebus logicis symbola adhiberi voluit, quae symbolis algebraicis essent similia.

W. Stanley Ievons id perficere conatus est, quod Boole sibi proposuit, accuratius attendens ad diversitatem, quae esset inter operationes logicas et operationes algebraicas. Logicam non esse partem mathesis, sed potius mathesim esse partem logicae applicatae.

81. Adolphus Trendelenburg (1802—1872) systemata Kantii, Hegelii, Herbartii crisi subiiciens, ad principia philosophiae Aristotelicae regrediendum esse censuit [3]. In logica ostendendum esse, qua ratione fieret, ut cogitationi humanae obiiceretur aliqua veritas ontologica sive veritas rerum per se a mente humana non pendens; et qua ratione haec rerum veritas sive ipsum „Esse" rerum quasi intraret in cogitationem nostram ita, ut haec nostra cogitatio revera esset rerum cognitio. Haec convenientia inter Esse et Cogitare ut ostenderetur, ad aliquid primitivum et utrique commune recurrendum esse. Atque id se reperisse in motu sibi videbatur, qui esset res omnino primitiva et simplex. Quocirca Trendelenburg omnia ad motum revocare est conatus.

Motum ex fonte suo primitivo oriundum dividi in duos, unum mechanicum, quo producerentur phaenomena materialia atque ipsa materia; alterum psychicum, quo in nobis producerentur „cogitationes". Sed etiam in fundo uniuscuiusque rei latere quandam „cogitationem", ex qua in rebus oriretur lex et ad certum finem directio. Cogitationes in homine exorientes cum cogitationibus illis, quae sint in rebus, congruere propter quandam inter motum mentalem et motum externum harmoniam a Deo stabilitam.

Sed Trendelenburg, quum principium vitandae contradictionis contra omnes Hegelii impugnationes acriter defendisset, a motu notam contradictionis

[1] First Notions of Logic, 1839. Formal Logic or the Calculus of Inference necessary and probable, 1847.

[2] The mathematical analysis of Logic, being an essay towards a calculus of deductive reasoning, 1847. An investigation of the Laws of Thougth on which are founded the mathematical theories of Logic and Probabilities 1854.

[3] Logische Untersuchungen, edit. 1. 1840; edit. 3. 1870.

arcere non magis valebat, quam HERBARTIUS [1]. Nihilo tamen setius tenuit, motum realiter in mundo inesse; contradictionem inde oriri, quod motum analysi subiicere vellemus, quum tamen motus, utpote res simplex, omnem analysim horreret [2]. (ARISTOTELES, ut hanc difficultatem solveret, motum localem dixerat esse speciem motus in genere accepti, et esse quoddam „Fieri" continuum, hinc medium quoddam inter Esse et Non-esse [3]. Qua de re accuratius erit dicendum, ubi agetur de tempore vel de ente successivo.)

82. Praeter hos, quorum mentio incidit hactenus, plurimi sunt, qui inter KANTII logicam pure formalem et HEGELII logicam metaphysicam medii incedentes quaesierunt viam, qua per cogitationem recte institutam ad veritatis cognitionem perveniretur. Neque alienum est, ex his aliquos adducere.

MAUR. GUIL. DROBISCH [4] primo tempore vestigiis HERBARTII inhaerens in logica de actibus cogitandi subiective tantum spectatis agendum esse dixit, non de actibus, quibus res cognoscantur. Unde omnia praecepta ad metaphysicam vel psychologiam pertinentia, et quidquid ad theoriam cognitionis spectaret, ex logica eiecit. Essentiam cogitationis posuit in facultate comprehendendi multa sub aliqua unitate; cogitatione comprehendi notas multas in uno conceptu, conceptus multos in uno iudicio, iudicia multa in uno ratiocinio; atque has res omnes multas in una scientia.

HERMANNUS LOTZE logicam vult esse non pure formalem, sed etiam realem, quatenus mens humana ex natura sua disposita sit, ut cognoscat res externas. Atque id recte quidem. Sed causam ultimam et principem huius convenientiae inter mentem nostram et res externas non arbitratus est esse Deum, qui nos aptos effecerit, qui cognoscamus res, et res aptas, quae cognoscantur a nobis, verum Pantheïstarum more et nos et res externas esse unius entis apparentias statuit.

Praeterea docet non hoc esse logicae, ut leges cogitandi constituat explicetve, sed ut ostendat, quam hae leges originem habeant et qua ratione referantur ad reliquas mentis operationes. Et ipse quidem demonstrare conatur, eas leges oriri ex necessitate vivendi secundum normam ethicam [5].

---

[1] „Die Bewegung, die vermöge ihres Begriffes an demselben Punkte zugleich ist und nicht ist, ist das lebendige Widerspiel der todten Identität." Logische Untersuch. edit. 3. I. p. 189. „Der Punkt ist der erste Träger desjenigen Widerspruches, der in der Bewegung, sobald die darin enthaltenen Elemente zerlegt wurden, hervortrat." L. c. p. 276.

[2] „Was in sich ursprünglich und einfach ist, muss sich als solches gegen jede Zerlegung, und daher auch gegen jede durch Zerlegung begreifende Erkenntniss sträuben, und diesen Widerstand in den Widersprüchen kundgeben, in welche jede künstliche Scheidung es verwickelt." L. c. p. 217. TRENDELENBURGIUM secuti sunt C. HEYDER, A. L. KYM.

[3] L. 1 (2) metaph. c. 11 (c. 2) 994 a. 25.

[4] Neue Darstellung der Logik, 1836; edit. 4. 1875.

[5] „So wie der Anfang der Metaphysik, so liegt auch der der Logik in der Ethik." Cfr. Mikrokosmus tom. 2 l. 5 c. 3; Logik (edit. 1. 1843, altera 1874 et 1880); drei Bücher vom Denken, vom Untersuchen, vom Erkennen. In

Hermannus Ulrici[1] gloriatur, se reformationem logicae et in capite et in membris non solum incepisse, sed etiam perfecisse. Logicam non solum a metaphysica, sed etiam ab omni theoria cognitionis omnino separandam esse; a se primo fundamenta logicae formalis, cui soli nomen logicae competat, esse posita, a se primo ostensum esse, principium causalitatis esse legem cogitandi universalem; a se primo leges cogitandi omnes recte deductas esse[2]. Et revera in huius philosophi libris haud pauca reperies, quae praeclare dicta sunt, quia cum doctrina Aristotelica omnino conveniunt. Essentiam cogitationis posuit Ulrici in facultate distinguendi.

Christophorus Sigwart[3] in logica partes praecipuas tribuit „iudicio". In parte prima, quae est analytica, primo resolvitur iudicium in repraesentationes praedicamentales et subiectivales, quae secundum diversas rationes synthesis inter se coniunctae sint. Deinde traditur iudiciorum divisio, ita tamen, ut omnia iudicia revocentur ad formam unam, quae sit praedicatio categorica unius praedicati de uno subiecto. In altera parte, quae quasi legislativa est, constituitur norma iudicii omnibus numeris perfecti. Ob quem finem primo de conceptibus disseritur et deinde de legibus iudicii, i. e. de veritate iudicii immediati et de probatione iudicii mediati per ratiocinia recte instituta. In parte tertia, quae est methodica, ostenditur via, qua perveniatur ad conceptus perfecte determinatos et ad iudicia perfecte fundata. Conceptus primo resolvuntur in elementa prima, et deinde iterum componuntur. Formanda autem iudicia quod attinet, primo dicitur de deductione, probatione, reductione, hypothesibus, de quaestionibus recte instituendis, de calculo probabilitatum; secundo de iudiciis perceptivis et de observatione recte instituenda; tertio de constituendis per inductionem iudiciis universalibus et de quibusdam inductionis adiumentis.

Fr. Ueberweg (1826—1871)[4] Aristotelem secutus logicam sic definit, ut sit scientia legum, quae dirigant cognitionem humanam; eam versari dicit in explicanda perceptione sensili, quae sit quasi imago ordinis rerum externi, et in explicanda cogitatione, quae secundum formas intuitionis, conceptus, iudicii, ratiocinii, systematis imitetur et quasi depingat ordinem rerum internum. De habitudine inter cognitionem et rem cognitam praeclare dicit multis locis. Sed quum rationem et radicem huius habitudinis altius explicare vellet, misere in Materialismum lapsus est.

I. I. Hoppe recte docet „Cogitare" re idem esse atque „Cognoscere". Ad id homini tandem enitendum esse dicit, ut ea cogitet, quae Deus ante cogitaverit. Scientiam naturalem imitatus ex natura operationum intellectualium diligenter observata praecepta logica eruere studuit. Distribuit logicam in

---

logica pura plurima leviter tetigit de repraesentatione (Vorstellung), iudicio, ratiocinio; in logica applicata variarum rerum quasi mercatum instituit inter se non cohaerentium; in libro tertio de theoria cognitionis nonnulla proposuit.

Lotzium secuti sunt Ed. Rahnisch (Studien zur Metaphysik, 1872); Guil. Hollenberg (Logik, Psychologie und Ethik als philosoph. Propädeutik. Elberfeld 1869; edit. 2. 1875).

[1] System der Logik, 1852; Compendium der Logik, 1860 et 1872.

[2] Compend. d. Log., edit. 2. praefatio.

[3] Beiträge z. Lehre vom hypothetischen Urtheile, 1871; Logik, 1873 u. 1878.

[4] System der Logik, edit. 1. anno 1857; edit. 5. anno 1882.

partes quattuor: 1° de conceptu, iudicio, ratiocinio; 2° de toto et partibus; 3° de causis et effectibus; 4° de methodo. Graviter monet, ut in logica ne omittatur diligens causarum tractatio [1].

Guil. Schuppe [2] primo ostendere conatur per theoriam cognitionis id, quod hactenus a logicis insipienter omissum et suppositum esse dicit, qua videlicet ratione oriatur conceptus de re singulari. In altera libri parte, quae „specialis" nuncupatur, de variis iudicii generibus disputat. Primum omnium principium esse „identitatis" (A = A); ad identitatem accedere, ut certae res possint vel debeant componi (Zusammengehörigkeit); cuius rei quattuor genera distinguit. Hac via perveniri ad perfectum uniuscuiusque rei conceptum [3]. Atque his fundamentis magno cum labore positis disputat de conceptibus universalibus.

Leonardus Rabus [4] magistrum secutus est praecipue Ioh. Iac. Wagner; nobili studio universam philosophiam ad dogmata fidei Christianae referens, arbitratur in acquirenda cognitione rerum supersensibilium intervenire fidem (secundum doctrinam „reformationis" saeculi XVI.) aliasque animi affectiones, eo fere modo, quo sensus interveniant in cognoscendis rebus sensibilibus. Ex principiis fidei oriri cogitationes. In cogitatione distinguit processus multos. In primis distinguuntur formae sive formalitates cogitandi, ut subsunt sermoni, et ipsum Cogitare. Distinguendum quoque esse dicit inter „Cogitare" et „Repraesentare". Ipsum „Cogitare" sibi obiici per imagines sive phantasmata [5]. In imagine distinguit partem sensibilem et partem idealem sive intelligibilem. Atque hanc esse quaestionem omnium principem, qua quaeratur, quomodo ex imagine sensili oriatur species intelligibilis.

83. H. Steinthal [6] de relatione inter logicam et grammaticam disserens, coniunctionem intimam ponit, ita tamen, ut cogitatio potius pendeat a lingua, quam lingua a cogitatione; linguam apud homines ortam esse sine essentiali a cogitatione dependentia. Quae sententia etiam a Guil. de Humboldt erat proposita.

Alii (inter quos M. Müller, L. Geiger, L. Noiré) eo progressi sunt, ut dicerent, cogitationes logicas atque ipsum intellectum ex loquela originem traxisse.

C. Prantl [7] logicam esse dicit doctrinam de humana scientia; hanc rectam et veram esse non posse, nisi ponatur, intellectum uniuscuiusque hominis esse

---

[1] Gesammte Logik. Lehr- und Handbuch vom Standpunkte der Naturwissenschaften, 1869. Praeterea plurima edidit opuscula, quae tamen rectius psychologiae, quam logicae annumeraveris. In multis rebus per novas et incultas vias incedens, mirabili vi mentis se praeditum ostendit; verum quae est rerum implicatio, non sine aliqua difficultate a legentibus intelligitur.

[2] Das menschliche Denken, 1870; Erkenntnisstheoretische Logik, 1878.

[3] Vollendung des Dingbegriffes.

[4] Logik und Metaphysik, 1868; Die neuesten Bestrebungen auf dem Gebiete der Logik bei den Deutschen, 1880.

[5] „Das an Empfindung und Gefühl sich schliessende Bild ist es, welches Empfindung und Gefühl in das Denkbare übersetzt. Ohne das Bild würde nicht gedacht; des Bildes einwohnende Bestimmung ist es, etwas zum Denken zu geben." Die neuesten Bestrebungen etc. p. 177.

[6] Einl. in d. Psychologie u. Sprachwissensch., 1871; Urspr. d. Sprache, 1877.

[7] Reformgedanken zur Logik, 1875; Verstehen und Beurtheilen, 1877; Geschichte der Logik im Abendlande, 1855—1870.

vim immanentem unius entis „humanitatis"; „Loqui" essentialiter idem esse atque „Cogitare"; unde non licere in cogitatione humana verbis expressa distinguere inter internum conceptum et sonum externum physiologice conformatum. Hominem eo differre a bestia, quod habeat sensum temporis sive continuitatis, quo possit successionem puram et puram intensitatem fiendi percipere, atque conscientiam habere, se esse idem priore atque posteriore tempore, seque posse pro libitu adhibere res externas et varias impressiones in appetendis finibus idealibus. Quum cogitationes non existant nisi in lingua, lingua autem componatur ex enuntiationibus, manifestum esse dicit, in logicae initio dicendum esse de iudicio. Distinguendum esse inter formalem logicae partem, quae vitare doceat omnem contradictionem, et logicam cognoscendae veritatis materialis. In logica formali ex ordine dicendum esse de iudicio, conceptu, ratiocinio, scientia definitoria; definitionem esse ratiocinii fructum et quasi culmen iudicii; logicam veritatis materialis contineri doctrina de methodo, qua doceatur modus intelligendi, modus iudicandi sive existimandi de rebus, modus compenetrationis intelligentiae et aestimationis [1]. Fundamenta autem logicae censet Prantl esse in expressionibus grammaticalibus. Illum dumtaxat, qui rectam habeat de natura hominis sententiam, i. e., qui adhaereat Pantheïsmo, idoneum esse, qui etiam rectam habeat de rebus logicis sententiam. Logicam enim ex illo „sensu temporis", qui ex natura humana recte intellecta oriatur, esse deducendam.

Robert Grassmann [2] dicit systema universum scientiae humanae componi: 1° ex philosophia sive doctrina de scientia; 2° ex physica sive doctrina de natura; 3° ex doctrina de civitate et rebus publicis; 4° ex theologia sive doctrina de Deo. Doctrinam de scientia sive cognitione exuendam esse omni lingua, atque ita fieri, ut haec doctrina idem sit atque mathesis sive doctrina de variis quantitatis rationibus [3].

Iulius Bergmann [4] in logica pura explicat formas iudicii; in logica applicata ostendit, qua ratione his formis normativis cognoscamus res.

Fried. Harms [5] reformationem logicae pertinere dicit ad essentiam philosophiae recentioris. Ostendit logicam et scientiam esse et organum scientiae et scientiae criterium.

84. K. Chr. Planck [6] in logica obiectiva dixit de supremis rerum generibus et de principiis identitatis et causalitatis inde ortis; in logica subiectiva de

---

[1] „Die fertig gestellte Wissenschaft besteht in der durchdringendsten Vereinigung des Beurtheilens und des Verstehens."

[2] Formenlehre oder Mathematik, 1872; Die Wissenschaftslehre oder Philosophie, 1872—1876.

[3] Simili modo logicam cum mathesi coniungunt confunduntve: Hermann Grassmann (Ausdehnungslehre, 1844, 1878); Hermann Hankel (Vorlesungen über die complexen Zahlen und ihre Functionen, 1867); E. Schröder (Der Operationskreis des Logikcalcüls, 1877); Gottlob Frege (Begriffsschrift, eine der arithmetischen nachgebildete Formelsprache des reinen Denkens, 1879).

[4] Grundlinien einer Theorie des Bewusstseins, 1870; Grundzüge der Lehre vom Urtheil, 1875; Allgemeine Logik, 1879.

[5] Die Reform der Logik, 1874.

[6] Grundriss der Logik, 1873; Logisches Causalgesetz und natürliche Zweckmässigkeit, 1877.

formalibus mentis operationibus. Et conatus est, omnes formas mentales sive leges cogitandi deducere ex essentia ipsius cogitationis, quae quidem intrinsecus esset unum idemque ac res omnes.

Fr. A. Hartsen[1] veritatem dicit esse eam rerum conceptionem, quae propter utilitatem practicam prae ceteris emineat, omnes ergo logicae regulas ex practicis vitae nostrae indigentiis trahendas esse. Secundum hanc novam methodum primo dicit de observatione, deinde de cogitatione, tertio de lingua.

Eug. Dühring[2] omnes fere philosophos turbulente aggressus, universam logicam ad quasdam mechanicas mathesis operationes conatus est revocare. Processus logicos processibus naturalibus (physicis, chimicis) fere aequiparavit. Atque ita logicam partem scientiae naturalis esse autumavit.

F. A. Lange secutus Kantium statuit, naturam universam esse summam phaenomenorum in subiecto cogitante inhaerentium, quod quidem nobis secundum substantiam maneret x ignotum. Hanc totam naturam re tota et omni ratione legibus pure mechanicis subiectam esse[3]. Omnes operationes logicales, quae cum necessitate ad assensum cogerent, ex intuitu rerum geometricarum ortas esse putavit[4].

Guil. Wundt arbitratus est, logicam habere initia sua in theoria cognitionis, et finem in methodologia; ipsam autem logicam versari in considerandis illis cogitandi legibus, quae possent esse norma in cognoscenda veritate. Leges logicas oriri ex legibus psychologicis; legibus his psychologicis non praescribi dicit, qua ratione operationes mentis fieri debeant, sed qua ratione certis positis conditionibus fiant; legibus autem logicis poni normas, secundum quas operationes illas fieri debeant, ut rectae sint. Conceptus nostros oriri ex multis notis simplicibus sive elementis inter se associatis, combinatis, coniunctis, concatenatis, inter quae unum praedominetur. Universalitatem conceptuum in eo consistere, quod conceptus ex elementis constent, quae in plures paucioresve conceptus intrare possint, quae vario modo mixta atque composita conceptus omnes constituant. Nobis nisum logicum innatum esse, quo fiat, ut omnia legibus cogitandi necessario subesse putemus, omniaque secundum certum systema esse disposita et multiplici nexu causali finalique inter se iuncta, ita ut de rebus omnibus experientiae obviis conceptus certos et veros habere posse nobis videamur. Distinguit scientiam et fidem; scientiam esse de rebus, quae per experientiam nobis suppeditentur; fidem de iis omnibus esse, quae experientiam transcendant, velut de universalitate principii causalitatis, de libertate voluntatis humanae, aliis[5].

---

[1] Methode der wissenschaftlichen Darstellung, 1868; Untersuchungen über Logik, 1869; Grundzüge der Logik, nach einer neuen Methode dargestellt, 1873.

[2] De tempore, spatio, causalitate atque de analysis infinitesimalis logica, 1861. Natürliche Dialektik, 1865; Logik und Wissenschaftstheorie, 1878.

[3] Geschichte des Materialismus und Kritik seiner Bedeutung in der Gegenwart, 1866.

[4] Logische Studien, 1877. „Der Raum ist der Ursprung alles Apriorischen; in der Raumvorstellung liegt der Ursprung der Kategorien; der Raum ist das Urbild aller Synthesis."

[5] Logik, eine Untersuchung der Principien, der Erkenntniss und der Methoden wissenschaftlicher Forschung. Stuttgart 1880 und 1883.

Aloysius Riehl ex fundamentis Realismi Kantiani proficiscens existentiam mundi transcendentis admittit, non quidem ut certo cognitam, sed ut hypothesim optimam et interim tenendam. Nos etsi non cognoscamus ipsas res, tamen relationes contingentiae inter rerum realitates et phaenomena subiectiva percipere[1].

Atque haec satis: Plurimi praeterea sunt, qui de rebus logicis scripserunt; sed fieri non potest, ut omnium opera utcunque breviter recenseamus[2].

---

[1] „Wir behaupten die Erkennbarkeit der Grenzverhältnisse der Dinge und Phaenomene des Bewusstseins, und finden gerade in diesen, im Grenzfalle vollkommen strengen und adaequaten Begriffen den allgemeinen Gehalt des Wissens." Der philosophische Kriticismus II. I. p. 24.

[2] Qui nominentur, inter alios digni sunt:

Terenzio Mamiani (Del rinnovamento della filosofia antica Italiana, 1836; Dell' ontologia e del metodo, 1843; Dialoghi di scientia prima, 1846; Confessioni di un metafisico, 1865). — I. L. Balmes (1810—1848) sicut de omni re philosophica, ita etiam de praeceptis logicis praeclare scripsit. (El Criterio. Barcelona 1845; Curso de filosofia elemental, Madrid 1837 et Barcelona 1847; Filosofia fundamental. Barcelona 1846 et 1849.) — Jean Philibert Damiron (Cours de philosophie, 3e partie: Logique. Paris 1842). — Ch. Waddington (Essais de logique, leçons faites à la Sorbonne de 1848—1856). — Ch. Jourdain (Notions de logique, rédig. conformém. aux programmes officiels du 30 août 1854 et du 3 août 1857; édit. 5. Paris 1858). — A. Cournot (Essai sur les fondements de nos connaissances et sur les caractères de la critique philosoph. Paris 1851). — E. Vacherol (La métaphysique et la science. Paris 1858; édit. 2. 1863). — J. Tissot (Essai de logique obiective ou théorie de la connaissance de la vérité et de la certitude. Dijon 1867). — A. Rondelet (Théorie logique des propositions modales. Paris 1861). — J. M. C. Duhamel (Des méthodes dans les sciences du raisonnement. Paris 1865). — Jos. Delboeuf (Prolégomènes philosophiques de la géométrie et solution des postulats. Liège 1860; Essai de logique scientifique, 1865; Logique algorithmétique. Bruxelles 1877). — Garelli (Della logica o teoria della scienza; 2. ediz. Torino 1859). — T. G. Ulber (Logica ossia teoria del pensiero. Napoli 1863). — G. Peyretti (Saggio di logica generale. Torino 1859). — Purgotti (Euclide e la logica naturale. Perugia 1868). — Franc. Biese (Philosoph. Propädeutik. Berlin 1845). — E. Ad. Ed. Calinich (Philosoph. Propädeutik. Dresden 1847). — Chr. Friedr. Gockel (Encyklop. Einl. in die Philosophie. Karlsruhe 1855). — J. A. Wentzke (Compendium der Psychol. und Logik. Leipzig 1868). — Noah Porter (The Human Intellect. New-York 1869; The Elements of intellectual Science, 1872). — James Mac Cosh (Hamiltonum in multis secutus scripsit: The Laws of discursive Thought, being a textbook of formal Logic. New-York 1879). — Friedr. Christ. Pötter (Lehre von den Gesetzen der menschlichen Erkenntnissthätigkeit oder des menschlichen Denkens, 1875). — Jos. Beck (Grundriss der empirischen Psychologie und Logik, 1840, 1882). — K. A. J. Hoffmann (Abriss der Logik, 1859, 1878). — Theod. Rumpel (Philosophische Propädeutik, 1866, 1877). — F. Dittes (Praktische Logik, besonders für Lehrer, 1872, 1876). — Franc. Kirchner (Katechismus der Logik. Leipzig 1881).

85. **Logica empiristica** sive Relativismus vel Positivismus. Qui hodie Materialismum, Sensualismum profitentur, aut de omni certitudine desperantes in Scepticismo pereunt, aut Empirismo indulgent, i. e. illi doctrinae, quae quum solam experientiam sensuum esse fontem cognitionis humanae et motivum certitudinis teneat, realitatem absolutam ascribendam esse affirmat solis repraesentationibus sive phaenomenis sensibilibus; res praeterea nihil prorsus esse nisi „possibilitates permanentes phaenomenorum associatione inter se connexas“ [1]. Cognitionem omnem, quae ad experientiam sensibilem revocari non possit, vanam esse; et solam cognitionem sensuum, quae experimentis comprobari possit, fidam esse et praebere aliquid positivi. Non ergo esse scientiam nisi physicam; et in hac primas partes tenere „sociologiam“, cuius obiectum sit „homo in societate“; ad id scientiae nitendum esse, ut novae usque leges detegantur naturales, quibus societas humana ad maiorem perfectionem provehatur.

Hinc nata est logica empiristica, quam illi „inductivam“ vocant, quae quum neget inesse menti humanae leges cogitandi, quibus in cognitione nostra dirigamur, logicae formali omnino inimica est et gloriatur, se immediate versari in cognoscendis obiectis positivis singularibus. Quam sententiam excoluerunt August. Comte, Stuart Mill, Alex. Bain, alii.

Aug. Comte (1798—1857) tres periodos in historia distinguit: theologicam (sub forma Fetichismi, Polytheismi, Monotheismi), in qua homines phantasiis sensu pio inditis ducti fuerint; metaphysicam, in qua homines non quidem fictitia, sed vires tamen occultas sectantes, vana speculantis rationis simulacra maximi fecerint; positivam, in qua homines ea tantum magni habeant, quae per experientiam sensuum ut vera et positiva praebeantur, quae trutina et mensura examinari calculoque mathematico subiici possint. Religionem construxit Comte, in qua tria adoranda sint: le Grand Milieu, sive spatium infinitum, le Grand Fétiche sive orbis terrestris, et magnum illud ens, quod intellexit esse „humanitatem“ universe acceptam [2].

Consimiliter E. Littré aliique statuerunt, phaenomena quidem et phaenomenorum leges et rationes mathematicas a nobis cognosci posse, illorum causas non posse. Hinc solum „relativum“, quod vocant, esse reale vel saltem cognitioni nostrae pervium; quod autem „absolutum“ esset, non esse, vel saltem a nobis cognosci non posse; vanam esse hypothesim sive abstractionem intelligentiae. Quidquid sit extra materiam, penitus negligendum esse volunt, quum universus mundus solis regatur viribus, qui in materia insint [3].

---

[1] Stuart Mill, An examin. of Sir W. Hamilton's phil. London 1872, p. 225.

[2] Cours de philosophie positive. Paris 1830—1842; Synthèse subiective. Paris 1856.

[3] Dicit Littré: „La pensée est inhérente à la substance cérébrale . . . la

86. Ab hac doctrina vix differt, quod in Anglia proposuit F. Will. Herschel. Causas nihil esse dicit praeter factorum externorum circumstantiam, quae cum aliquo eventu coniuncta esse soleat. Id tantum in scientia fieri posse, ut mens humana ab observatis factis singularibus ad cognoscendas relationes universaliores ascendat[1].

William Whewell distinguens „facta positiva" et „ideas" (conceptus, axiomata), scientiae id propositum esse dicit, ut adhibitis ideis facta redigantur in ordinem systematicum. „Ideas" non ortas esse ex experientia, sed a priori reperiri in nobis ut conditiones ad cognitionem omnem praerequisitas. Hanc coniunctionem inter ideas et facta vocat inductionem. Ad inductionem bene constitutam requiri imprimis ideam congruentem; hanc acquiri aut per ingeniosam inspirationem aut per accuratam quantitatum determinationem; ad determinandas autem quantitates magnopere conducere, ut rectae adhibeantur methodi (adhibitis curvis, quadratis minimis, residuis, multis in hoc genere aliis)[2].

John Stuart Mill (1806—1873) logicam inductivam sive eam logicae partem, quae docet, qua ratione recte instituatur observatio et experimentatio, et qua via ex observatis factis particularibus ad principia et statuendas leges universales perveniatur, magna cum accuratione exposuit. Et his legibus, quarum vim agnovit Mill, annumeravit quoque, ut par est, principium causalitatis. Negavit nos ullo modo cognoscere posse rerum essentias. Quum ex eo quaereretur, unde esset vis et ratio principiorum universalium, in observatis phaenomenis haerens dixit, ex iterata experientia eventuum particularium oriri in nobis fidem caecam, qua admitteretur legum universalitas; ex hac fide nasci persuasionem necessariam[3]. Syllogismum deductivum, quo quid concluderetur particulare ex principio universali, admisit Mill, sed hunc semper illo vitio infectum esse voluit, quod „petitionem principii" vocant; nihil enim universale statui posse antequam cognita essent singularia omnia in universali contenta. Id tamen non impedire, quominus syllogismus habeatur pro operatione ad reminiscendum aptissima[4] atque etiam ad dirigendas nostras cogitationes.

Herbert Spencer distinxit mundum internum sive mentalem, et mundum externum, a quo prior penderet; unde quemdam esse parallelismum inter correlationes internas et externas; scientiam logicam directe referri ad mundum externum vel ad nexum necessarium, quo res inter se iungerentur. Omnem ergo ratiocinationem esse inductivam et versari in relationibus singularibus; neque ullam vim syllogismo deductivo inesse posse[5].

---

perception est un phénomène qui se passe à l'extrémité encéphalique des éléments nerveux." Ita in Diction. des sciences médicales. Cfr. eius librum: A. Comte et la philosophie positive. Paris 1863; praecipue partis tertiae c. 5: La mathématique est-elle identique à la logique? Ante mortem tamen Littré errores suos detestatum esse legimus.

[1] A preliminary Discourse on the Study of natural Philos. London 1831.

[2] Novum organum renovatum. London 1858. Ante scripserat: History of the Inductive Sciences. London 1837; The Philosophy of the Inductive Sciences. London 1840.

[3] System of Logic, Rationative and Inductive, 1843; edit. 8. 1872; A. Comte and positivism. London 1855.

[4] System l. 2 c. 3.

[5] Principles of Psychology p. 6. c. 2—8. London 1855; edit. 3. 1880.

Ab aliis quoque haec logica empiristica exculta est [1]. Inter quos eminent: H. Taine (qui se secutum esse profitetur Condillac, Mill, Bain) [2], C. W. Opzoomer [3], L. Barbera (Logica inventiva), Angiulli [4], Ausonio Franchi [5]

87. **Logica peripatetica recenti aetate retenta.** Tanta adversariorum multitudine circumdata et quasi circumsessa logica antiquitus tradita non solum infirmata non est, sed laetiora etiam cepit incrementa. Longum est autem, vel solum catalogum texere nominum eorum, qui de logica Aristotelica ultimis his saeculis bene meriti sunt. Sed ne nihil dixisse videamur, ex ingenti pelago eos saltem afferamus, qui ad manus nobis sunt.

Ioan. Eck, Dialectica Aristotelis et interpretationes in singulos Aristotelis libros logicos. Augusta Vind. 1516. — Ger. Matthisii Geldriensis Commentt. in Arist. categ. et de interpretat. Colon. 1551. — Thomae de Vio (Caietani Ord. Praed.) Commentarius in praedicabilia, praedicamenta, libr. analyt. Venet. 1556. — Academiae Venet. Explanatio novem topicorum Aristotelis. Venet. 1559. — Petri Hispani, Summulae logicales cum Versorii Parisiensis clarissima expositione. Venet. 1568. — Franciscus Suarez (1548—1617), vir eximiae doctrinae et in philosophia Aristotelica lumen egregium; de rebus logicis multa praeclare dixit in variis suis operibus. Scripsit Commentaria in Logicam, quae tamen nondum prelo subiecta sunt. — Dom. Soto (Ord. Praed.), Commentarius in libros analyt. post. Venet. 1574. — Francisci Toleti (S. I. † 1596) Commentarius in Aristotelis universam logicam. Colon. 1575. Quo melius quidpiam de rebus logicis vix unquam scriptum est. — I. B. Rubeo, In universam Aristot. logicam explanatio. Venet. 1597. — Petri Fonsecae (S. I.) Institutiones dialecticae. Colon. 1599. — Conimbricensis Collegii (S. I.) Commentarius in Aristotelis dialecticam. Conimbricae 1606, Colon. 1611. — Cosmi Alamanni (S. I., 1559—1634) Summa philosophiae S. Thomae Aquin. Ticini 1618—1623. Opus recens editum auctore F. Ehrle. Parisiis 1885. — Zanardi (Ord. Praed.) Commentarius cum quaestionibus in logicam Aristotelis. Colon. 1622. —

---

[1] Cfr. Des doctrines positivistes en France par l'abbé A. Guthlin, chanoine d'Orléans.

[2] „Nos idées les plus abstraites, dicit Taine, étant des signes, se réduisent à des images; nos images elles-mêmes sont des sensations renaissantes; partant, notre pensée tout entière se réduit à des sensations.“ . . . „Les mots *faculté, capacité, pouvoir*, qui ont joué un si grand rôle en psychologie, ne sont, comme on le verra, que des noms commodes, au moyen desquels nous mettons ensemble dans un compartiment tous les faits d'une espèce distincte; ces noms désignent un caractère commun aux faits qu'on a logés sous la même étiquette; ils ne désignent pas une essence mystérieuse et profonde qui dure et se cache sous le flot des faits passagers.“ De l'Intelligence tom. 1 p. 3.

[3] De waarheid en hare kenbronnen. Leyden 1863; Het Wezen der kennis, een Leesboek der Logica. Amsterdam 1863.

[4] La filosofia e la ricerca positiva, 1869.

[5] Razionalismo per il popolo. Milano 1864; Sulla teoria del giudizio. Milano 1871.

Fernandez Torreson, Universa Aristotelis dialectica. Compluti 1626. — M. A. Galitii (Ord. Capuc.) Summa totius philosophiae Aristotelicae ad mentem S. Bonaventurae. Romae 1635. — Rod. de Arriaga (S. I.) Cursus philosophicus. Parisiis 1637. — Ioannis de S. Thoma (Ord. Praed.) Ars logica. Romae 1637. — Martini Smiglecii (S. I.) Logica selectis quaestionibus illustrata. Oxoniae 1638. — Francisci Gonzalez Logica tripartita, i. e. vocalis, realis, rationalis. Romae 1639. — Balthasari Tellez (S. I.) Summa universae philosophiae, vol. I: Log. Ulissipone 1642. — Christophori Haunold Theses logicae de praedicabilibus, praedicamentis, praedicationibus. Dilingae 1643. — Thomae Comptonii (Charleton) Philosophia universa. Antwerpiae 1649. — I. B. Giattini Logica. Romae 1651. — Alexandri Rubei de Lugo (Ord. Min.) Totius philosophiae Cursus. Bononiae 1653. — M. Cornaei (S. I.) Curriculum philosophiae peripateticae. Herbipoli 1657. — Philippi a SS. Trinitate (Ord. Carmel.) Summa philosophica. Colon. 1665. — Silvestri Mauri (S. I., 1619 ad 1687) Commentarius in Aristotelis opera. Romae 1668 et Par. 1885. — Quaest. philosoph. libri quinque. Romae 1658 et Cenom. 1875. — Georgii de Rhodes (S. I.) Philosophia peripatetica. Lugduni 1671. — A. Semery (S. I.) Triennium philosophicum. Romae 1674. — Ant. Goudin (Ord. Praed.) Philosophia iuxta Divi Thomae dogmata. Colon. 1681. — T. Arnu (Ord. Praed.) Dilucidum philosophiae Syntagma. Patavii 1686. — Pet. Barbay Commentarius in Aristotelis logicam. Lugduni 1690. — Raph. Aversa a Sanseverino (Cler. Reg. Min.) Logica. Romae 1694. — Alex. Piny (Ord. Praed.) Cursus philosophicus, tom. I: Logica. Colon. 1693. — Gabr. Daniel (1649—1718) contra Cartesium scripsit [1]. — Coel. Sfondrati Cursus philosophicus. Monasterii S. Galli 1694. — Gaspari Castner Rosetum dialecticum ex spinis enatum. Ratisbonae 1695. — Franc. Soaris Lusitani (S. I.) Cursus philosophicus. Eborac. 1701. — Francisci Freitag Dialectica nova sive introductio in Philosophiam (pro scholis Soc. Jes.). Osnabrugi 1706. — Wolfgangi Rossangi Sacculus distinctionum sive philosophicum A, B, C. Tyrnaviae 1707. — Ioannis de Ulloa (S. I.) Logica maior et minor. Romae 1712. — Henrici Gandavo et Bened. Canali (Ord. Serv. B. M. Virg.) Cursus philosophicus ad mentem Henrici de Gandavo. Parm. 1715. — Mastrii de Meldula et Bonav. Belluti (Ord. Min.) Philosophia ad mentem Scoti. Venet. 1727. — A. Schnell (Ord. Bened.) Cursus philosophiae Aristotelicae. Augustae Vind. 1731. — Complutensis Collegii, (Carmelit.) artium cursus tom. 1 dialecticam complectens. Colon. 1732. — Iacobi Dedelley Summulae logicae. Ingolstadii 1733. — Sylv. Aranha Disputationes logicae. Conimbricae 1736. — Mich. Castro Logicae et physicae commentationes. — Corneli Dialectica seu Introductio in severiores disciplinas. Cassoviae 1744. — Ios. Ant. Ferrari (Ord. Min.) Philosophia peripatetica ad mentem Scoti. Venet. 1746. — Ioannis Bapt. (Congreg. Orat.) Philosophia Aristotelis restituta, pars I: Logica. Ulissipone 1748. — Salvatoris Mariae Roselli (Ord. Praed., † 1784) Summa philosophica, saepissime typis edita. — Thomae Grebner Logica practica. Heidelbergae 1752. — Ioan. Ign. Guerrero Institutiones dialecticae (Summulae). Matriti 1753. — Ioan. Falk Tractatus philosophiae, Logica. Pragae 1748. — Ios. Agricola Disquisitio philosophica

[1] Voyage du monde de Descartes, 1691; Nouvelles difficultés proposées par un Péripatétien, 1694; Traité métaphysique de la nature du mouvement, 1724.

de certitudine ex relatione sensuum contra Idealistas et Egoistas. Heidelbergae 1768. — Coelest. Delrose Logica et speculativa et practica, 1768. — Ioh. Benislawski Institutiones logicae seu brevis tractatus de cultura ingenii. Viennae 1774. — Matthaei Liberatore Institutiones phil. Romae 1841 et Prati 1881. — Jos. Kleutgen [1]. — Di Giorgi (Ord. Praed.) Institutiones philos. ad mentem S. Thomae, 1861—1868. — Caietani Sanseverino Philos. Christianae Logica. Neapoli 1862. — Salvatoris Tongiorgi Logica. Romae 1862. — Georgius Hagemann [2]. — Albertus Stöckl [3]. — Battaglini Institutiones philosophicae. 1869. Dominic. Palmieri Instit. philos., Logica dialectica et logica critica. Romae 1874. — P. M. Brin De Intellectualismo, tom. I: Logica. Parisiis 1875. — Alberti Lepidi (Ord. Praed.) Elementa philosophiae Christianae. Parisiis 1875. — Sylv. de Ioanne Bapt. (Congregationis Passionistarum) Institut. philos., tom. I: Logica. Ex typis Abbatiae Montis Casini. 1875. — Thomae Mariae Zigliara (Ord. Praed.) Summa philosophica. Romae 1876. — Zephyrini Gonzalez Philosophia elementaris. Matriti 1877. — Petri Tarino Institutiones logicae, metaphysicae etc. Bugellae 1877. — I. M. Cornoldi (S. I.) Institutiones philosophicae speculativae. Bononiae 1878. — Constantinus Gutberlet [4]. — Fr. Satolli Enchiridion philosophiae, pars I: Logica universa. Brunae 1884. — Ern. Commer [5]. — I. van der Aa (S. I.) Philosophia scholastica. Lovanii 1885. — S. Schiffini Principia philosophica. Augustae Taurin. 1886.

CAPUT TERTIUM.

Praenotiones psychologicae.

88. **Notio veritatis.** Qui opus molitur, prius materiam levi saltem intuitu contemplari solet, quae in opere adhibenda est. Quare quum praecepta statuenda sint, quibus mens humana in quaerenda veritate facile et ordinate et sine errore procedat, ante videndum est breviter, quas operationes mens in hoc negotio adhibeat [6]. Negotium autem, de quo agitur, in eo est situm, ut mens *veritatem* assequatur. Iam homo tum, ut fert opinio communis, sermone veritatem aut falsitatem profert, quum res, de quibus ipse sententiam exprimit, sunt aut non sunt, sicut ipse dicit. Sicut veritas sermonis in conformitate orationis cum re vel interna sen-

---

[1] Philos. der Vorzeit. Münster 1858. Innsbruck 1878.

[2] Elemente der Philos. Münster 1868.

[3] Lehrbuch der Philosophie. Mainz 1868; liber saepius editus.

[4] Logik und Erkenntnisstheorie. Münster 1882.

[5] System der Philosophie. Münster 1885.

[6] Sunt, qui ob hunc finem integram psychologiam *empiricam*, quae facta experientiae internae describit, logicae praemittendam esse censeant; quibus alii graviter obsistunt, nihil prorsus ante logicam ponendum esse arbitrantes. Inter quos ex adverso sibi obloquentes ratio disponendi recta, ut nos quidem arbitramur, interiecta est in medio.

tentia reperitur, ita veritas mentalis, de qua nobis dicendum erit, in adaequatione sive conformitate mentis cognoscentis cum re ipsa cognita consistit, quatenus intellectus dicit esse, quod est, vel non esse, quod non est[1].

Veritati opponitur falsitas, quae non solum ignoratione aliqua constituitur, sed est positiva intellectus ab obiecto „difformitas, qua inter intellectum et proprium eius obiectum vera discrepantia oritur et quasi dissensio“. Unde vehementer falluntur Pantheistae, qui sequentes Spinozam[2] censent falsitatem consistere „in cognitionis privatione, quam ideae inadaequatae sive mutilatae et confusae involvunt“.

§ 1.

De cognitione.

89. **Cognitionis notio.** Notissima nobis ea cognitio est, quae sensatio vel sensus dicitur. Sentire dicimur, quum res externas praesentes intervenientibus organis quibusdam corporis percipimus, vel etiam quum affectiones corporis nostri nobis innotescunt, sive a rebus externis in nobis effectae, sive dispositione interna.

Cognitionum tota fere vita hominis plena est; et cognitio quid sit, experiendo satis didicimus. Solet enim mens nostra, dum cognoscit, apud se manendo etiam pervenire ad aliquid, quod extra est, idque ut obiectivum quiddam sibi cum quadam sui ipsius conscientia intime praesens sistere, atque ita in se quodammodo reproducere id quod est extra. Quare recte dicunt, cognitionem esse alicuius subiecti actionem ab intra procedentem et perfectionem in subiecto immanentem, qua subiectum obiectivum quiddam sibi repraesentat. Et ubicunque est cognitio, ibi necessario est ens, quod cognoscitur. In qua oppositione, quae fissurae instar est inter cognitionis subiectum et obiectum, mira illa cognitionis indoles cernitur[3].

---

[1] Ὥστε ἀληθεύει μὲν ὁ τὸ διῃρημένον οἰόμενος διαιρεῖσθαι καὶ τὸ συγκείμενον συγκεῖσθαι, ἔψευσται δὲ ὁ ἐναντίως ἔχων ἢ τὰ πράγματα. Arist. l. 9 met. c. 10. 1051 b. 3. Hac de re Aquinas, quum quaerit sitne veritas virtus: „Dicendum, inquit, quod veritas dupliciter accipi potest, uno modo, secundum quod veritate aliquid dicitur verum, et sic veritas non est virtus, sed obiectum vel finis virtutis. Sic enim accepta veritas est aequalitas quaedam intellectus vel signi ad rem intellectam vel signatam, vel etiam rei ad suam regulam. Alio modo potest dici veritas, qua aliquis verum dicit, secundum quod per eam aliquis dicitur verax, et talis veritas sive veracitas necesse est quod sit virtus.“ Summ. theol. II. II. q. 109 a. 1; cfr. I. q. 16 a. 2.

[2] Ethica II. Propos. 35.

[3] Trendelenburg, Logische Untersuchungen, edit. 3. I. p. 132.

De cognitionis natura absoluta tractatio ad psychologiam spectat. Hic breviter ea indicanda sunt, quae ad res logicas recte intelligendas omnino necessaria sunt.

90. Cognitionis natura. Ut res cognoscatur, is qui cognoscit, ad rem exprimendam sibique repraesentandam referri et terminari debet, qua terminatione natura cognitionis constituitur. Actus, quo quis ad rem cognoscendam fertur, si perfectus est completusque („in Facto esse“), rei cognitae conformis esse debet, i. e. specie ipsam rem exprimere, eam in se quasi concludere et quodammodo reproducere. In qua conformitate veritatem cognitionis sitam esse diximus. Quo fit, ut in psychologia magna sit et ponderosa de speciebus expressis disputatio.

Ad speciem expressam gignendam causae duae inter se unitae simul agant necesse est: facultas cognoscitiva, quae ex se potentia est indeterminata, ab eaque vitalitas et indoles subiectiva actus deducitur; et praeter facultatem res obiecta, quae cognitione continetur et exprimitur, et actui dat indolem obiectivam. Quoniam autem ipsae rerum realitates in facultate cognoscitiva esse non possunt, vicariam sui repraesentationem in cognoscente supponunt.

Itaque ad pariendam, quae specie expressa habetur, cognitionem praeter facultatem requiritur aliqua de re obiecta repraesentatio, quae ad vicem rei facultatem compleat, actuet, ad rem cognoscendam intendat, et eapropter „species intentionalis“ nominari solet.

Si cognitio rem praesentem et nunc existentem effert, praeterea cognoscens a re per mutuam a natura institutam relationem excitari debet.

Sunt, qui Platone duce putent, posita eius generis excitatione eam rerum repraesentationem seu notitiam, quam modo tetigimus, non ex rebus, sed ex formis sive speciebus in natura cognoscentis insitis hauriri. Et Plato quidem formas in subiecto praeiacentes posuit, quibus potentia cognoscitiva compleatur intrinsecus ad res obiectas immediate in seipsis cognoscendas.

A quo magnopere differt Immanuel Kant, qui has formas innatas e subiecto prosilire vel ex sola indole innata quasi germinare putat, ut ipsae cognoscenti obiciantur obiectaeque se gerant tamquam id, quod a cognoscente directe et immediate cognitum sit.

Verum tota haec de speciebus congenitis doctrina quum naturae humanae tum experientiae omnino contraria est. Usu enim et hominum experientia constat, has species intentionales a rebus ipsis extra actum cognitionis existentibus, quas natura duce a nobis

cognitas putamus, per multas physicas physiologicasque dispositiones facultatibus nostris immitti atque imprimi. Sicut igitur cera sigillata inspicienti nomen specie expressa exhibet, quod sibi a sigillante specie impressa inditum est, ita qui rem cognoscit, non quidem alteri, sed sibi ipsi specie expressa obiectum exhibet, quod sibi ab obiecto specie impressa coepit innotescere.

Quodsi sensationem attendimus, qua res externas percipimus, certum est, ab his rebus non solum motus ad nos venire, quibus excitemur, sed etiam species, quae facultates nostras ad res externas nobis repraesentandas compleant. Itaque species qualitas est, quae ab obiecto immissa et in organo recepta vim habet repraesentandi ipsum obiectum cognoscendum.

His igitur expositis, quale sit id, quod cognitionem dicimus, intellectum putamus, quantum hoc loco satis est.

91. **Cognitio sensitiva.** Cognitionem intellectivam, quae hominis in hoc rerum ordine propria est, antecedit sensitiva, qua etiam bruta animalia praedita sunt. Cognitio sensitiva sensatione absolvitur. Sensationem efficit et in se recipit organum ad sentiendum destinatum; unde sensatione non exprimuntur similitudines (imagines) nisi materialium rerum et singularium.

Cognitio sensitiva in externam et internam dividitur. Externa est, quae a sentiente elicita in obiectum externum dirigitur ut id actu praesens est, et sentientem ad percipiendum excitat. Interna aliquid, quod in ipso sentiente est, pro obiecto habet.

Et cognitio sensitiva, quam externam dicimus, primo quidem et per se in rem externam fertur, quam experientia teste percipit esse, et esse sic vel aliter. Notio enim, quam ex sensationibus nostris haurimus, primo et per se de rebus est, quae sunt extra nos, et non de speciebus intentionalibus, quae sunt in nobis. Et notio haec vera aut falsa esse dicitur non comparata ad speciem, quae nobis appareat, sed ad rem, quae extra nos sit et consistat. Sed „veritas non sic est in sensu, quod sensus cognoscat veritatem, sed in quantum veram apprehensionem habet de sensibilibus; quod quidem contingit eo, quod apprehendit res ut sunt. Unde contingit falsitatem esse in sensu ex hoc, quod apprehendit vel iudicat res aliter quam sint“ [1]. Qua de re Suarez: „Quoniam species ipsa principium est cognitionis, ideo cognitio semper conformis prodit speciei, semper enim talis cognoscitur res, qualis repraesen-

[1] S. Thom., Summ. theol. I. q. 17. a. 2.

tatur per speciem, . . . atque ita sensus falli non potest. . . Sed ultra recolendum est, fieri posse per accidens, (sive ob organi indispositionem, sive ob medium indispositum, sive ob situm obiecti incongruum), ut species non semper repraesentet obiectum, ut repraesentari deberet; ideoque per talem speciem non cognosci obiectum prout est, eoque modo sensum falli, quum in eo iudicio, quo res cognoscitur, prout a parte rei habet, vel non habet, non autem prout relucet in specie, veritas et falsitas consistit."[1]

Verum haec rerum externarum perceptio minime obstat, quominus in cognitione externa etiam passiones subiectivae a nobis percipiantur secundario et concomitanter; non quidem ex adverso, sed oblique. Qua de re iterum Suarez: „Omnis sensus percipit aliquo modo actum suum imperfecto modo quasi in actu exercito."[2]

Ex iis, quae breviter indicavimus, iam satis apparet, duas in omni cognitione perceptiones distingui posse, unam principem in obiectum directam, quod cognoscatur, ut est in circumstantia conditionum naturalium; alteram secundariam et concomitantem, qua ipsum subiectum, cui manifestatur obiectum, in exercitio suae activitatis percipitur. In recto igitur, ut aiunt, cognoscitur res obiecta, in obliquo autem subiectum, ut subest impressionibus ab obiecto venientibus.

92. **Rei cognitae Esse duplex.** Res externa, quam cognitam habemus, primo suum Esse reale habet extra illum actum, quo rem cognoscimus (quapropter a Kant „transcendens" vocatum est). Quoniam autem cognitio omnis secundum similitudinem cogniti in cognoscente absolvitur, mens cognoscens rei cognitae quodammodo assimilari debet; atque ita res, quae est cognita, praeter illud Esse reale, quod in seipsa possidet, alterum Esse mentale sive ideale in mente cognoscente consequitur (quod a Kant „immanens" nominatur). Unde fit, ut actus cognoscentis re duplici terminatus esse videatur: extrinsecus obiecto sive re, quae actui cognoscentis obiicitur, et in eam rem actus dirigitur; intrinsecus specie, quae est similitudo sive imago rei in mente cognoscentis existens, et ea interveniente tamquam medio actus in rem obiectam ut in ens reale dirigitur.

93. **Cognitio intellectiva.** Haec omissis notis materialibus et singularibus rationes etiam immateriales et universales percipere potest atque ita efformare rerum conceptus, iudicare atque ratio-

---

[1] De anima l. 3 c. 10 n. 4. [2] L. c. c. 11 n. 5.

cinari. In cognitione intellectiva imagines sunt, quae universalia et immaterialia exhibent vel saltem ad haec immediate referuntur. Ita viso hoc homine, vel visa hac triangulari figura in re materiali, intellectus concipit humanam naturam vel figuram triangularem a singularitate abstractam, vimque universalem axiomatum geometricorum perspicit. Atque ita humana natura vel triangulum est intellectum in actu. „Quum dicitur intellectum in actu, duo importantur, scilicet res, quae intelligitur, et hoc quod est ipsum Intelligi. Et similiter, quum dicitur universale abstractum, duo intelliguntur, scilicet ipsa natura rei et abstractio seu universalitas. Ipsa igitur natura, cui accidit vel intelligi vel abstrahi, vel intentio universalitatis, non est nisi in singularibus; sed hoc ipsum, quod est Intelligi vel Abstrahi, vel intentio universalitatis, est in intellectu. Et hoc possumus videre per simile in sensu. Visus enim videt colorem pomi sine eius odore. Si ergo quaeratur, ubi sit color, qui videtur sine odore, manifestum est, quod color, qui videtur, non est nisi in pomo. Sed quod sine colore sit perceptus, hoc accidit ei ex parte visus, in quantum in visu est similitudo coloris, et non odoris. Similiter humanitas, quae intelligitur, non est nisi in hoc vel illo homine; sed quod humanitas apprehendatur sine individualibus conditionibus, quod est ipsam abstrahi, ad quod sequitur intentio universalitatis, accidit humanitati, secundum quod percipitur ab intellectu.“ [1]

Atque his dictis manifestum est, cognitionem intellectivam ab omni sensatione probe distinguendam esse, non solum externa, sed etiam interna. Omnis cognitio sensitiva imagine absolvitur, quae rem repraesentat externis accidentibus concretam et ex se individualem, a qua individualitate in ordine sensitivitatis praescindi non potest; quamquam ea imago ideo potest esse aliqua ratione communis, quia res aliae similes rei in imagine depictae existere possunt. Sed cognitio intellectualis ab hac individualitate omnino praescindere potest, et omnia accidentia sensibilia, immo ipsam quantitatem omittere.

94. Cognitionis intellectivae nomina varia. Imago illa rei mente cognoscentis expressa, sive Esse illud ideale rei in mente cognoscentis existens pro varia ratione variis insignitur nominibus.

Species vocatur, quia est similitudo sive imago obiectum repraesentans. Addi solet: intellectualis, ut a specie sensibili distinguatur.

---

[1] S. Thom., Summ. theol. I. q. 85 a. 2 ad 2.

Conceptus vocatur, quatenus res hac specie capitur, vel etiam quatenus illa obiecti repraesentatio ab obiecto et facultate ita producitur, ut fiat quasi partus quidam; fecundatur enim quodammodo mens ab obiecto.

Conceptus obiectivus dicitur, si illud Esse ideale attenditur, quod percipiente actu mentis exhibetur; actus ipse percipiens vocari solet conceptus formalis.

Conceptus acquisitus ex re materiali, quamdiu repraesentationem sensibilitatis aliqua ratione retinet, sensualis vocatur; si haeret tantum in extensionis repraesentatione, relictis reliquis affectionibus sensibilibus, conceptus geometricus est; si omnia omittit, quae sensu repraesentari possunt, conceptus purus est.

Idea dicitur mentalis illa mentis expressio, quatenus est forma rerum praeter ipsas res existens.

Secundum nostrum dicendi modum idea generatim intelligitur actualis similitudo rei intellectae. Verum apud antiquos vis huius vocis erat angustior et ad solam pertinuit scientiam practicam, et definiebatur: rei factibilis exemplar expressum in intellectu artificis, quod intuens operatur.

Verbum mentis vocant, quatenus illa similitudine res ipsa mente profertur, ad eum fere modum, quo etiam ore vel phantasia edicitur.

Notio dicitur, quatenus est ratio, qua ipsa res menti innotescit. A qua differt nota. Notam enim id omne dicunt, quo res aliqua cognoscitur et ab aliis discernitur; estque vel constans (essentialis, necessaria), quae nunquam a re abesse potest, vel mutabilis (contingens), quae adesse vel abesse potest.

Terminus est, quatenus est ultimum elementum, in quod complexae mentis operationes resolvuntur.

Intentio dicitur, quatenus est actus, quo mens in aliquid tendit, vel etiam, quatenus mens id, quod apprehendit, ad aliquid aliud cognoscendum ordinat[1].

Non solum actus ipse tendens, sed etiam res, in quam tendit sive cui attendit actus, intentio vocari solet; hinc duplex intentio: formalis et obiectiva.

Primo intellectus in rem se intendit, sed deinde etiam in ipsam suam intentionem primam intendere potest; quamobrem intentionem primam et secundam distinguunt.

95. **Actus, potentia, habitus.** Sicut in vita appetitiva hominis, ita etiam in intellectuali actum sive operationem, potentiam sive facultatem, habitum sive specialem in agendo facilitatem distinguere solent.

---

[1] S. Thom. Summ. theol. I. q. 79 a. 10 ad 3.

Potentia est principium proximum operationis, ad quam natura institutum et ordinatum est.

Actus est operatio, quae est perfectio alicuius potentiae. Potentia in actu suo sese manifestat; unde actus prius a nobis cognoscitur, quam potentia, et ex actibus specificam potentiarum perfectionem et distinctionem arguimus. Quapropter recte dicunt potentiam ab actu specificari.

Habitus, latiore vocis vi accepta, est animi aut corporis constans et usu absoluta aliqua in re perfectio. Restringitur autem haec vox apud philosophos, ut qualitatem significet, quae purae potentiae circa suum obiectum indifferenti (cuius generis est voluntas, intellectus) additur, ut eam in operatione sua adiuvet, confirmet, perficiat. Habitibus annumeratur scientia, virtus. Quodsi qualitas illa minus fixa est et firma, *dispositio* vocatur, ut sunt status opinionis, dubitationis, suspicionis.

§ 2.

De quibusdam mentis cognoscentis operationibus.

96. **Apprehensio**, vi vocis latissime accepta, qualemcunque mentis cognoscentis operationem indicat. Pressius sumpta solum actum significat, quo mens obiectum repraesentat sine ulla affirmatione vel negatione. Idem fere est atque perceptio. *Perceptio* est actus, quo mens immediate obiectum reale apprehendit. Sensibus percipimus res corporeas, per conscientiam nostros ipsorum actus et dispositiones aliquas actuales, per memoriam affectiones nostras praeteritas, per rationem vel intellectum rerum veritatem. Apprehensione intellectuali percipimus, quid sit res, nec affirmantes nec negantes de ea quidquam. Eam Aquinas vocat „intelligentiam indivisibilium et incomplexorum“.

Itaque apprehensionis proprium est, ut affirmatione negationeque careat. Quae carentia aut propter perfectionis excessum esse potest, aut propter perfectionis defectum. Propter perfectionis excessum imprimis Deus omnia apprehendit; cuius generis apprehensio *intuitus simplex* vocari solet. Propter imperfectionem autem affirmatione negationeque caret illa apprehensio, quae apud homines habetur tamquam cognitionis humanae initium, atque etiam apud animalia bruta locum habet. Hominis proprium est, ut operatio intellectualis ab apprehensione imperfecta incipiat et per iudicia et discursus tendat ad apprehensionem perfectam. Unde inter apprehensionem initialem et finalem distingui potest. Appre-

hensione initiali obiecta obscuro et confuso modo percipiuntur, eaque illam cognitionis perfectionem nondum habet, quam homo distinguendo, iudicando, discurrendo acquirere potest. Et de hac apprehensione in philosophia agi solet; quae igitur manca quodammodo et inchoata cognitio est, si nullum iudicium consequatur.

Scholion 1. Scalam perfectionis, quam in cognitione animalis, hominis, angeli, Dei reperis, his Aquinatis verbis indicatam habes: „Quae sunt in rebus infima, non possunt assequi perfectam bonitatem, sed aliquam imperfectam assequuntur paucis motibus. Superiores vero his adipiscuntur perfectam bonitatem motibus multis. His autem superiora sunt, quae adipiscuntur perfectam bonitatem motibus paucis. Summa vero perfectio invenitur in his, quae absque motu perfectam possident bonitatem.“ [1]

Scholion 2. Apprehensio, quae in vitae consuetudine deprehenditur, adiunctum habet iudicium quoddam, quod non est iudicium proprie dictum, sed iudicii umbra tantum et quasi resonantia. Apprehensione enim mens non solum res percipit, sed etiam res, ut sunt; quae est quaedam affirmationis similitudo, et affirmationis perfectae in iudicio proprio postea secuturae germen et materia. Quo fit, ut etiam falsitas in apprehensione reperiri possit, quum videlicet mens res aliter percipit, atque sunt. Quae iudicii species iudicium apprehensivum vel virtuale vocari potest. Ab hoc autem iudicandi genere mens avocari debet, quando de apprehensione mera philosophandum est.

Scholion 3. Sunt quidam alii actus, qui apprehensioni finitimi quidem sunt, differunt tamen nonnihil, quorum praecipuos breviter notare iuvat.

Attendere est eius, qui se ad rem unam prae ceteris, quas simul percipit, considerandam convertit. Generatim attentio applicationem animi ad opus dicit; itaque distincta mentis operatio non est, sed ad intentionem quendam mentis conatum addit, qui ex desiderio proficiscitur acquirendi cognitionem [2].

Cogitare (coagitare, συνιέναι), si latissime patet, pro quacunque operatione intellectus sumitur, ut operatio est; sin proprie accipitur cogitatio, est inquisitio veritatis per discursum ex multis, unde non solum unum actum significat, sed discursum potius, vel actuum successionem et quandam mentis volubilitatem [3].

Intelligere significatione vocis lata omnem operationem intellectus dicit. Si accipitur proprie et arctius, solas operationes intellectus apprehensivas indicat. Solet autem vox etiam magis premi, ut is tantum res intelligere dicatur, qui res perfecte sive finaliter apprehendit, sive qui rebus accurate diiudicatis cum aliqua approbatione inhaeret.

97. **Distinctio** generatim in eo versatur, ut unum non sit aliud. Omnino tamen differt distinctio a separatione vel diversitate. Quaedam enim distinguuntur, quae separata non sunt, ut *corpus* et

---

[1] Summ. theol. I. q. 77 a. 2.

[2] Minus accurate attentionem definit Wolff (Psychol. empir. § 337), ut sit „facultas reddendi unam ideam aliis clariorem“.

[3] S. Thom., Summ. theol. I. q. 34 a. 1 ad 2.

anima eiusdem viventis. Distinctio nihil dicit praeter negationem identitatis; separatio autem negationem unionis significat. Diversitas dissimilitudinem naturae indicat in distinctis, quam non infert ipsa distinctio; unde etiam distingui possunt, quae diversa non sunt, ut pars dextra et sinistra unius lineae.

Alia distinctio ex rebus exsurgit, alia intentione fit mentis. Prior est rerum, quarum una reapse non est alia; quae est in rebus neque ulla ratione ab operatione mentis dependet. Altera, quam distinctionem intentionalem vocant, ab intellectu fit res distinctas cognoscente.

Potest autem, qui distinguit intentionaliter, aut ad multa attendere, aut ad unum ut ad multa. Si quis ea distinguit, quae in se multa sunt, de distinctione reali agitur; sin distinguit contemplando, quae in se distincta non sunt, distinctio rationis dicitur.

Itaque distinctione reali (ex natura rei) distinguuntur, quae ante operationem intellectus non sunt idem. Et distinctio realis breviter dicitur: absentia identitatis inter multas res.

Quae res si utraque habent in se entitatem, quae ex se satis sit ad fundandam (saltem pro nostro concipiendi modo) separatam ipsarum existentiam, quamvis forte eius generis separatio ipsi naturae absolute repugnet: distinctio appellatur realis maior. Si autem de re agitur et eius aliqua modificatione, distinctio est realis minor, sive modalis; quippe modificatio separata a re modificata ex se necessario desinere debet.

Distinctio rationis est absentia identitatis inter multos conceptus eiusdem rei, i. e. rei, quae ex sua parte nullam distinctionem habet. Est igitur ea, quae rebus propter operationem intellectus convenit concipientis ut distincta, quae a parte rei sunt idem.

98. Duplex est distinctio rationis. Una est distinctio rationis cum fundamento in re, quum res, quae in se una est, ad diversos de ipsa habendos conceptus fundamentum praebet. Quae distinctio etiam rationis ratiocinatae vocatur: rationis quidem, quia actu et formaliter in rebus non est, sed ratione fit, quum e. g. distinguit in *homine* „animal" et „rationale"; ratiocinatae, quia non ex solo opere rationis est, sed ex indole rei, de qua mens ratiocinatur, velut quum *hominem* ut cum brutis animantibus congruentem considerat eumque *animal* appellat, et etiam ut naturam ipsorum animantium supergredientem eumque dicit esse *rationalem*. Haec distinguendi ratio imperfectionem

humani intellectus naturaliter sequitur, qui unico intuitu totam rei perfectionem satis bene concipere non possit; oculo similis, qui similiter perfectione caret, ut globulum totum unico intuitu videre possit. Unde evenit, ut huius distinctionis usus eo sit frequentior, quo perfectior res est, sive quo plures perfectiones aliqua res realiter identificatas in se continet, quae in rebus inferioribus dispersae sunt; sicut *planta* utpote corpus elevatum ad gradum viventis, perfectior est lapide; et *animal,* quod sit ens vegetativum elevatum ad gradum sentientis, perfectius est planta; et *homo,* quippe qui animal sit elevatum ad gradum rationalitatis, perfectior est animali bruto.

Fundamentum reale huius distinctionis triplex esse potest. Aut illud in fecunditate rei operationibus admodum inter se diversis sufficiente (in aequivalentia in causando) reperies; aut in perfectione rei, quae perfectionibus multis alibi dispersis aequivalet vel has eminenter continet (in aequivalentia in essendo); aut in reali dissimilitudine simulque similitudine rei cum aliis.

Altera est distinctio pure mentalis, quum res, quae in se una est, compluribus conceptibus exprimitur, qui inter se diversi non sunt, ut quum *vestimentum* esse indumentum dico, vel Socratem (ut subiectum) esse Socratem (ut praedicatum). Quae distinctio rationis ratiocinantis vocatur, quia mens distincta concipit, quae a parte rei distincta non sunt, idque sine ullo fundamento in re, eius generis distinctionem postulante; quae igitur distinctio tota a ratione ratiocinante pendet.

Atque his dictis intelligitur, distinctionem rationis ratiocinatae conceptibus eiusdem rei inadaequatis perfici; distinctionem vero rationis ratiocinantis fieri solum per quandam repetitionem in ordine ad eundem conceptum adaequatum eiusdem rei.

Distinctionem rationis ratiocinatae etiam metaphysicam vocant, quia identitatem physicam rei quasi supergreditur; res enim, in qua versatur, physice eadem est, et tamen fundamenta praebet, ut multis formalitatibus diversis exprimatur. Ita in uno homine individuo hominem, animal, vivens, corpus, substantiam, ens distinguimus. Qua distinctione per gradus quasi ab infima ratione individui velut a basi, per praedicata, quorum unumquodque universalius et superius antecedente est, ad supremam usque rationem ascendimus. Unde fit, ut hi gradus metaphysici vocentur.

Distinctionem, de qua agitur, haud raro etiam virtualem vocant, quatenus videlicet a parte rei actualis non est. Sicut enim, quod est calidum virtualiter, ut *vinum,* non est calidum a parte rei, sed tantum producendi caloris virtutem habet, ita quae sunt distincta virtualiter, a parte rei distinctione vacant, sed tamen virtutem habent fundandi distinctionem rationis ratiocinatae in mente; atque ita distinctio virtualis non tam distinctio est, quam distinctionis fundamenta praebet.

Non semel hanc distinctionem formalem vocant, quia ea, quae ita distinguuntur, diversis conceptibus formalibus sive diversis formalitatibus exprimuntur.

99. **Abstractio** generatim est unius ab alio separatio et unius retentio relicto altero. Alia re fit, alia sola cognitione vel intentione. Prior est, qua unum ab alio reapse seiungitur, ut *vinctus* ex catenis. Altera, quae intentionalis dicitur, iterum duplici ratione perficitur: aut per iudicium, et vocatur negativa sive iudicativa; aut per solam apprehensionem, et vocatur simplex; et est abstractio proprie dicta, de qua hoc loco agendum est.

Haec igitur abstractio simplex nihil aliud est, quam cognitio unius non cognitis iis, quae huic adiuncta sunt. Illum enim abstrahere dicimus, qui ad unum attendit, ad aliud non attendit; quod quidem haud raro finitis potentiis propter earum imperfectionem accidit. „Abstrahentium non esse mendacium", res ex se manifesta est.

Et omni quidem facultati cognoscitivae congruit abstractio. Unusquisque sensus abstrahit, id tantum percipiendo, ad quod percipiendum est a natura institutus. Ulterius progrediens phantasia a re individuali, quam retinet, conditiones praesentiae, temporis, loci separat. Phantasiam superat intellectus, qui separat omittitque etiam ipsam quantitatem, immo rationem individui, retinens id, quod quum conceptu unum sit, multis tamen inesse possit, ut quum quis videt Socratem, Platonem, homines alios, omissa singularitate sive istis haecceitatibus, ut aiunt, relictis, concipit hominem in communi. Atque haec est nobilis illa abstractio intellectualis sive speculativa, qua intellectus abstrahit universalia a rationibus individui. In qua altior etiam gradus existere potest, quum videlicet intellectus omittit notionem omnem rei concretae vel subiectae, essentiam tantum vel naturam vel quidditatem retinens; velut quum intellectus non *hominem* concipit in universali, sed *humanitatem*[1].

100. Abstractio esse potest aut formalis, aut universalis sive totalis[2]. Prior est formae a subiecto, velut *albedinis a subiecto*

---

[1] Sunt, qui abstractionem ita coarctent, ut illam tantum notionem abstractam vocent, qua natura vel forma a subiecto vel concreto abstrahitur, velut *humanitas*, non autem eam, qua conceptus universalis a singularitate abstrahitur, velut *homo* consideratus in communi sive universali. Ita definit Wolff notionem abstractam eam, „quae aliquid, quod rei cuidam inest vel adest (scilicet rerum attributa, modos, relationes), repraesentat absque ea re, cui inest vel adest; notionem universalem eam, qua ea repraesentantur, quae rebus pluribus communia sunt". Logica § 54 et § 110.

[2] S. Thom. I. q. 40 a. 3 et opuscul. 63 in l. Boethii de Trinit. q. 5 a. 3.

albo, animae vel *humanitatis* ab homine. Altera est, qua conceptus superior tamquam totum abstrahitur ab inferioribus tamquam partibus, velut *animalis* ab homine. In hac abstractione totum, quod abstrahitur, consideratur ut implicite continens omne id, quod in conceptu inferiore inest; unde recte praedicare possum: *Homo est animal.* Sed in abstractione formali forma, quae abstrahitur, consideratur, ut a subiecto vel a toto, in quo inest, praecisa, unde dicere non possum: *Homo est humanitas.* Ad abstractionem formalem reducitur ea, quae in parte sensitiva reperitur, velut quum oculus ovis a *prato* abstrahit *viride.* Sed abstractio universalis sive totalis non invenitur, nisi in intellectu [1].

His duobus abstractionis modis tertius addi potest, quo apprehenditur in ente proprietas una omissis proprietatibus aliis, velut quum quis Dei potentiam considerat praecidens a Dei sapientia [2]. Quam abstractionem attributivam dicunt. Verum haec facile ad abstractionem formalem reducitur.

101. Abstractio, quae fit ab intellectu, sive intellectualis, triplex esse potest: physica, mathematica, metaphysica.

a) Abstractio est physica, qua abstrahitur quidem a singularibus, non tamen a materia sensibili, sed potius consideratur materia, ut accidentibus sensibilibus subiecta est.

b) Abstractio mathematica ab omnibus qualitatibus sensibilibus abstrahit, solam quantitatem retinet et materiam considerat, ut subest quantitati. Accidentia enim, quae in substantia insunt, hunc inter se ordinem habent, ut primo substantiae adveniat quantitas, deinde qualitas, velut *color, durities,* deinde passiones et motus. Ex quo fit, ut quantitas possit intelligi in substantia, antequam intelligantur in ea qualitates sensibiles, a quibus dicitur materia sensibilis. Itaque quantitas ex se non dependet a materia sensibili, sed ab intelligibili tantum. Substantia enim remotis accidentibus non remanet nisi intellectu comprehensibilis, eo quod sensibiles potentiae non pertingunt usque ad substantiae comprehensionem. Et de his abstractio est mathematica, quae considerat quantitates et ea, quae quantitates consequuntur [3].

c) Abstractio metaphysica omissa etiam quantitate solum Esse retinet et rationem entis considerat, et eius causas inquirit; atque ita ope huius abstractionis ad contemplanda entia immaterialia et pure metaphysica ascendere possumus. Haec abstractio philo-

---

[1] Schiffini, Principia philosophica n. 333.
[2] Fr. Satolli, Enchiridion philosophiae. Logica p. 61.
[3] Ita fere S. Thom. opuscul. 63 in l. Boethii de Trinit. q. 5 a. 3.

sophorum propria est, quippe quaerentium, quid res sit (quidditatem); in quo sit radicale et intimum principium actionum et proprietatum (essentiam); qua ratione essentia se habeat ad suas operationes (naturam); qui sit causarum nexus tum internarum tum externarum; et in hoc genere alia.

Breviter videndum est, qua ratione intellectus etiam ab ipsa materia abstrahere possit. Etenim „materia est duplex: aut communis, aut signata vel individualis. Communis quidem, ut *caro* et *os*, individualis autem, ut *hae carnes* et *haec ossa*. Intellectus igitur abstrahit speciem rei naturalis a materia sensibili individuali, non autem a materia sensibili communi: sicut speciem *hominis* abstrahit ab *his carnibus* et *his ossibus*, quae non sunt de ratione speciei, sed partes individui, et ideo sine eis considerari potest. Sed species *hominis* non potest abstrahi per intellectum a *carnibus et ossibus*.

Species autem mathematicae possunt abstrahi per intellectum a materia sensibili, non solum individuali, sed etiam communi; non tamen a materia intelligibili communi, sed solum individuali. Materia enim sensibilis dicitur materia corporalis, secundum quod subiacet qualitatibus sensibilibus, scilicet *calido* et *frigido, duro* et *molli*, et huiusmodi. Materia vero intelligibilis dicitur substantia, secundum quod subiacet quantitati. Manifestum est autem, quod quantitas prius inest substantiae, quam qualitates sensibiles. Unde quantitates, ut numeri et dimensiones et figurae, quae sunt terminationes quantitatum, possunt considerari omissis qualitatibus sensibilibus, quod est eas abstrahi a materia sensibili; non tamen possunt considerari sine intellectu substantiae quantitati subiectae, quod esset eas abstrahi a materia intelligibili communi; possunt tamen considerari sine hac vel illa substantia, quod est eas abstrahi a materia intelligibili individuali.

Quaedam vero sunt, quae possunt abstrahi etiam a materia intelligibili communi, sicut ens, unum, potentia et actus, et alia huiusmodi, quae etiam esse possunt absque omni materia, ut patet in substantiis immaterialibus“ [1].

102. Universalis abstractio duplex distingui potest. Una est, qua per operationem intellectus naturam rei a conditionibus individualibus vel materialibus abstrahimus. Altera est, qua intellectus in eadem natura iam concepta plura secernit distinguitque, quae reapse secreta distinctaque non sunt, eorumque unum considerat, reliquis non consideratis. Haec abstractio, quae in re physice una multiplicitatem metaphysicam considerat, in scholis praecisio vocari solet. Prior illa abstractionis nomen retinet. Est igitur praecisio nihil aliud, nisi aliqua intellectualis repraesentatio unius relicto altero, quod a parte rei cum priore idem est; et ea dicitur esse operatio intellectus, qua is ex praedicatis rea-

---

[1] S. Thom., Summ. theol. I. q. 85 a. 1 ad 2; cfr. Quaest. disput. q. 2 de verit. a. 1.

liter indistinctis unum sibi quodammodo decerpit et repraesentat, omissis aliis.

Praecisionem distinguunt *formalem*, quae est tantum ex parte actus, sive ex parte modi concipiendi; et *obiectivam*, quae etiam in obiecto cognito (ut cognito) invenitur. Praecisio formalis illa est, qua cognitio reapse totam et integram realitatem obiecti attingit, sed unum tantum attributum clare et distincte exprimit, reliquis tam obscure et remisse cognitis, ut fere evanescant. Praecisio obiectiva illa est, qua cognitio non totam realitatem obiecti attingit, sed unum dumtaxat attributum, reliquis simpliciter omissis nec ullo modo cognitis. Haec igitur praecisio non per actum intellectus aliquid ponentis fit, sed aliquid tollentis non quidem negative, sed omissive. Et ratio, cur eius generis praecisionem fieri necesse sit, ex parte intellectus humani oritur, qui tam imperfectus est, ut unico conceptu totam rei cognoscibilitatem non exhauriat. Qua ex re conspicitur, cur cognitio per praecisionem obiectivam facta, quum inadaequata sit et imperfectionem cognoscentis arguat, in Deo locum habere non possit. Ratio autem, cur fieri possit, ut nos eos conceptus obiective praecisos formemus, in conformitate et difformitate rerum est posita.

Neque tamen dicere volumus, hanc praecisionem obiectivam a nobis ubique et in partem omnem fieri posse, ubi aliqua „distinctio rationis cum fundamento in re“ adsit. Possunt enim tantae esse multorum de re una conceptuum colligationes, ut alius ab alio mente omnino separari non possit. Unde poni solet genus duplex „distinctionis rationis cum fundamento in re“, ita ut unum sit cum fundamento *perfecto*, quod praecisionem obiectivam admittat, alterum cum fundamento *imperfecto*, quod eiusmodi praecisionem non admittat, id quod de attributis divinis docent metaphysici.

Et in hoc praecisionis negotio distinguere possumus cognitionem ipsam praecidentem, et obiectum ex praecisione cognitum. Prior vocatur praecisio externa (extrinseca), quia est id extra obiectum existens, ex quo obiectum praecisum vocatur. Altera, quae est praecisio in ipso obiecto effecta, nominatur interna (intrinseca), quia per intellectus operationem obiectum interne afficitur.

103. **Comparatio** est operatio mentis, qua ad multas sive res, sive ideas attendens, illas simul considerat, earum inter se habitudinem sive ordinem inquirens. Quoniam enim potentiae attentio latitudinem habet, ea aut totaliter ad unum obiectum converti

potest, aut etiam ad unum ex parte, ita ut simul applicetur ex aliis partibus aliis obiectis. Qua in re illud valet: pluribus intentus minor est ad singula sensus[1].

Comparatio locum habet, quum v. g. individua multa comparamus conferimusque habitudinem individuorum similium, et hac occasione naturam, in qua res similes sunt, abstrahimus, quum deinde iterum hos conceptus abstractos cum singulis subiectis individuis comparamus, et ea comparatione conceptum speciei, generis, differentiae, proprietatis, accidentis cognoscimus. Et generatim quidem apprehensionem comparativam adhibemus, quum identitatem diversitatemve conceptuum vel rerum percipimus.

104. **Iudicium** est actus mentis aliquid affirmantis vel negantis. Iudicium quoque compositio et divisio est appellata, quia praedicatum aut cum subiecto componimus, aut ab eo dividimus.

Iudicium nominatur verum, quo rem eam affirmo esse vel non esse, quae revera est, vel non est; ut quum *circulum rotundum* esse iudico. Falsum esse dicitur, quum rem affirmo aliter esse, atque revera est, vel nego sic esse, ut reapse est, velut si *circulum quadratum* esse dicerem.

Iudicium certum est, quo mens firmiter et sine ulla errandi formidine veritati cognitae adhaeret. Incertum est, quo mens adhaeret veritati cum aliquo errandi metu.

105. **Ratiocinium** sive discursus est actus, quo mens nostra ex duobus iudiciis tertium infert; vel etiam definitur: actus, quo animus de duarum rerum convenientia aut disconvenientia iudicium profert nixus in instituta earum cum re tertia comparatione.

Itaque in omni discursu tria iudicia inesse patet. Duobus prioribus duae res diiudicandae cum re tertia (media) comparantur componunturque, et in iudicio tertio consequente duae illae res omissa re media inter se coniunguntur. Si quis igitur iudicium consequi velit: *mendacium vitandum esse,* is has duas res *(mendacium* et *vitandum)* cum tertia re, cuius habitudinem et ad *mendacium* et ad *vitandum* immediate perspectam habet, comparabit dicetque: *Omne vitium est vitandum, mendacium est vitium, mendacium vitandum est.*

Tres etiam terminos in omni discursu inesse patet, duos comparandos et terminum medium, qui est mensura comparationis.

---

[1] Videsis Suar. l. 3 de an. c. 7; cfr. S. Thom., Summ. theol. I. q. 85 a. 4 et q. 58 a. 2; Quodlib. VII. q. 1 a. 2.

Eo differt iudicium discursivum a iudicio simplici, quod in iudicio simplici compositio terminorum vel divisio in immediata perceptione horum terminorum fundatur; in iudicio discursivo in duobus iudiciis antecedentibus fundamenta habet. Quocirca inter hos duos actus ea fere differentia intercedit, quae inter motum et quietem conspicitur; siquidem iudicium simplex sive immediatum quaedam quies mentis est, iudicium autem discursivum sive mediatum motui mentis comparari potest; et rationem processus sive processionis habet[1].

Ratiocinium species habet duas: inductivam et deductivam. Deductio est discursus, in quo ex iudicio generali antecedente eruitur iudicium consequens minus generale. Exemplum habes: *Omnia corpora inter se attrahunt; atqui aurum et ferrum corpora sunt; ergo aurum et ferrum inter se attrahunt.*

Inductio est discursus, in quo ex iudiciis multis particularibus iudicium generale eruitur. Exemplum habes: *Aurum, ferrum, argentum, cuprum, aqua, lapides inter se attrahunt; aurum, ferrum, argentum, cuprum, aqua, lapides sunt corpora; ergo corpora omnia inter se attrahunt.* Quo tamen loco observandum est, in inductione omni supponi et audiri quasi propositionem quandam generalem; hanc si quis apertis verbis expresserit, inductionem ad deductionem reduci posse. Ita in nostro exemplo dicendum erit: *Generi rerum competit, quidquid post satis amplam et diligentem observationem individuis et speciebus cognitis semper ad nostra usque tempora observatum est; atqui ita in corporibus a nobis cognitis proprietas attractionis mutuae observata est; ergo haec proprietas corporibus omnibus competit.*

Generatim quum de ratiocinio dicunt philosophi, non inductionem, sed deductionem intelligi volunt.

Scholion. In ratiocinio id, unde veritas conclusionis deducitur, principium cognitionis appellatur; ratiocinium igitur est cognitio ex principiis. Inde manifestum est, non omnia ea, quae nos certa habeamus, ex ratiociniis hausta esse. Sed quaedam poni debent principia, quae ex se immediate ita certa sunt, ut eorum veritas sine ullo ratiocinio pateat. Quamobrem turpiter illi errant, qui nihil esse certum et verum putant, nisi quod ratiocinio ex alia veritate deduci possit.

---

[1] „Nomen processionis primo est inventum ad significandum motum localem, secundum quem aliquid ordinate ab uno loco per media ordinatim in extremum transit; et ex hoc transsumitur ad significandum omne illud, in quo est aliquis ordo unius ex alio vel post aliud.“ S. Thom., Quaest. disput. q. 10 de pot. a. 1.

106. **Reflexio** est attentio mentis ad proprios actus. Proprie ea dicitur reflexio, quae ad ipsos actus nostros refertur; et haec etiam psychologica vocatur. Est praeterea reflexio minus propria, quae non ipsos actus respicit, sed eorum obiecta, quae diligenter considerat; et haec reflexio ontologica dicitur.

Reflexio psychologica, quam posteriore tempore nonnulli etiam conscientiam[1] vocarunt, aut perfecta est aut imperfecta.

Perfecta est, si cogitantis mentis in se reversio non solum fit in actus tamquam in obiectum directum et immediatum, sed praeterea etiam in ipsam substantiam, quae ut causa et subiectum actuum ab his distinguitur.

Imperfecta est, si cognoscentis reversio haeret in actibus et affectionibus, nec ulla ratione actus affectionesque a substantia distinguit.

Ab hac conscientia reflexa, quae est proprie conscientia, differt conscientia aliqua directa vel concomitans, qua subiectum omne, aliquid obiectum actu cognoscens, ipso exercitio hunc actum atque etiam seipsum cum actu concretum indirecte et confuse experitur. Hanc aliqui „sensum intimum" vocant.

Scholion 1. Nomen conscientiae ex tempore Leibnizii vi triplici adhibetur. Primo significat reflexionem perfectam, quae solis hominibus propria est. Deinde etiam reflexionem illam imperfectam et concomitantem propriorum actuum perceptionem dicit, quae non solum in vita intellectiva, sed etiam in vita sensitiva reperitur. Tertio ab aliquibus nostrae aetatis scriptoribus ad significandam cognitionem qualemcumque adhibetur.

Scholion 2. Non raro cognitio directa cognitioni reflexae opponitur. Directe cognoscitur res, quae primo in se cognoscitur; reflexe autem, quae cognoscitur in alia cognitione de illa re habita.

107. **Scientia** alibi iam dicta est esse cognitio rerum per causas. Si consideretur, ut est actus mentis, est cognitio deducta ex principiis ad conclusiones; atque ita opponitur „intellectui", quem vocant. „Ipsa cognitio, secundum quod stat in principiis, accipit nomen intellectus; secundum quod autem derivatur ad conclusiones, quae ex principiis cognoscuntur, accipit nomen scientiae."[2]

Scholion. Huius significationis causam indicat B. Albertus: „Quoniam plurimum intellectus lucis et formae habent principia, propter quod a forma intellectus nominantur. Sed minimum et

[1] „A conscientia, quae est reflexio, distinguenda omnino est conscientia moralis, quae dicitur ligare vel instigare, accusare, remordere, reprehendere." S. Thom., Summ. theol. I. q. 79 a. 13.

[2] S. Thom., 3 dist. 28 q. 1 a. 6.

quasi per aliud medium de lumine intellectus habet scientia, propter quod aliud sortitur vocabulum." [1]

§ 3.

De facultatibus cognoscitivis.

108. **Facultas cognoscendi** ea est, qua mens nostra sive per solam apprehensionem, sive per iudicia, sive per ratiocinia notitiam rerum sibi comparat.

Principio natura ipsa cognitionis nostrae magnam videtur habuisse rationem. Nam abunde hominem iis omnibus instruxit, quae ad hauriendas ex mundo aspectabili notitias naturae humanae convenientes essent necessaria.

Quum cognitio humana duplex sit, sensitiva altera, altera intellectiva, etiam duplici facultate cognoscendi homo praeditus est: sensu et intellectu.

Facultas sensitiva ea est, qua res individuales, quae vel ipsae quantae extensaeve sunt, vel ad has res proxime referuntur, nobis repraesentamus.

Facultas intellectiva ea est, qua res insensibiles vel res sensibiles secundum rationes insensibiles percipimus. Insensibilia sunt ea, in quibus deest quantitas extensioque geometrica.

109. **Facultas sensitiva** ad eas res eventusve percipienda coaptata est, in quibus aliquo modo inest ratio extensionis geometricae, sive aperta, ut in visu et tactu, sive occultata magis, ut in auditu.

Sensus omnis in organo corporeo residet, ab eo egreditur in eodemque recipitur. Nomine organi partem corporis speciali structura dispositam vocant, quae exercendae functioni vitali destinata est. Quae functio si sensatio est, organum etiam sensorium vocari solet.

Sensus distinguunt externos et internos. Externi sunt quinque: tactus, visus, auditus, olfactus, gustus. Internos quattuor numerare solent: sensum communem, qui est radix sensuum externorum et centrum, ad quod sensationes externae omnes feruntur, qui igitur intervenientibus sensibus externis, sibi vitaliter et intrinsecus coniunctis, obiecta externa sub omni communi sensibilitatis ratione percipit; — deinde phantasiam sive imaginationem, quae est vis conservandi phantasmata sive imagines rerum

[1] De intellectu et intelligibili l. 1 tract. 3 c. 2.

sensibilium in individuo exhibitarum, easque repraesentandi et vario inter se modo coniungendi; — tertio memoriam sensitivam, quae agnoscit res ut iam cognitas tempore praeterito; — tandem aestimativam, quae facienda, appetenda, fugienda exhibet in particulari et concreto.

110. **Externa sensitivitas** naturaliter fertur in res externas, ut externis accidentibus subsunt; id quod per omnium hominum experientiam omnino constat. Et unusquisque sensus obiectum habet suum, quod ab aliis sensibus attingi non potest.

Ita obiectum proprium visus est lucidum coloratumque, auditus in sonos fertur, qui ex corpore vibrante in re media et in organo enascuntur; tactus corpora resistentia et calore temperata experitur; gustus sapores percipit ortos ex certa quadam corporum solutione, quae in ore peragitur; et simili ratione olfactus odoribus afficitur, qui ex resolutione particularum corporearum naribus immissarum nati sunt.

Proximum est, ut haec obiecta motum aliquem materialem sive immutationem naturalem in organis efficiant. Sed huic immutationi naturali immutatio intentionalis adiungitur, qua fit, ut facultas sentiendi determinetur ad repraesentandum sibi res externas, ut sunt in seipsis. Haec determinatio sive forma id est, quod „species sensibilis“ vocari solet. „Sensibilia exteriora ingrediuntur ad animam per portas quinque sensuum. Intrant autem non per substantias, sed per similitudines suas primo generatas in medio, et de medio in organo exteriore, et de organo exteriore in interiore, et de hoc in potentia apprehensiva; et sic generatur species in medio, et de medio in organo; et conversio potentiae apprehensivae super illam facit apprehensionem omnium eorum, quae exterius anima apprehendit.“ [1]

De processu sensationis externae magna erat apud veteres opinionum diversitas. Cuius varietatis exemplo sit visus. Visionem Pythagoraei dixerunt existere eo, quod ignis ex oculis egrediens ad rem visui obiectam progrediatur, atque inde repercussus ad oculos revertatur secum ferens imaginem rei, quam tetigerit. Contra Empedocles visum effici dixit concursu quodam emanationum ex corporibus procedentium et ignis, qui quasi lux ex laterna egrediatur, ita ut sine corporis emanationibus ignis ab oculis effluens nihil cerneret, atque emanationes sine igne ab oculis egresso non cernerentur. Similiter Plato arbitratus est ignem, non urentem quidem, per totam rerum universitatem effusum esse, eiusque partem oculis immissam „ignem visualem“ esse; visionem effici eo, quod hoc lumen internum sive effluxus ignis visualis et ignis sive lumen exterius in

---

[1] S. Bonavent., Itiner. ment. c. 2.

unam lineam rectam concurrerent atque in puncto, in quo coniungerentur, efformarent corpus, quod lumine exteriore quidem ad rem referretur oculis obiectam, et lumine interiore ad animam. Quae PLATONIS sententia etiam placuit Stoicis. DEMOCRITUS aliique atomorum propugnatores visionem dixerant fieri simulacris sive idolis ex rebus externis in oculos ingredientibus. ARISTOTELES autem docuit, visionem neque emissione luminis ex oculis fieri, neque simulacris ex rebus externis emanantibus; sed rebus externis dixit moveri medium pellucidum et hoc modo oculum ad videndum determinari.

Quoniam igitur sensus non solum ab obiectis suis ad cognoscendum excitantur, sed etiam interveniente impressione, quam hodie psycho-physicam vocant, id, quo ad cognoscendum hoc vel illud determinantur, forinsecus accipiunt, sensum recte dicunt esse „quandam potentiam passivam, quae nata est immutari ab exteriori sensibili: exterius ergo immutativum est, quod per se a sensu percipitur, et secundum cuius diversitatem sensitivae potentiae distinguuntur“ [1].

111. Sed praeter ea sensibilia, quae singulorum sensuum externorum sunt propria, alia sunt, quae suppositis sensibilibus propriis a sensibus pluribus percipi possunt, cuiusmodi sunt extensio, figura, motus, quies, distantia, numerus, quae sensibilia communia sunt nominata.

Primo igitur sensibilia propria, et secundo sensibilia communia a sensibus per se percipiuntur. Solent autem homines omnes natura cogente iis, quae quantitate, coloribus, aliis qualitatibus sensibilibus affecta apparent, rationem rei, entis, substantiae attribuere. Et quia facultas cognoscitiva, experientia comprobante, ad assequendam realitatem et veritatem apta et destinata est, haec perceptio non halucinatio est, sed vera entis substantiaeque cognitio; et nostra repraesentatio realitati rerum conformis est. Observandum tamen est, quamvis omne id, quod in repraesentationibus nostris expressum contineatur, sit extra mentem in iis rebus, ad quas huiusmodi repraesentationes natura duce ab hominibus referri soleant, eas rationes entis vel substantiae non sentiri per se, sed per quantitatem et qualitates sensibiles. Et iam apparet, cur ordo triplex in obiecto sensibili distingui soleat: sensibile proprium (per se primo), sensibile commune (per se secundo), sensibile per accidens. Namque „similitudo alicuius rei est in sensu tripliciter; uno modo primo et per se, sicut in visu est similitudo *colorum* et aliorum propriorum sensibilium. Alio modo per se et non primo, sicut in visu est similitudo *figurae* vel *magnitudinis* et

[1] S. THOM., Summ. theol. I. q. 78 a. 3 et in l. 3 de anima lect. 13.

aliorum communium sensibilium. Tertio modo nec primo nec per se, sed per accidens, sicut in visu est similitudo *hominis,* non in quantum est homo, sed in quantum huic colorato accidit esse hominem"[1].

Atque his dictis manifestum est, sensum externum recte definiri posse, ut sit facultas, qua animal percipiat externum quiddam interveniente impressione in corpore recepta.

112. **Sensus communis** illa pars sensitivitatis internae est, ex qua sensus omnes externi tamquam instrumenta vitaliter animata egrediuntur. Is in cerebro potissimum residet, quod „sensorium commune" vocant. Sensus communis, quamvis sit una potentia secundum essentiam, tamen aliquo modo multiplicatur secundum Esse, in quantum coniungitur diversis sensibus propriis, sicut unum centrum coniungitur pluribus lineis. Unde immutationes omnium sensibilium simul terminantur ad sensum communem, sicut motus, qui esset per omnes lineas, posset simul terminari ad centrum[2]. Itaque in sensatione externa partes principes tenet sensus internus, qui sensuum exteriorum dicitur esse radix, principium, terminus[3]. Incipit sensatio ex immutatione sensorii externi, continuatur processus per excitatum sensum usque ad sensorium commune, et deinde e sensorio communi, quod aliquo modo attentum esse debet, elicitur sensatio; sed tamen ita, ut nervi sensitivi ad principium hoc elicitivum interne pertineant, et sensatio non a cerebro, sed ab organo externo in rem perceptam ut actus unus vitalis dirigatur.

Et sensus ille communis, ad quem pertinet discretionis iudicium de obiectis sensuum externorum, destinatus est, ut percipiat ipsas etiam actiones sensuum externorum[4]. Atque ita sensus se sentire cognoscit, et simili ratione affectiones subiectivas alias corporis percipit, sive ab irritatione externa proveniunt, ut a calore, pressione, sive ab irritatione interna, ut a fame sitique, fatigatione, tensione musculorum.

Immo sensus internus etiam suos ipsius actus, non quidem proprie et directe, tamen imperfecte et velut in actu exercito sentire potest per notitiam, ut aiunt, experimentalem. Unde fit, ut sensu interno qui sentit, non solum res externas percipiat, sed etiam secundario sentiat, quomodo ipse a rebus externe perceptis

---

[1] S. Thom., Summ. theol. I. q. 17 a. 2. [2] S. Thom., Quodlib. VII. q. 1 a. 2.
[3] S. Thom., Summ. theol. I. q. 78 a. 4.
[4] S. Thom. l. c. ad 2 et q. 87 a. 3 ad 3.

afficiatur. Ita accidere potest, ut eidem homini pro diversa organorum dispositione, eadem res modo grata, modo ingrata sit. Accidere quoque potest, ut homo organo male disposito in falsam de rebus deducatur notitiam.

Et affectiones quidem a sensu communi sive interno sentiuntur per se. Quia autem hae affectiones sunt in substantia sentientis propria, etiam haec substantia aliquo modo a sentiente sentitur, non quidem per se, sed tamen per accidens. Si dolorem sentio, sentio dolorem meum, i. e., me ipsum dolentem; dolorem per se sentio, me ipsum sentio per accidens.

113. **Phantasia** sive imaginatio est vis apprehendendi similitudines corporales etiam rebus absentibus[1]. Et primum quidem facultas haec species per sensum communem relatas retinet et conservat; quapropter a philosophis thesaurus imaginum est appellata. Species enim, quae ab obiectis usque ad sensum communem imprimuntur et impressae nobis de rebus notitiam dant, praeterea etiam phantasiae vestigia quaedam habitualia imprimunt, quae „species habituales“ vocantur. Deinde potest phantasia virtute illorum quasi seminum in organis sensibilibus latentium species olim habitas reproducere et his reproductis sibi nunc res etiam absentes repraesentare. Hae species reproductae „phantasmata“ sive „idola“ sunt nominata. Qua in re aliqua diversitas inter sensum et phantasiam conspicitur. Dum enim sensus species a rebus accipit, phantasia eas reproducendo ipsa format. „Cognitio sensus exterioris perficitur per solam immutationem sensus a sensibili: unde per formam, quae sibi a sensibili imprimitur, sentit; non enim ipse sensus exterior format sibi aliquam formam sensibilem: hoc autem facit vis imaginativa, cuius formae quodammodo simile est verbum intellectus.“[2] Ad hanc phantasiae activitatem inchoandam aliqua excitatio requiritur, quae vel ab appetitu procedit vel ab irritatione aliqua organica vel etiam cognoscitiva. Observatum est enim, imagines illas certis legibus inter se associari, quatenus una imago alteram facile excitare solet secundum aequalitatem, analogiam, oppositionem, nexum localem vel temporalem aliosve respectus.

114. Ex hac formandi virtute efficitur, ut phantasia non solum species reproducere possit, ut olim habitae sunt, sed etiam earum

---

[1] S. Thom., Summ. theol. I. II. q. 15 a. 1.

[2] S. Thom., Quodlib. V. q. 5 a. 9 ad 2.

partes separare et inter se vario modo componere; atque ita imaginari possumus, quae nova sunt, non tamen totaliter nova. Novum aliquid, ut observat Aquinas, potest intelligi dupliciter. Uno modo totaliter novum et secundum se et secundum sua principia, et secundum hoc sibi nova imaginari nemo potest; non enim potest caecus natus imaginari colores, nec surdus natus imaginari sonos. Alio modo dicitur aliquid novum secundum speciem totius, ut quum quis imaginetur montes aureos, quos nunquam vidit [1].

Ut per phantasiam aliquid nobis repraesentemus, omnino requiritur, ut quantitas geometrica interveniat, sive aperte, ut in re visibili, sive latenter, ut in re audibili; quae quantitas si a re omnino abstrahatur, iam res imagine phantastica exhiberi non potest. De cetero nulla sunt sensibilia, quae phantasia repraesentare non possit; de rebus spiritualibus, ut de *virtute, sapientia, Deo,* non potest nisi indirecte adhibitis imaginibus earum rerum sensibilium, quae cum illis spiritualibus aliquam comparationem proportionemve habent. Ita angelum repraesentamus ut aetherium iuvenem alis instructum; ipsum „Intelligere“ ut quoddam „Videre“ designamus. Sed eas res in propria essentia conceptas phantasia coram habere non potest.

Ad id destinata est phantasia, ut homo etiam bona absentia apprehendere et appetere possit et inquirere, id quod pro vita congruo modo degenda omnino requiritur; deinde ut intellectui imagines praebeat, ex quibus abstrahendo ad cognoscendas res immateriales procedat; tandem requiritur etiam, ut conceptiones, quae ex se a sensibus remotiores sunt, certis imaginibus vestiat, quo magis claritate intellectum illustrent et voluntatem moveant.

Ea est inter sensationem et imaginationem differentia, quod 1° sensatio refertur ad rem praesentem, realem, determinatam, quum phantasia neque obiectum praesens, neque reale, neque determinatum requirat; 2° quod sensatio terminatur ad rem externam vel affectionem internam, quum phantasia terminetur ad vanas imagines; 3° quod sensationi adiuncta est impressio materialis, quae hic et nunc in organo facta et sensationi proportionata est, quum ad phantasiam eiusmodi impressio non requiratur.

115. Dicendum hoc loco breviter de activitate phantasiae in statu somnii. Somnus a natura institutus est, ut ea organa, quae vitam sensitivam agunt, ab operationibus sensitivis quiescant, quo melius per vegetationem nutriri et recreari possint. Id potissimum in sensorio communi, quod quasi centrum est totius vitae sensitivae, fieri necesse est. A natura igitur provisum est, ut sensus communis eiusque organum certis causis ab operatione sua impediatur et quasi ligetur. Et recte somnus ab Aristotele dictus

[1] Quaest. disput. q. 16 de malo a. 11 ad 9.

est esse „nexus et vinculum sensorii primi, quod fit gratia salutis". Sopito autem sensu communi etiam reliquae facultates a suis operationibus impediuntur. Sed post recreatas aliquo modo vires iam illae partes cerebrales, quae phantasiae inserviunt, quum pro munere suo admodum mobiles sint et versatiles, quamvis levi pressione organica vel corporis dispositione ad agendum excitari possunt et facilius ea repraesentant, quae cum variis animi affectibus vel habitis per sensus perceptionibus externis aliquo modo cohaerent. Omnis enim facultas, quae saepius ad activitatem deducta erat, si postea quocumque modo ad agendum irritatur, in eos agendi modos relabitur, qui sibi usu et consuetudine faciliores sunt. Sequitur porro, excitata phantasia excitari sensum communem. Is, quum in statu vigiliae, a sensibus externis excitatus, res externas ut praesentes et actu in organa nostra agentes, ex naturali sua destinatione repraesentare soleat, iam nunc in statu somni, excitatus a phantasia, eo modo agere incipit, qui sibi proprius est, et res nobis repraesentat, ac si eae actu extra nos praesentes essent. Quae apparitiones somnia vocantur.

Et ipse etiam intellectus et voluntas aliquo modo afficitur. Sed alio modo se habet in somno intellectus, et alio modo voluntas libera. „Ad intellectum duo pertinent, scilicet Percipere et de perceptis Iudicare. Intellectus autem in dormiendo non impeditur, quin aliquid percipiat ex his, quae prius consideravit, unde quandoque homo dormiendo syllogizat. Sed perfectum iudicium non potest esse in dormiendo, eo quod tunc ligatus est sensus, qui est primum principium nostrae cognitionis. Iudicium enim fit per resolutionem in principia; unde de omnibus oportet nos iudicare secundum id, quod sensu accipimus. Usus autem liberi arbitrii sequitur iudicium rationis, et ideo usus liberi arbitrii sufficiens esse non potest; quia etsi sit aliquis motus voluntatis, magis sequitur phantasiam quam iudicium completum rationis." [1]

Illud tandem in hac re diligenter attendere oportebit, ab ipsis vigilantibus, si paulo reflectere velint, statum somnii a statu vigiliae per propriam experientiam omnino discerni posse.

116. **Memoria** est facultas cognoscendi praeterita ut in praeterito cognita. „Non enim dicimus nos memorari, nisi quando per id, quod habemus apud nos, distincte recognoscimus id, quod prius vidimus, audivimus et didicimus." [2] „Memoriam non rerum in-

---

[1] S. Thom., Quaest. disput. q. 28 de veritate, a. 3 ad 6.

[2] Albertus Magnus, De mem. et reminiscentia tract. 2 c. 2.

telligibilium, sed harum corporearum et bestiae habere sentiuntur; nam et per loca nota sine errore iumenta pergunt, et cubilia sua bestiae repetunt, et canes dominorum suorum corpora recognoscunt, et dormientes plerumque immurmurant, et in latratum aliquando erumpunt, quod nullo modo possent, nisi in earum memoria visarum rerum versarentur imagines.“ [1]

Et recordari rerum praeteritarum dicimur, non quia res, cuius memores sumus, praeteriit, sed quia rem in praeterito cognovimus, et illam, quam in praeterito cognovimus, nunc recognoscimus [2]. Virtute enim vestigii, quod res tum, quum cognoscebatur, in organo phantasiae reliquit, nunc rem illam nobis phantasmate repraesentare possumus. Quum autem phantasma non solum rem repraesentet, sed etiam rem ut in praeterito cognitam, iam homo propter speciem, quam praesentem habet, rem praeteritam et ut in praeterito cognitam recognoscere potest. Et quum in phantasia relinquantur vestigia multa operationum praeteritarum, eaque eo ordine inter se succedant, quo per tempus praeteritum ipsae cognitiones habitae inter se succedebant priores et posteriores, facile apparet, adesse medium, quo homo differentiam temporum praeteritorum aliquo modo aestimare possit.

Haec igitur rerum olim cognitarum recognitio a phantasia eo differt, quod haec imagines, ut imagines sunt, attendit, memoria autem addit respectum ad tempus praeteritum, attenditque ad cognitiones olim habitas, et deinde rem ut antea cognitam deprehendit.

Praeter memoriam sensitivam est etiam in homine memoria intellectiva, in qua species intelligibiles conservantur. Sed haec vis memorandi ab ipsa facultate intellectiva non differt.

A memoria distinguunt reminiscentiam. Dum enim memoria est cognitio rei ut ante cognitae effecta ex prompta excitatione speciei illam repraesentantis sine medio: reminiscentia est cognitio rei ut ante cognitae acquisita per discursum, qui ex eo proficiscens, cuius prompte recordamur, ad id procedit, cuius non omnino recordamur. „Sicut ille, qui inquirit per demonstrationem, procedit ex aliquo priori, quod est notum, ex quo inveniatur aliquid posterius, quod est ignotum, ita etiam reminiscens ex aliquo priori, quod in memoria (actuali) habetur, procedit ad reinveniendum id, quod ex memoria excidit.“

Multis autem modis memoria ut ex potentia in actum transeat, excitatur: 1° necessitate quadam, quum cogitamus, quod cum alia re necessario connexum est; 2° consuetudine; ita recogitantes unam actionem, ante quam vel post quam alteram quotidiano usu ponere solebamus, illius alterius simul recordari solemus; 3° ratione similitudinis vel contrarietatis vel propinquitatis societatis, loci, temporis; associatione phantasmatum et idearum huiusmodi res similes, oppositae, quomodocunque inter se connexae memoriae simul exhiberi solent.

117. Aestimativa sensu latiore accepta est virtus formandi iudicia naturalia de rebus naturalibus et singularibus. Differt aestima-

---

[1] S. Augustin., l. 1 epist. fund. c. 17.

[2] S. Thom., Summ. theol. I. q. 79 a. 6 ad 2.

tiva ab intellectu eo, quod tantum singularia et concreta attingit intervenientibus quidem imaginibus, sed sine ulla nota universali, sine reflexione proprie dicta, sine divisione compositioneve intellectuali.

Aestimativa sensu presso accepta illa virtus iudicativa est, quatenus sese extendit ad apprehendendum de rebus intentiones, quae per sensus externos acceptae non sunt, sed ex perceptione impressionum hauriuntur, quas ea, quae percipiuntur, efficiunt in organisatione eius, qui percipit.

Per aestimativam fit, ut etiam bellua, quid amicum sit, quid inimicum, quid consanguineum, quid alienum, utrum aliquid utile sit an nocivum, notum an ignotum, iucundum an molestum, in certis et determinatis rebus distinguere possit. Quae determinatio ex constitutione uniuscuiusque naturae est deducenda, quae ad finem suum a suo conditore aptissime est disposita. „Si animal moveretur solum propter delectabile et contristabile secundum sensum, non esset necessarium ponere in animali nisi apprehensionem formarum, quas percipit sensus, in quibus delectatur aut horret. Sed necessarium est animali, ut quaerat aliqua vel fugiat, non solum quia sunt convenientia vel non convenientia ad sentiendum, sed etiam propter aliquas alias commoditates et utilitates, sive nocumenta; sicut *ovis* videns lupum venientem fugit, non propter indecentiam coloris vel figurae, sed quasi inimicum naturae; et similiter *avis* colligit paleam, non quia delectat sensum, sed quia est utilis ad nidificandum. Necessarium est ergo animali, quod percipiat huiusmodi intentiones, quas non percipit sensus exterior.“ [1] Unde aestimativa recte definita est: virtus apprehendens de sensato, quod non est sensatum.

118. Cum aestimativa instinctus coniunctus est. Si instinctum notione latiore accipias, determinatio quaelibet in vita sensitiva proficiscens a natura hoc nomine insigniri potest. Ita animal quodlibet instinctu ducitur, quoad est in omnem sui usum mobile. Haud raro cum hoc instinctu mira quaedam industria artificialis coniuncta est, praecipue in certis quibusdam animalium imperfectiorum classibus.

Instinctus vi vocis pressius accepta nihil aliud est nisi naturalis quaedam dispositio sentientem determinans ad certum iudicium producendum de convenientia vel disconvenientia alicuius obiecti cum ipso sentiente, et interveniente hoc iudicio etiam appetitum ad prosecutionem vel fugam determinans. Sicut igitur nisu potentia quaelibet fertur in suum actum, ita instinctu animal per iudicia naturalia in eas operationes fertur, quae naturae coniunctiores sunt.

Quod si rem penitius inspicere velimus, distingui potest 1° instinctus in causa, qui est appetitus naturalis certis dispositionibus ad finem suum co-

[1] S. Thom., Summ. theol. I. q. 78 a. 4.

aptatus; 2° cognitio aliqua rei externae vel etiam dispositionis subiectivae (ut *famis*); 3° accedit cognitio impressionis, qua cognitio ista subiectum affecit; et iam 4° in aestimativa cognitio rei oritur ut quaerendae vel aversandae; 5° hoc iudicium naturale inclinationem in certum appetitum actualem gignit, in qua inclinatione instinctus formaliter consistit; 6° instinctus in effectu est ipse appetitus actualis circa rem, de qua agitur, ut ex illo iudicio et inclinatione illa resultat.

119. In homine aestimativa non solum destinata est, ut, sicut in animalibus brutis accidit, vitae organicae usui inserviat, sed insuper ut „simul cum imaginativa et memorativa per hanc virtutem praeparentur phantasmata, quae recipiant actionem intellectus agentis, a quo fiunt intelligibilia actu, sicut sunt aliquae artes praeparantes materiam artifici principali“ [1]. Quapropter, quae in aliis animalibus dicitur aestimativa naturalis, in homine cogitativa vocatur, quia non solo instinctu naturali procedit, sed per collationem quandam, cuius usus est in nostra potestate [2]. Unde etiam dicitur ratio particularis, cui medici assignant determinatum organum, scilicet mediam partem capitis; est enim collativa intentionum individualium, sicut ratio intellectiva intentionum universalium [3]. Facultas enim, quae hoc nomine insignitur, non intellectiva est, sed sensitiva. Quum virtus cogitativa habeat operationem solum circa particularia, quorum intentiones dividit et componit, et habeat organum corporale, per quod agit, non transcendit genus animae sensitivae [4].

Quia autem in homine cogitativa agit ut instrumentum intellectus, fit, ut perfectiorem rationem in rebus individuis attingere possit, quam aestimativa in animalibus brutis. „Nam cogitativa apprehendit individuum ut existens sub natura communi, unde cognoscit hunc hominem, prout est hic homo, et hoc lignum, prout est hoc lignum. Aestimativa autem non apprehendit aliquod individuum, secundum quod est sub natura communi, sed solum secundum quod est terminus aut principium alicuius actionis vel passionis, sicut *ovis* cognoscit hunc agnum, non in quantum est hic agnus, sed in quantum est ab ea lactabilis, et hanc herbam, in quantum est eius cibus; unde alia individua, ad quae se non extendit eius actio vel passio, nullo modo apprehendit sua aestimativa naturali; naturalis enim aestimativa datur animalibus, ut per eam ordinentur in actiones proprias vel passiones prosequendas vel fugiendas.“ [5]

Ac de facultate sentiendi quidem satis in praesentia dictum est. Nunc deinceps facultates superiores consideremus, quibus

[1] S. Thom., Summ. c. gent. l. 2 c. 60. [2] L. c. c. 76.

[3] S. Thom., Summ. theol. I. q. 78 a. 4 et q. 81 a. 3; Quaest. disput. q. 25 de verit. a. 2, q. un. de an. a. 13; Opuscul. de potent. animae c. 4; in 3 dist. q. 26 a. 1, 2; in l. 2 de anim. lect. 13.

[4] Summ. c. gent. l. 2 c. 73. [5] S. Thom. in l. 2 de anim. lect. 13.

declaratis etiam ea clarius intelligentur, quae modo de cogitativa breviter indicavimus.

120. **Facultas intellectiva** ea est, qua res insensibiles vel res sensibiles secundum rationes insensibiles percipimus. Quamvis enim omnis nostra cognitio naturalis a sensu incipiat, tamen certum est, nos natura duce semper ultra limites sensualitatis procedere, et res et rationes percipere, quae solo sensu attingi nullo modo possunt. Cuius generis sunt conceptus *honestatis, veritatis, bonitatis;* sunt res secundum quidditatem sive essentiam; sunt rationis principia, axiomata mathematica in sua universalitate accepta, et generatim universalia; sunt relationes *causalitatis,* etiam *finalitatis;* sunt conceptus *Dei, infiniti, angeli,* aliarum rerum immaterialium.

Quibus ex rebus manifestum est, „essentiam animae humanae non ita corpori uniri, ut totaliter corporis conditionem sequatur, sicut aliae formae materiales (velut animae belluinae), quae sunt omnino in materia quasi submersae, ita ut nulla virtus aut actio ab iis prodire possit nisi materialis. Sed essentia animae humanae ex parte remanet libera, et corpori non totaliter subiugatur. Ab essentia animae humanae non solum vires sive potentiae vegetativae et sensitivae procedunt, quae organicae sunt, sed vires etiam intellectivae, quae penitus immateriales sunt, nullius corporis aut partis corporis actus existentes“ [1].

Res, quae ad intellectum referuntur cognoscendae, intelligibiles vocantur. Quas tamen homo secundum praesentis vitae statum, id quod per experientiam constat, in ipsis immediate intueri non potest, sed ea ex obiectis sensibilibus haurire et deducere debet. „Quum enim ipse intellectus sit vis quaedam non utens corporali organo, nullo modo impediretur in suo actu per laesionem alicuius corporalis organi, si non requireretur ad eius actum actus alicuius potentiae utentis organo corporali. Utuntur autem organo corporali sensus et imaginatio et aliae virtutes pertinentes ad partem sensitivam. Unde manifestum est, quod ad hoc, quod intellectus actu intelligat, requiritur actus imaginationis et ceterarum virtutum. Videmus enim, quod impedito actu virtutis imaginativae per laesionem organi, ut in phreneticis, et similiter impedito actu memorativae virtutis, ut in lethargicis, impeditur homo ab intelligendo. . . . Et hoc quilibet in seipso experiri potest, quod, quando aliquis conatur aliquid intelligere, format sibi aliqua phantasmata per modum exemplorum, in quibus quasi in-

[1] S. Thom., Quaest. disput. q. 13 de verit. a. 4.

spiciat, quod intelligere studet. Et inde est etiam, quod, quando aliquem volumus facere aliquid intelligere, proponimus ei exempla, ex quibus phantasmata sibi formare possit ad intelligendum."[1]

121. Dependentia facultatis intellectivae ab operationibus organicis. Ex his rebus satis apparet, intellectum humanum, quamquam in se sit facultas immaterialis sive spiritualis, tamen ex natura sua ita esse coniunctum cum vita sensitiva, ut intelligendo semper se debeat convertere ad phantasmata. Et quia vita sensitiva ab organis, a quibus elicitur, intrinsecus pendet, iam consequens est, ut in homine facultates cognoscitivae paulatim organismo corporali per vegetationem sese evolvente ipsae quoad usum evolvantur.

Haec a corpore intima dependentia non per accidens convenit facultati intellectivae in homine, sed per se naturae animae humanae congruit.

Quum enim intellectus humanus non sit tantae efficaciae in intelligendo, iam ex se solus per formas sive conceptiones universales cognitionem accipit de rebus magis in communi et in confuso. Ut igitur animae humanae perfectionem et magis propriam de rebus cognitionem habere possint, „sic naturaliter sunt institutae, ut corporibus uniantur, et sic ab ipsis rebus sensibilibus propriam de eis cognitionem accipiant, sicut homines rudes ad scientiam induci non possunt nisi per sensibilia exempla. Sic ergo patet, quod propter melius animae est, ut corpori uniatur, et intelligat per conversionem ad phantasmata."[2] Itaque „intellectus humani, qui sit coniunctus corpori, proprium obiectum est quidditas sive natura in materia corporali existens; et per huiusmodi naturas visibilium rerum in invisibilium aliqualem cognitionem ascendit"[3]. „Operatio enim proportionatur virtuti et essentiae; intellectivum autem hominis est in sensitivo, et ideo propria operatio eius est Intelligere intelligibilia in phantasmatibus."[4]

Quamvis autem per se in bonum intellectus humani sit, quod ab operationibus organicis dependeat, tamen per accidens fieri potest, ut hae operationes perfectionem intellectionis impediant.

Imprimis patet, iudicium intellectus ligamento sensus omnino impediri; „quamvis enim intellectus sit superior sensu, accipit tamen aliquo modo a sensu, et eius obiecta prima et principalia in sensibilibus fundantur"[5].

Deinde sensitivae operationes intellectivas impedire possunt eo, quod in utrisque intentio esse debet. Id enim in omnibus

---

[1] S. Thom., Summ. theol. I. q. 84 a. 7.

[2] S. Thom., Summ. theol. I. q. 89 a. 1. [3] L. c. q. 84 a. 7.

[4] S. Thom., De mem. et remin. lect. 1.

[5] S. Thom., Summ. theol. I. q. 84 a. 8 ad 1.

animae potentiis observamus, una in suo actu intenta, alias infirmari vel omnino abstrahi. „Cuius ratio est, quia ad actum cuiuslibet cognoscitivae potentiae requiritur intentio. Intentio autem unius non potest ferri ad multa simul, nisi forte illa multa sint ad invicem ordinata, ut accipiantur quasi unum. Unde quum sit anima una, in qua omnes cognoscitivae potentiae fundantur, unius et eiusdem intentio requiritur ad omnium potentiarum cognoscitivarum actus; et ideo, quum totaliter anima intendat ad actum unius potentiae, abstrahitur homo ab actu alterius potentiae." [1]

Praeterea in intellectu humano puritas cognitionis intellectualis etiam eo obscuratur, quod intellectus quodammodo sensibilibus operationibus admiscetur, quum a phantasmatis alatur. Ex quadam enim colligatione potentiarum animae ad invicem sequitur necessario, ut redundantia fiat vel impedimentum ex una potentia in aliam [2].

Ad operationes vegetativas quum nulla requiratur intentio in potentiis cognoscitivis, nec operatio intellectiva ullo modo huiusmodi operationibus admisceatur, nec intellectus per organum corporale operetur: puritati intellectus ex se nunquam per operationes vegetabiles praeiudicari potest. „Per accidens tamen potest ex altera alteri impedimentum provenire, in quantum scilicet intellectus accipit a phantasmatibus, quae sunt in organis corporalibus, quae oportet per actum vegetabilis animae nutriri et conservari, et sic per actus nutritivae potentiae eorum dispositio variatur, et per consequens operatio potentiae sensitivae, a qua intellectus operatio impeditur, sicut patet in somno et post cibum. Et e converso per hunc modum operatio intellectus impedit operationem animae vegetabilis, in quantum ad operationem intellectus requiritur operatio imaginativae virtutis, ad cuius vehementiam oportet caloris et spirituum concursum fieri; et sic impeditur actus virtutis nutritivae per vehementiam contemplationis." [3]

Ex imperfectione facultatis intellectivae in homine consequitur, ut ex rebus materialibus per viam remotionis et comparationis in aliqualem cognitionem immaterialium rerum ascendamus, non tamen in perfectam, atque ita ipsas earum quidditates apprehendamus. Nam quidditates rerum materialium omnino alterius rationis sunt atque substantiae immateriales. Et similitudines, quae a materialibus accipiuntur ad immaterialia intelligenda, sunt multum dissimiles [4].

122. **Intellectus** sive intelligentia. In facultate intellectiva distinguunt intellectum et rationem. Intellectus res rationesve utcunque directe percipit; ratio eo percipit, quod de uno intellecto

---

[1] S. Thom., Quaest. disput. q. 13 de verit. a. 3. [2] S. Thom. l. c.
[3] S. Thom. ibid. a. 4. [4] S. Thom., Summ. theol. I. q. 88 a. 2.

ad aliud procedat. Intellectus igitur sive intelligentia res intelligit secundum earum essentiam sive quidditatem, atque hanc ab omni individualitate abstractam attingere potest. Intellectus humanus, quum non sit actus alicuius organi, sed tamen sit virtus animae, quae est forma corporis, id proprium habet, ut cognoscat speciem in materia quidem corporali individualiter existentem, non tamen, ut est in tali materia [1]. Ita patet, intellectum per se primo eadem cognoscere, quae cognoscit sensus, altiore tamen modo quam sensus. „Circa idem virtus superior et inferior operantur, non similiter, sed superior sublimius. Unde et per formam (notitiam), quae a rebus accipitur, sensus non ita efficaciter rem cognoscit sicut intellectus; sed sensus per eam manuducitur in cognitionem exteriorum accidentium; intellectus vero pervenit ad nudam quidditatem rei, secernendo eam ab omnibus materialibus conditionibus. Unde pro tanto dicitur cognitio mentis a sensu originem habere, non quod omne illud, quod mens cognoscit, sensus apprehendat; sed quia ex his, quae sensus apprehendit, mens in aliqua ulteriora manuducitur; sicut etiam sensibilia intellecta manuducunt in intelligibilia divinorum." [2] Et primum obiectum intellectus nostri secundum praesentem statum non est ens quodlibet et verum, sed ens et verum consideratum in rebus materialibus, ex quibus in cognitionem omnium aliorum devenit [3].

Scholion 1. Quum intellectus humanus ad obiecta sua eo perveniat, quod a materia signata, i. e. a materia secundum quod sub determinatione dimensionum harum vel illarum consideratur [4], abstrahat, manifestum est, ab intellectu per se cognosci id, quod ex se universale esse potest (quamvis id aliunde singulare fortasse sit, ut quum intellectus cogitat *Deum* vel se ipsum vel *spatium* infinitum).

Neque tamen opinandum est, ipsum intellectum non cognoscere has res singulares, quas sensibus percipimus. Certum est enim, ipsam cognitionem intellectualem hominis, quae feratur in res a singularitate abstractas, continuari etiam quodammodo ad cognoscendam rem, cuius est phantasma. De modo autem, quo id fiat, diversa est apud philosophos sententia.

Scholion 2. Si quis dubitet, sintne magis universalia priora in nostra cognitione, is imprimis recogitare debet, non sensum aut intellectum proprie per seipsum cognoscere, sed hominem per utrumque. Et quia sensus est singularium, intellectus autem universalium, necesse quidem est, ut cognitio singularium quoad nos prior sit quam universalium cognitio. Sed tamen sive secundum sensum sive secundum intellectum cognitio magis communis, utpote

---

[1] S. Thom., Summ. theol. I. q. 85 a. 1.
[2] S. Thom., Quaest. disput. q. 10 de verit. a. 6 ad 2.
[3] S. Thom., Summ. theol. I. q. 87 a. 3 ad 1.
[4] S. Thom., Quaest. disput. q. 2 de verit. a. 6.

imperfectior, cognitionem minus communem, utpote determinatiorem, naturaliter praecedit [1].

123. Intellectus, quum agere incipit, immediate et sine ullo negotio in rebus sensibilibus eas rationes percipit, quae maxime eius naturae respondent et hinc maxime ei sunt obviae, cuius generis sunt notiones entis, veri, boni, unius, causae, substantiae, extensionis, qualitatis, similium.

In ratione entis immediate etiam intuetur ea principia, quae cum eo aperte coniuncta sunt et per se ipsa evidentia et hinc indemonstrabilia.

Ad intellectum quoque spectat illa conscientia sive reflexio perfecta, qua anima ad obiecta sensibilia percipienda porrecta et super hunc suum actum percipiendum reflexa, in hoc actu seipsam etiam percipit secundum substantiam, atque ita per suum actum ad sui ipsius cognitionem pervenire potest (n. 106).

Atque haec quidem de prima intellectus operatione, quae est apprehensio intellectualis vel intelligentia simplicium (i. e. sine ulla affirmatione negationeve).

Deinde intellectus ex simplici intellectionis actu proficiscens ad iudicandum procedit, quae est altera intellectus operatio. Quo perfectius faciliusque rei realitatem percipiat, a natura ita institutus est, ut suapte vi et ingenio varias de re notiones separet separatasque per proprias species cognoscat, comparet, eas deinde iterum pro rei veritate per iudicium compositurus vel separaturus, affirmando semper convenientiam cognitionis cum re cognita (n. 104).

Omne igitur intellectus humani iudicium comparatione terminorum efficitur et intuitu assensuque mentis absolvitur, rem ita esse et aliter esse non posse, sicut a mente est cognita.

Scholion. Ex his intelligitur, quantopere a veritate aberrent ii, qui iudicia caeco naturae instinctu constitui putant. Admitti quidem potest, sicut in natura omni, ita etiam esse in natura rationali nisum quemdam vel inclinationem, qua incipiens activitas ad finem suum modo naturae accommodato deducatur. Verum contra rationalis naturae indolem est, ut rem iudicet non cognita perceptaque veritate. Quocirca potest quidem aliquis instinctus, quem rationalem vocare liceat, intellectum ad cognitiones quasdam, quae naturae rationali consentaneae sint, formandas cum aliqua facilitate inclinare (n. 118). Minime tamen potest eiusmodi inclinatio ulla ratione in locum ipsius perspicientiae sese ingerere.

„Duplex igitur est operatio intellectus. Una quidem, quae dicitur indivisibilium intelligentia, per quam scilicet apprehendit

---

[1] S. Thom., Summ. theol. I. q. 85 a. 3.

essentiam uniuscuiusque rei in seipsa. Alia est operatio intellectus componentis et dividentis. Additur autem et tertia operatio, scilicet ratiocinandi (quae ad facultatem intellectivam spectat, ut ea est „ratio"), secundum quod ratio procedit a notis ad inquisitionem ignotorum. Harum autem operationum prima ordinatur ad secundam, quia non potest esse compositio et divisio nisi simplicium apprehensorum. Secunda vero ordinatur ad tertiam, quia videlicet oportet, quod ex aliquo vero cognito, cui intellectus assentiat, procedit ad certitudinem accipiendam de aliquibus ignotis." [1]

124. **Ratio** nihil aliud est nisi ipse intellectus, qui facultate est praeditus ex iudiciis habitis transeundi ad tertium distinctum et novum, quod cum illis coniunctum et ab illis causatum est (n. 105), atque ita perveniendi ad eam cognitionis perfectionem, quae ab homine pro praesentis vitae statu attingi potest. Terminus, a quo ratio ratiocinando proficiscitur, est intelligentia imperfectior, et terminus, ad quem movetur, est intelligentia perfectior. „Motus omnis ab immobili procedit; motus etiam finis est quies. Et sicut motus comparatur ad quietem et ut ad principium et ut ad terminum, ita et ratio comparatur ad intellectum ut motus ad quietem, et ut generatio ad Esse." [2]

Atque is per abstractionem, compositionem, progressionem intelligendi modus hominis ut hominis proprius est et naturalis, et ex coniunctione animae spiritualis cum corpore resultat. Sicut in intellectu componente et dividente comparatur praedicatum ad subiectum, ita in intellectu ratiocinante comparatur conclusio ad principium. „Si enim intellectus noster statim in ipso principio videret conclusionis veritatem, nunquam intelligeret discurrendo vel ratiocinando. Similiter si intellectus statim in apprehensione quidditatis subiecti haberet notitiam de omnibus, quae possunt attribui subiecto vel removeri ab eo, nunquam intelligeret componendo et dividendo, sed solum intelligendo, ‚quod quid est'. Sic igitur patet, quod ex eodem provenit, quod intellectus noster intelligit discurrendo et componendo et dividendo, ex hoc scilicet, quod non statim in prima apprehensione alicuius primi apprehensi potest inspicere, quidquid in eo virtute continetur." [3]

Itaque ex debilitate luminis intellectualis et ex coniunctione vitae intellectualis et sensitivae ille vitae modus oritur, qui ratio-

[1] S. Thom. in l. 1 periherm. lect. 1.
[2] S. Thom., Quaest. disput. q. 15 de verit. a. 1.
[3] S. Thom., Summ. theol. I. q. 58 a. 4.

nalis dicitur. Ratio, hac vi voci subiecta, non spiritui puro, sed soli homini competit. Si hominem „animal rationale“ dicunt, rationalitatis voce ille intelligendi modus significatur, qui in solo animali reperiri potest.

§ 4.

De facultatum cognoscitivarum actuatione.

125. **Indoles actus cognoscitivi.** Facultates nostras cognoscitivas secundum certos constantesque et uniformes modos in operationibus suis procedere, homines omnes ex usu suo experti sunt. Quae leges etsi proxime ex natura et indole facultatum nostrarum profluere videntur, tamen ex rebus, quas secundum illos modos necessitantes cogitamus, per facultates nostras in nostram activitatem cognoscitivam transfunduntur. Si enim facta cognoscitiva, ut in vita humana quotidie contingunt, aliqua cum diligentia observemus, facile videmus, non eam esse naturam facultatum cognoscitivarum, ut nos necessitate mere subiectiva regant, sed potius, ut ad cognoscenda ea, „quae sunt“, coaptatae sint et determinatae. Nunquam enim cognoscendo agere possumus, quin iis, quae cognita dicimus, vim obiectivam realitatis ab activitate subiectiva diversam et non pendentem attribuamus, ita ut necessitatem subiectivam ad sic vel aliter repraesentandum experiamur ideo, quia *intuemur*, rem ita esse.

Ita iam in usu sensuum fit, ut genus humanum apparentias perpetuo nobis in vitae consuetudine obversantes non effectus iudicet esse a rebus in nostris organis productos, sed ipsas res extensas, motas, lucidas, coloratas, quae extra nos vere *sint*. Id igitur, quod actu cognoscitivo a nobis coadiuvante re obiecta effectum est, minime est id, quod intuenti homini directe obversatur; sed est repraesentatio, qua interveniente directe rem externam cognoscimus. Et species intentionalis, qua actus cognoscitivus informatur, induit quodammodo formam illius rei externae, quam cognoscit. Unde fit, ut species non se ipsam obiective cognoscenti repraesentet ut id, *quod* cognoscatur, sed ex natura sua cognoscentem ducat directe in cognitionem obiectivae realitatis.

Consimiliter in intellectus negotio rem procedere videmus. Postquam enim res aliqua sensu percepta est, intellectus ab imagine sensibili per abstractionem sibi speciem intelligibilem efficit, quae, sicut illa species sensibilis ad rem *hanc* in concreto praesentem refertur, ita cum rei quidditate connectitur tamquam cum realitate

obiectiva metaphysica. Hac specie rem intelligibilem repraesentante informatus intellectus fit intelligens; et intelligendo fit quodammodo id, quod intelligit. „Considerandum est, quod res exterior intellecta a nobis in intellectu nostro non existit secundum propriam naturam, sed oportet, quod species eius sit in intellectu nostro, per quam fit intellectus in actu. Existens autem in actu, per huiusmodi speciem, sicut per formam propriam, intelligit rem ipsam (non autem ita, quod ipsum Intelligere sit actio transiens in rem intellectam, sicut calefactio transit in calefactum; sed manet in ipso intelligente, et habet relationem ad rem, quae intelligitur ex eo, quod species praedicta, quae est principium intellectualis operationis, ut forma, est similitudo illius). Ulterius autem considerandum est, quod intellectus per speciem rei formatus intelligendo format in seipso quandam intentionem rei intellectae, quae est ratio ipsius, quam significat definitio. . . . Haec autem intentio intellecta, quum sit quasi terminus intelligibilis operationis, est aliud a specie intelligibili, quae facit intellectum in actu, quam oportet considerari ut intelligibilis operationis principium, licet utrumque sit rei intellectae similitudo. Per hoc enim, quod species intelligibilis, quae est forma intellectus et intelligendi principium, est similitudo rei exterioris, sequitur, quod intellectus intentionem formet illius rei similem; quia, quale est unumquodque, talia operatur; et ex hoc, quod intentio est similis alicui rei, sequitur, quod intellectus formando huiusmodi intentionem rem illam intelligat.“ [1] „Dico intentionem intellectam id, quod intellectus in se ipso concipit de re intellecta. Quae quidem in nobis neque est ipsa res, quae intelligitur, neque est ipsa substantia intellectus, sed est quaedam similitudo concepta intellectu de re intellecta, quam voces exteriores significant; unde et ipsa intentio ‚verbum interius‘ nominatur, quod est exteriori verbo significatum. Et quidem quod praedicta intentio non sit in nobis res intellecta, inde apparet, quod aliud est intelligere rem, et aliud est intelligere ipsam intentionem intellectam, quod intellectus facit, dum supra suum opus reflectitur.“ [2]

126. **Habitus principiorum simplicium.** Quo facilius ac certius homo ad perfectionem sibi debitam pervenire possit, a natura provisum est, ut, ubi primum usus rationis evigilat, statim intellectus cum aliqua facilitate formet sibi notiones quasdam fundamentales, quas rebus singularibus applicet, et in profectu ad com-

---

[1] S. Thom., Summ. c. gent. l. 1 c. 53. [2] Ibid. l. 4 c. 11.

parandas cognitiones perfectiores adhibere possit. Cuius generis notiones sunt *causae materialis*, *efficientis*, *finalis*, deinde *essendi* atque *fiendi*; deinde *actus* et *potentiae*, *substantiae* et *accidentis*, rerumque similium, quas homo primo format sponte sua sine ullo reflexionis negotio. Quamquam igitur homo has notiones minime iam in natura praeiacentes habet, tamen praeter solam facultatem, qua eas sibi formare potest, inclinatione ad eas formandas est praeditus, quae cum natura humana incipit et ab eius principiis ortum habet. Quapropter de „habitu innato“ agunt philosophi, qui igitur habitus innatus est, ut diximus, respectu luminis directivi, non autem respectu notitiae actualis. Et „habitus“ illae notitiae vocantur (n. 95), quia menti in omnibus suis operationibus habitualiter quasi praesto sunt et admodum obviae.

Verum haec notitia naturalis principiorum simplicium initio est admodum imperfecta; perficitur eo, quod mens post particulares notiones de rebus singularibus conceptas ad illas redit, et de iis reflexione recogitat efficitque, ut ea, quae antea indistincte sub quadam confusione cognoscebantur, nunc distincte et determinate percipiantur.

127. **Habitus principiorum complexorum.** Complexae cognitiones sunt, quatenus iudicio aliquo affirmativo vel negativo ad rei realitatem obiectivam referuntur; quae si conformiter ad hanc rei realitatem referuntur, cognitiones verae sunt; sin difformiter, falsae. Veritas cognitionis aut per se nobis nota esse potest, aut per aliam cognitionem; et haec iterum erit aut nobis per se nota aut per deductionem ex alia; in qua tamen deductione tandem ad cognitiones deveniendum est, quae per se nobis notae et hinc tamquam principia omnium nostrarum cognitionum habenda sunt. Haec autem principia aut factum continent experimentale, aut ex ipsa inspectione notionum innotescunt. Sunt igitur praeter experientiam sive externam sive internam intellectui nostro quaedam principia complexa praesto, quae immediate per se nobis sunt nota. Et haec principia intellectus format, ubi primum illa principia incomplexa inspicit, de quibus modo diximus. Etenim affirmat, negat, causas rerum inquirit homo, quia cogitationis initio statim videt, nihil simul esse posse et non esse sub eodem respectu, nec quidquam esse posse sine ratione sive causa, quae satis sit.

Principia per se nota aut sunt speculativa aut practica sive moralia; speculativa nobis manifestant, quid verum sit, practica, quid agendum secundum ordinem rectum. Qua de re est apud

S. Thomam: „Ratiocinatio hominis, quum sit quidam motus, progreditur ab intellectu aliquorum, scilicet naturaliter notorum absque investigatione rationis, sicut a quodam principio immobili; et ad intellectum etiam terminatur, in quantum iudicamus per principia per se naturaliter nota de his, quae ratiocinando inveniuntur. Constat autem, sicut ratio speculativa ratiocinatur de speculativis, ita ratio practica ratiocinatur de operabilibus. Oportet igitur naturaliter nobis esse indita sicut principia speculabilium, ita et principia operabilium. Prima autem principia speculabilium nobis naturaliter indita non pertinent ad aliquam specialem potentiam, sed ad quemdam specialem habitum, qui dicitur ‚intellectus principiorum'. Unde et principia operabilium nobis naturaliter indita non pertinent ad specialem potentiam, sed ad specialem habitum naturalem, quem dicimus ‚synderesim'"[1], vel etiam ‚conscientiam', quae tamen vox proprie loquendo conclusiones significat ex illis principiis habitas. Sed nobis iam, omissis primis operabilium principiis, de principiis rationis speculativis agendum est.

128. Haec sunt principia speculativa primaria, quae etiam „generales leges cogitandi" vocari solent:

1º Principium contradictionis: Nihil potest (simul, i. e. una) sub eodem respectu esse et non esse. Unde id, quod in subiecto vere inest, id de subiecto affirmandum est, nec licet idem de eo sub eodem respectu negare. Et id, quod in subiecto non inest, id de subiecto negandum est, nec licet idem de eo sub eodem respectu affirmare. Quod etiam hac formula enuntiari potest: Affirmatio et negatio eiusdem de eodem sub eodem respectu non possunt simul, i. e. ambae esse verae. Ex hoc principio sequitur necesse esse, ut non solum reiiciatur notio contradictionem involvens et ea, quae „contradictio in adiecto" vocatur, sed etiam omne illud, quod in suis antecedentibus et consectariis ad contradictorium quid necessario adducit.

2º Principium exclusi tertii: Non est medium inter Esse et Non-esse (i. e. inter duo contradictoria). Unde aliquid alicui subiecto cogitatione attribuendum est aut non est attribuendum. (A aut est B, aut non est B.)

3º Principium rationis necessariae (sive sufficientis): Nihil est sine ratione sufficiente; vel (ut Aristoteles dixit): Semper necessaria est ratio, cur aliquid sit, vel fiat, vel cogno-

[1] Summ. theol. I. q. 79 a. 12.

scatur[1]. Ut igitur aliquid de aliquo subiecto affirmetur vel negetur, necessaria est ratio, cur id subiecto conveniat vel non conveniat. Sed si ratio est, cur aliquid subiecto conveniat vel non conveniat, id de subiecto affirmandum vel negandum est.

In his, quae hic sunt posita, principiis primariis alia principia contenta sunt, quae philosophanti homini statim elucent, et legibus cogitandi annumerari solent.

4° Principium identitatis[2]: Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se (uni i. e. individuali et incommunicabili).

5° Principium discrepantiae: Quorum unum distinguitur a tertio, a quo alterum non distinguitur, ea inter se distingui oportet.

6° Principium, quod dicitur „Dictum de omni": Quod dictum est de omni, dicendum est de singulis.

7° Principium, quod dicitur „Dictum de nullo": Quod negatum est de omni, negandum est de singulis.

Horum principiorum habitus esse in homine dicitur, quia homo ad ea formanda naturaliter inclinatur, eaque, quum cogitat, semper habitualiter in promptu habet. Non est autem opinandum, hominem statim ab initio ad haec iudicia clare et distincte in seipsis formanda ferri; sed primo ea habet indistincte sub quadam confusione, quatenus ea in omni iudicio rationali implicite continentur. Postea autem, super iudicia habita reflectendo, principia illa quasi enucleat et explicite et perfecte cognoscit.

Quibus dictis vix opus est observare, habitum principiorum complexorum ab incomplexorum habitu re non differre. Eadem enim est homini innata dispositio, qua ad principia utriusque generis formanda inclinatur.

Scholion. Per metaphoram principia simplicia et complexa, de quibus diximus, a philosophis comparantur lumini; et recte id quidem; nam in omnibus nostris cognitionibus principia illa nobis praelucent. Neque raro subiectiva etiam dispositio, quae homini innata est (qua fit, ut cum aliqua facilitate ad formanda illa principia inclinetur), lumen vocatur; et tum inter lumen intellectuale subiective et obiective acceptum distinguendum est.

129. Quinque habitus numerari solent, quibus mens ad acquirendas et habendas cognitiones perficitur.

---

[1] Leibnizius et qui eum sequuntur hoc principium vocant: principium rationis sufficientis. Sed ad rem accommodatius voce effertur rationis requisitae necessitas, quam quae per se intelligitur, sufficientia.

[2] Nonnulli hoc nomine insigniunt principium: A = A.

1º Intelligentia (vel intellectus) est cognitio primorum principiorum; 2º sapientia est cognitio certa et evidens per causas altissimas procedens; 3º scientia est cognitio certa et evidens acquisita per demonstrationem ex causis inferioribus; 4º prudentia est recta ratio agibilium; 5º ars est recta ratio factibilium; quae definitur etiam: rationis ordinatio, qua per determinata media ad debitum finem actus humani perveniunt.

Itaque „sapientia et scientia et intellectus sunt circa partem animae speculativam, quam (Aristoteles) scientificum animae appellat. Differunt autem, quia intellectus est habitus principiorum primorum demonstrationis. Scientia vero est conclusionis ex causis inferioribus. Sapientia vero considerat causas primas, unde caput scientiarum dicitur. Prudentia vero et ars est circa animae partem practicam, quae est ratiocinativa de contingentibus operabilibus a nobis. Et differunt. Nam prudentia dirigit in actionibus, quae non transeunt ad exteriorem materiam, sed sunt perfectiones agentis, unde dicitur prudentia recta ratio agibilium. Ars vero dirigit in factionibus, quae in materiam exteriorem transeunt sicut *aedificare* et *secare:* unde dicitur, quod ars est recta ratio factibilium“ [1].

130. Varii status, qui in mente actuatis facultatibus cognoscitivis efficiuntur. Attendendum est, ut ait Aquinas, actus rationis aliquo modo actibus naturae similes esse. In actibus autem naturae triplex diversitas invenitur. In quibusdam enim rebus natura necessario agit, ut deficere non possit. In aliis ut plurimum certum agendi modum sequitur, ita tamen, ut nonnumquam deficere possit; unde in his duplicem actum distinguere possumus, unum, qui ex more et recto ordine proveniat, alterum a more et ordine conveniente deficientem. Et haec tria etiam in actibus rationis inveniuntur. Est enim aliquis rationis processus necessitatem inducens, in quo defectus virtutis esse non potest, et per huius rationis processum scientiae certitudo acquiritur. Est autem alius processus rationis, in quo ut plurimum quidem verum includitur, neque is tamen necessitatem habet. Et in hoc secundo processu rationis, qui non est cum perfecta certitudine, gradus aliquis invenitur, secundum quod magis et minus ad perfectam certitudinem acceditur. Tertius autem rationis processus est, in quo ratio a vero deficit propter defectum alicuius principii, quod in ratiocinando observandum erat [2].

Itaque certitudo est status mentis firmiter adhaerentis ad veritatem cognitam propter motiva, quae omnem errandi formidinem excludunt.

---

[1] S. Thom. in l. 1 metaph. lect. 1. [2] S. Thom. in l. 1 anal. post. lect. 1.

Ab hac subiectiva certitudine certitudinem obiectivam distinguunt, quae nihil aliud est quam ipsa veritas cognita ad se trahens firmum mentis assensum.

Opinio est adhaesio mentis uni parti contradictionis cum formidine oppositae. Probabilitas, quae est causa opinionis, est accessus iudicii ad veritatem et certitudinem. Fides vi huius vocis latissime accepta est assensus, ut est imperatus a voluntate.

Dubitatio est status mentis ad neutram contradictionis partem declinantis propter errandi formidinem.

Ignorantia est carentia cognitionis in subiecto ipsius cognitionis capaci.

Error est discrepantia inter id, quod mens iudicat, et rem, de qua iudicatur.

Atque haec hoc loco satis de facultatibus cognoscitivis ipsis. Sed ne illud quidem alienum est, de earum habitudine dicere ad facultates appetitivas. Tanta est enim inter appetitum et cognitionem colligatio, ut de cognitione recte instituenda dici vix possit, nisi illa habitudo attendatur.

§ 5.

De facultatum cognoscitivarum ad appetitivas habitudine.

131. **Appetitus naturalis et cognoscitivus.** Res omnis, quae tanquam actionis principium in se subsistit, appetitu regitur, quo quaerit, quod sibi conveniens est. Appetitum definiunt „inclinationem rei et ordinem ad aliquam rem sibi convenientem“ [1]. Is appetitus, quatenus ab ipsa rei constitutione determinatus est, naturalis vocatur. Immo unaquaeque potentia sive facultas naturam rei eo imitatur, quod appetit obiectum sibi conveniens, atque ita naturalem inclinationem in aliquid habet, quatenus congruens est ad actum huius vel illius potentiae, ut *oculus* appetit videre et *aures* audire quasi volunt [2]. At appetitus, qui simpliciter naturalis vocatur, ad id ducit, quod est congruens et aptum naturae totius sive toti substantiae.

In iis autem substantiis, quae destinatae sunt, ut ad finem suum cum aliqua finis fruitione perveniant, sive perfecta, ut homines, sive imperfecta, ut animalia irrationalia, appetitus ille a natura proveniens magnam partem indeterminatus est. Et datae sunt his substantiis potentiae cognoscitivae, quibus determinationes ad ap-

[1] S. Thom., Quaest. disput. q. 25 de verit. a. 1.

[2] S. Thom., Summ. theol. I. q. 80 a. 1 ad 3.

petendum necessarias operatione propria sibi acquirant atque per operationem cognoscitivam et finem et seipsas aliquo modo experiantur, sicque actiones suas non solum exequantur, sed etiam sibi ipsae imperent. „In habentibus cognitionem sic determinatur unumquodque ad proprium Esse naturale per formam naturalem, quod tamen est receptivum specierum aliarum rerum; sicut sensus recipit species omnium sensibilium, et intellectus omnium intelligibilium. Et sic anima hominis fit omnia quodam modo secundum sensum et intellectum, in quo cognitionem habentia ad Dei similitudinem quodam modo appropinquant, in quo omnia praeexistunt. Sicut igitur formae altiori modo existunt in habentibus cognitionem supra modum formarum naturalium, ita oportet, quod in eis sit inclinatio supra modum inclinationis naturalis, quae dicitur appetitus naturalis. Et haec superior inclinatio pertinet ad vim animae appetitivam, per quam animal appetere potest ea, quae apprehendit, et non solum ea, ad quae inclinatur ex forma naturali.“ [1]

132. **Appetitus cognoscitivus in homine duplex** distinguitur: alter ad naturam sensitivam pertinens, qui sequitur apprehensa per sensum, alter naturae rationalis proprius, qui circa apprehensa per intellectum versatur. Appetitus sensitivi sive sensualitatis obiectum est id, quod naturae sensuali congruens est et per cognitionem a natura determinatam cognoscitur. Appetitus autem rationalis sive voluntas per se in id tendit, quod naturam rationalem respicit. (Est quidem voluntas etiam motrix universalis facultatum omnium; atque ita respicit obiectum facultatum omnium, ita ut etiam bona sensibilia appetat, ut sunt bona hominis.) Quum autem intellectus omnia sub ratione entis vel veri generatim consideret, obiectum voluntatis est bonum in genere, cuius pars princeps est bonum honestum sive ordinis. Ex quo consequens est, ut voluntas ex se illud libere determinare possit, quod sub ratione boni appetere velit.

Et in hac libera se determinandi potestate discrimen maxime est positum, quo volitio differt ab appetitione sensitiva, quae omni impetu ad voluptatem fertur. „Natura sensitiva in se ipsa habet quidem aliquod inclinans, scilicet appetibile apprehensum; sed tamen inclinatio ipsa non est in potestate ipsius animalis, quod inclinatur, sed est ei aliunde determinata. Animal enim ad aspectum delectabilis non potest non concupiscere illud; quia illa ani-

[1] S. Thom., Summ. theol. I. q. 80 a. 4. Cfr. Quaest. disput. q. 15 de verit. a. 5; 3 dist. 27 q. 1 a. 2.

malia non habent dominium suae inclinationis. . . . Sed natura rationalis non habet solum inclinationem in aliquid, sicut habent inanimata; nec est solum movens hanc inclinationem, quasi aliunde sibi determinatam, sicut natura sensibilis; sed ultra hoc habet in potestate ipsam inclinationem, ut non sit ei necessarium inclinari ad appetibile apprehensum, sed possit inclinari vel non inclinari; et sic ipsa inclinatio non determinatur ei ab alio, sed a seipsa . . . quod autem aliquid determinet sibi inclinationem in finem, non potest contingere, nisi cognoscat finem et habitudinem finis in ea, quae sunt ad finem, quod est tantum rationis." [1]

133. **Dependentia cognitionis a voluntate.** Quaestio hoc loco omitti non potest, qua quaeritur, quomodo motus partis appetitivae se habeant ad operationes cognoscitivas. Imprimis certum est, actus cognoscitivos per se ad potentias appetitivas referri non posse. Nam cognitio verum spectat eoque efficitur, quod res cognitae in cognoscente sunt; contra actus appetitivae virtutis, quum in bonum feratur, dicit ordinem appetentis ad rem [2].

Nihilominus cognitio aliquo modo ab appetitiva parte dependet. Et primo quidem voluntatem quod attinet, intellectus aliquo modo movet voluntatem et aliquo modo voluntas movet intellectum et alias vires, quae hominis arbitrio subsunt. Potest enim aliquod movere dupliciter: Uno modo, ut finis cognitus movet efficientem, et hoc modo intellectus voluntatem movet, quatenus praeconcipit rationem finis et eam voluntati proponit. Alio modo per modum agentis, sicut impellens movet impulsum; et movere per hunc modum est voluntatis et non intellectus, ut is potentia specialis est. Nam illa facultas movet, quae inclinat; sed actus voluntatis est quaedam inclinatio in aliquid, non autem actus intellectus. Deinde in omnibus potentiis activis ordinatis illa potentia, quae respicit finem universalem, movet potentias, quae respiciunt fines particulares, sicut rex, qui intendit bonum commune, movet per mandata singulos praepositos. Obiectum autem voluntatis est bonum et finis in communi pro re tota; contra unaquaeque ex potentiis reliquis comparatur solum ad bonum proprium sibi conveniens, sicut *visus* ad perceptionem coloris et *intellectus* ad cognitionem veri.

Etsi igitur quaelibet potentia aliquem habet finem, qui est bonum ipsius, non tamen quaelibet potentia respicit ad rationem

---

[1] S. Thom., Quaest. disput. q. 22 de verit. a. 4.

[2] S. Thom., Summ. theol. I. q. 60 a. 2.

boni ut bonum est, sed sola voluntas. Et inde est, quod voluntas omnes alias vires ad suos actus applicat, quia ex intentione boni sive finis omnis motus inchoatur[1]. ‚Verum' eo, quod est obiectum intellectus, est etiam eius bonum; et quatenus est bonum, est obiectum voluntatis. Unde proposito satis intellectui obiecto, ipsa ratio speculativa applicatur ad opus intelligendi vel iudicandi a voluntate[2]. Itaque voluntas intellectum movet, quantum ad exercitium actus: quia et ipsum verum, quod est perfectio intellectus, continetur sub universali bono ut quoddam bonum particulare. Hoc modo „voluntas omnem potentiam applicat ad suum actum; intelligimus enim, quia volumus; imaginamur, quia volumus, et sic de aliis; et hoc habet, quia obiectum est eius finis“[3]. Sed quantum ad determinationem formalem sive specificationem actus, quae est ex parte obiecti, intellectus movet voluntatem, quia et ipsum bonum apprehenditur secundum quandam specialem rationem comprehensam sub universali ratione veri[4].

Igitur alio respectu voluntas altior est, alio respectu intellectus. Unde apparet ratio, ob quam hae duae potentiae suis actibus intime inter se includunt, quia intellectus intelligit voluntatem velle, et voluntas vult intellectum intelligere. Et simili ratione bonum continetur sub vero, quum sit quoddam verum intellectum, et verum continetur sub bono, quum sit quoddam bonum desideratum[5]. Et in hoc quidem negotio intellectum assentire, voluntatem consentire dicunt.

134. Vis voluntatis in cognitionem ex se obscuram. Facile perspicitur, intellectum a voluntate moveri posse, ut veritati, cuius rationes sive immediate sive mediate habeat perspectas, firmius assentiatur. Sed praeterea voluntas intellectum, ut assentiatur, movere potest etiam ad aliquid, quod neque per se ipsum videtur, neque in ea, quae per se videntur, resolvi potest, ex hoc (ut est apud Aquinatem), quod dignum reputat illi esse adhaerendum propter aliquam rationem, qua bonum videtur ei, illi rei adhaerere; quamvis illa ratio ad intellectum terminandum non sufficiat propter imbecillitatem intellectus, qui non videt per se hoc, cui assentiendum ratio iudicat, neque ipsum ad principia per se nota resolvere

---

[1] S. Thom., Quaest. disput. q. 14 de verit. a. 2 ad 6.

[2] S. Thom., Summ. theol. I. II. q. 16 a. 1 ad 3.

[3] Summ. c. gent. l. 1 c. 72.

[4] S. Thom., Summ. theol. I. II. q. 9 a. 1.

[5] S. Thom., Summ. theol. I. q. 82 a. 4; Quaest. disput. q. 22 de verit. a. 12.

valet; et hoc Assentire proprie vocatur Credere. „Unde et fides captivare dicitur intellectum, in quantum non secundum proprium motum ad aliquid determinatur, sed secundum imperium voluntatis, et sic in credente ratio per se intellectum non terminat, sed mediante voluntate.“

„Quando vero ratio, quae movet in alteram partem, neque sufficit ad intellectum terminandum, quia non resolvit conclusiones in principia per se nota, neque sufficit ad voluntatem terminandam, ut bonum videatur illi parti adhaerere, tunc homo opinatur illud, cui adhaeret, et non terminatur intellectus ad unum, quia semper remanet motus ad contrarium: accipit enim unam partem cum formidine alterius; et ideo opinans non assentit.“

„Quando vero homo non habet rationem ad alteram partem magis, quam ad alteram; vel quia ad neutram habet, quod nescientis est, vel quia ad utramque habet, sed aequalem, quod dubitantis est; tunc nullo modo assentit, quum nullo modo determinetur eius iudicium, sed aequaliter se habet ad diversas.“

„Patet ergo ex praedictis, quod ‚cum assensione cogitare‘ separat credentem ab omnibus aliis. Quum enim cogitatio discursum rationis importet, intelligens assensum sine cogitatione (i. e. sine discursu) habet, quia intellectus principiorum est, quae quisque statim probat audita. Sciens autem et assensum et cogitationem habet, sed non cogitationem cum assensu, sed cogitationem ante assensum: quia ratio ad intellectum resolvendo perducit. Credens autem habet assensum simul et cogitationem; quia intellectus (directe quoad rem creditam) ad principia per se nota non perducitur; unde, quantum est in se, adhuc habet motum ad diversa; sed ab extrinseco determinatur ad unum, scilicet ex voluntate. Opinans autem habet cogitationem sine assensu perfecto; sed habet aliquid assensus, in quantum adhaeret uni magis quam alii. Dubitans autem nihil habet de assensu, sed habet cogitationem. Nesciens autem neque assensum, neque cogitationem habet.“ [1]

Scholion 1. Fides credentis, quamvis cogitationem sive discursum ut fulcrum internum non involvat, tamen ut rationabilis sit et certa, cogitationes certas ut fulcrum externum omnino praerequirit. Quis enim non videt, voluntatem bonitate motam prius non posse rationabiliter intellectui assensum imperare, quam cognitiones verae et certae sint habitae? Potest voluntas assensum intellectui imperare, ut assentiat dictis hominis superioris et honesti ex

---

[1] S. Thom., 3 dist. 23 q. 2 a. 2.

pietate et devotione erga illum hominem, quia videlicet honestate actus movetur, quo tali homini obsequium fidei praestatur. Sed antea cum plena certitudine a ratione perceptum esse debet, hominem illum hoc illudve revera dixisse, eumque omnino veracem esse.

Scholion 2. Ex iis, quae diximus, intelligitur, actus rationis quoad exercitium semper a voluntate imperari posse, sicut quum alicui praecipitur, ut attendat utaturque ratione. Quoad specificationem autem, quae ex obiecto procedit, illi quidem actus imperari non possunt, quibus intellectus veritatem clare apprehendit. Quodsi apprehensa intellectum non omnino convincunt, assensus vel dissensus his praestandus in nostra potestate est positus et sub imperio cadit[1].

135. Dependentia cognitionis ab appetitu sensitivo sive sensualitate. Observandum est imprimis, in appetitu sensitivo concupiscibilem vim et irascibilem distinguendas esse. Concupiscibili animal simpliciter inclinatur ad ea prosequenda, quae secundum sensum congruentia sunt, et ad fugiendum incommoda. Irascibili intrinsecus stimulatur animal ad insurgendum contra ea, quae congruentia impugnant, vel incommoda inferunt; unde irascibilis obiectum arduum esse dicitur[2].

Observandum porro est, appetitum sensitivum eo differre ab appetitu intellectivo, quod sit virtus organi corporalis. Omnis enim actus virtutis utentis organo corporali dependet non solum ex potentia animae, sed etiam ex corporalis organi dispositione, sicut visio ex potentia visiva et qualitate oculi, qua iuvatur aut impeditur. Atque ita etiam actus appetitus sensitivi ex dispositione corporis dependet[3].

Hic igitur appetitus sensitivus per se quidem destinatus est, ut rationi obediat; id quod quilibet in seipso experiri potest; applicando enim aliquas universales considerationes mitigatur ira vel timor vel alius appetitus, vel etiam instigatur[4]. Is autem rationis supra appetitum sensitivum principatus politico potius quam despotico imperio comparari potest. Experimur enim, irascibilem vel concupiscibilem rationi repugnare eo, quod sentimus vel imaginamur aliquid delectabile, quod ratio vetat, vel triste, quod ratio praecipit. Unde apparet, appetitum sensitivum ex natura sua non solum iudicio regi, sed etiam ab imaginatione et sensu; qua ex re aliquid proprium nanciscitur, quo imperio rationis

[1] S. Thom., Summ. theol. I. II. q. 17 a. 6.
[2] S. Thom., Summ. theol. I. q. 81 a. 2.
[3] S. Thom., Summ. theol. I. II. q. 17 a. 7.
[4] S. Thom., Summ. theol. I. q. 81 a. 3.

reniti possit[1]. Quum igitur voluntas non solum a bono universali per rationem apprehenso moveatur, sed etiam a bono moveri possit, in quod tamquam a sensu vel imaginativa propositum fertur appetitus sensitivus, facile videmus fieri posse, ut irascibilis et concupiscibilis voluntatem secum trahant et interveniente voluntate etiam aliquid in parte cognoscitiva efficiant[2]. Quum porro omnes vires sensitivae, utpote actus organorum corporalium, per accidens moveri possint variis rebus externis materialibus, sequitur, vim harum rerum indirecte in vires cognoscitivas redundare posse eo modo, quo supra diximus[3].

CAPUT QUARTUM.

Praenotiones methodicae.

136. **Certus inquirendae veritatis modus praescribendus.** Mirum est, ut post Aristotelem monet Aquinas, quot quamque diversos modos homines acceptent; incredibile est, quanta sit in cognitionis negotio consuetudinis efficacia. „Ea enim, quae sunt consueta, libentius audiuntur et facilius recipiuntur. Dignum enim videtur nobis, ut ita dicatur de quocunque, sicut consuevimus audire. Et si qua dicantur nobis praeter ea, quae consuevimus audire, non videntur nobis similia in veritate his, quae consuevimus audire. Sed videntur nobis minus nota et magis extranea a ratione propter hoc, quod sunt inconsueta. Illud enim, quod est consuetum, est nobis magis notum; cuius ratio est, quia consuetudo vertitur in naturam; unde et habitus ex consuetudine generatur, qui inclinat per modum naturae. Ex hoc autem, quod aliquis habet talem naturam vel talem habitum, habet proportionem determinatam ad hoc vel illud. Requiritur autem ad quamlibet cognitionem determinata proportio cognoscentis ad cognoscibile. Et ideo secundum diversitatem naturarum et habituum accidit diversitas circa cognitionem.“ . . . Ita inter alia „leges ab hominibus positae ostendunt per experientiam, quantam vim habeat consuetudo, in quibus propter consuetudinem magis valent fabulariter et pueriliter dicta ad hoc, quod eis assentiatur, quam cognitio veritatis“.

---

[1] S. Thom., Summ. theol. I. q. 81 a. 5.

[2] S. Thom., Summ. theol. I. II. q. 9 a. 2, q. 10 a. 3; Quaest. disput. q. 6 de malo a. un.

[3] S. Thom., Summ. theol. I. II. q. 9 a. 5.

Sed non solum in hominibus consuetudo, quae reperitur, diversa est; verum etiam ipsa facultas cognoscitiva hominibus a natura data, quum in singulis hominibus diversa admodum ratione a sua perfectione deficiat, permagnam diversitatem habet.

Ex hac igitur diversitate sive consuetudinis sive naturalis dispositionis efficitur mirabilis illa in acceptanda veritate diversitas. „Quidam non recipiunt, quod eis dicitur, nisi dicatur eis per modum mathematicum. Et hoc quidem contingit propter consuetudinem his, qui in mathematicis sunt nutriti. . . . Et potest hoc quibusdam contingere propter indispositionem; illis scilicet, qui sunt fortis imaginationis, non habentes intellectum multum elevatum. Alii vero sunt, qui nihil volunt recipere, nisi proponatur eis aliquod exemplum sensibile; vel propter consuetudinem, vel propter dominium sensitivae virtutis in eis et debilitatem intellectus. Quidam vero sunt, qui nihil reputent esse dignum, ut aliquid eis inducatur absque testimonio poëtae vel alicuius auctoris. Et hoc etiam est vel propter consuetudinem, vel propter defectum iudicii, quia non possunt diiudicare, utrum ratio per certitudinem concludat. Et ideo quasi non credentes suo iudicio, requirunt iudicium alicuius noti. Sunt etiam aliqui, qui omnia volunt sibi dici per certitudinem, i. e. per diligentem inquisitionem rationis. Et hoc contingit propter bonitatem intellectus iudicantis et rationes inquirentis; dummodo non quaeratur certitudo in his, in quibus certitudo esse non potest. Quidam vero sunt, qui tristantur, si quid per certitudinem cum diligenti discussione inquiratur. Quod quidem potest contingere dupliciter. Uno modo propter impotentiam complectendi; habent enim debilem rationem, unde non sufficiunt ad considerandum ordinem complexionis priorum et posteriorum. Alio modo propter micrologiam, i. e. parvorum ratiocinationem. Cuius similitudo quaedam est in certitudinali inquisitione, quae nihil indiscussum relinquit usque ad minima. Imaginatur autem quidam, quod sicut in symbolis conviviorum non pertinet ad liberalitatem, quod debeant etiam minima computari, ita etiam sit quaedam importunitas et illiberalitas, si homo velit circa cognitionem veritatis etiam minima discutere. . . .

Quia ergo diversi secundum diversos modos veritatem inquirunt, ideo oportet, quod homo instruatur, per quem modum in singulis scientiis sint recipienda ea, quae dicuntur. Et quia non est facile, quod homo simul duo capiat, sed dum ad duo attendit, neutrum capere potest, absurdum est, quod homo simul quaerat scientiam et modum, qui convenit scientiae. Et propter hoc debet

prius addiscere logicam quam alias scientias; quia logica tradit communem modum procedendi in aliis scientiis. Modus autem proprius singularium scientiarum in scientiis singulis circa principium tradi debet.“ [1]

Possunt autem ea, quae de communi modo procedendi praecipienda sunt, spectari ratione duplici. Primo ratione habita facilioris artis tantum et prudentiae, secundo per scientiam sive inquisitionem profundiorem. Quae in priore genere constituenda sunt, quum intellectu faciliora sint, tum sunt incipientibus summopere necessaria. Haec igitur in hoc propaedeuticae libro proponimus. Alterum praeceptorum genus, quod magis habet rationem scientiae et pars est ipsius philosophiae, scientiae, quam logicam vocant, relinquendum est.

Has igitur praenotiones methodicas vocamus, quia praecepta exhibent, quae ad methodum spectant. Methodus generatim est via sive agendi ratio ad aliquem finem obtinendum necessaria. Quum autem de cognitione veritatis agitur, methodus viam indicat et rationem, qua ad cognitionem veritatis perveniamus. Et triplex quidem notio huic voci subiici potest. Primo complexum omnium praeceptorum significat, quae utcumque ad viam inquirendae veritatis spectant, sive ratione prudentiae et artis, sive per inquisitionem scientificam. Secundo coarctatur vocabulum ad indicandum complexum praeceptorum, quae dantur ex arte tantum et prudentia, quibus animus incipientis ad recte philosophandum disponatur, ita ut scientiam logicam ingrediens non omni tractandarum rerum peritia et habilitate careat. Tertio voce methodi eam partem logicae significant, quae post traditam doctrinam de ratiocinio communiora docet, et accuratius investigat, qua ratione singulae mentis operationes ad acquirendam veritatem disponendae sint.

Ut autem modus doceatur, quo in veritatis inquisitione procedendum sit, sapienter hoc loco a multis antiquis doctoribus de tribus quos vocant „modis sciendi“ quaedam praecepta data sunt. Nam his rebus cognitis facilius et expeditius praecepta logicae accuratiora ab incipientibus intelligi poterunt. „Logica, ut est apud Sylv. Maurum, est instrumentum scientiae, et ideo ad omnem scientiam perfecte acquirendam requiritur eo modo, quo malleus est instrumentum artis fabrilis et ad facienda opera eius artis requiritur. Sicut autem ex alia parte malleus perfectus est etiam iam opus artis fabrilis, quod effici non potest, nisi per adhibitum alium malleum saltem imperfectum, ita perfecta logica scientia est, quae comparari non potest, nisi adhibita altera ‚logica‘ imperfecta.“ [2]

---

[1] S. Thom. in l. 2 metaph. lect. 5. Arist. l. 2 (1) c. 3, 995 a.

[2] Quaest. philosophicae. Prooem. c. 1.

§ 1.

De modis sciendi generatim acceptis.

137. **Quid sit modus sciendi.** Illum rem aliquam scire diximus, qui hanc aliter se habere non posse perspicit eo, quod rem per sui causam sive per rationem ab ipsius natura petitam cognoscit. Et quidquid ad comparandam huiusmodi cognitionem iuvat, ut *logica, methodus,* diligens eventuum *observatio,* modus sciendi dici potest. Quae est notio vocis latissima. Vi vocis arctissime accepta sola demonstratio modus sciendi nominatur, quia homo pro sui ingenii conditione naturali ad eam de rebus scientiam, quam tandem queat adipisci et debeat, per solam demonstrationem progreditur, unde etiam scientiam „cognitionem demonstratione acquisitam" definire solent. Inter has media est vocis acceptio, qua modus sciendi dicitur id, quo efficitur clarior rerum notitia. Quae quidem significatio maxime in usu est posita; atque ita modus sciendi definitur: oratio ex se ignotum quidpiam manifestans. In qua definitione orationem vocamus sermonem ex duabus vel compluribus vocibus compositum. Definiri quoque potest oratio, quae vi sua veritatem magis aperit, nosque in ea cognoscenda certiores facit; vel etiam oratio, quae vim habet ex se manifestandi veritatem et convincendi intellectum.

Itaque ut modus sciendi sit, manifestatio debet fieri per modum orationis, nec satis est, ut fiat per modum signi cuiuslibet. Et de manifestatione propria, quam doctrinalem vocant, agitur, qua rem obscuram explano, aliquid adducens ut rei causam, unde ipsa res notior fit. Nec igitur satis est manifestatio historica, qua factum dumtaxat enuntiatur.

Accidere quidem potest, ut ei, qui rem iam clare noverit, res per definitionem iam non „manifestetur" vel manifestior fiat. Sed observandum est id, quod communiter docent dialectici, non oportere, ut verba in definitione actum dicant, sed satis esse, ut dicant aptitudinem.

138. **Modi sciendi tres:** definitio, divisio, argumentatio. Quum iam Socrates in ea re operam suam collocasset, ut ex multorum hominum in iudicando uniformitate certas rerum definitiones exploraret, a Platone definitio (ὁρίζεσθαι) et divisio (διαίρεσις, κατ' εἴδη διατέμνειν) ut partes dialecticae principes sunt statutae[1]. Sicut definitio indicat notas, quas essentia in re comprehendit, ita divisio indicat multiplicitatem sive res, ad quas conceptus sese extendit. De argumentatione non satis definite locutus Plato, id omne

[1] Phaedr. p. 265 sqq.

συλλογισμόν vel συλλογίζεσθαι vocavit, quo ex multis sumptis rebus ad cognoscendam aliam universaliorem perveniri posset[1]. Primus maxima cum accuratione de argumentatione praecepit Aristoteles; Plato enim, quum in acquirenda scientia a singularibus ad universalia ascendendum esse doceret, et ab universalibus iterum descendendum ad singularia, prius per abstractionem vel definitionem fieri dixit, alterum per divisionem. Sed Aristoteles his rebus non contentus, ostendere est conatus, ascensum illum et descensum sine argumentatione inductiva et deductiva satis commode et certo fieri non posse[2]. Praeterea sicut extensio et comprehensio ipsius essentiae cognosceretur divisione et definitione, ita argumentatione cognosci posse proprietates essentiae declaravit.

Et recte quidem haec de tribus sciendi modis doctrina in schola retenta est. Nam tot sunt modi sciendi, quot sunt ignota in rebus, quae explanari et illustrari possunt. Atqui eius generis tria sunt. Ergo tres sunt modi sciendi. Eius enim generis explanatio et illustratio desiderari potest primo quoad essentiam rei, sive quid sit, et haec definitione obtinetur; deinde quoad partes rei, sive quotuplex sit, et partes divisio indicat; tertio quoad rei proprietates, sive quid rei competat, et argumentatio ad cognoscendas rei proprietates deducit.

Scholion. Si quaeratur, ad quam mentis operationem singuli hi sciendi modi pertineant, imprimis argumentationem certum est esse trahendam ad ratiocinationem, quae est tertia mentis operatio. Definitio autem et divisio per se ad apprehensionem spectant, quae prima est. Nam definitio est ipsa res definita clarius manifestata; et divisio est distincta apprehensio partium in seipsis conceptarum. Si igitur dicis: *Homo est animal rationale,* non est definitio, sed propositio, in qua definitio de definito praedicatur. Et si dico: *Animal est aut homo aut bestia,* non est divisio, sed propositio, in qua divisio praedicatur de diviso. Interdum tamen tota illa propositio, in qua definitio de definito, vel divisio de diviso praedicatur, definitio vel divisio vocatur. Id tamen minus recte. „Non contigit praedicari, nisi in propositione, inquit Toletus; at definitio non est propositio.“[3] Sed „licet definitio in se non sit propositio in actu, est tamen in virtute; quia cognita definitione apparet, definitionem de subiecto vere praedicari“[4].

§ 2.

De definitione.

139. **Quid sit definitio** (ὁρισμός). Definitionem in scientia, si vim vocis latius accipias, omnem determinationem vocant, quae, ut ait

[1] Theaet. 186 D. Phileb. 41 C. [2] L. 1 anal. prim. c. 31, 46 a, 31.
[3] In log. Arist. l. 2 post. anal. f. 215.
[4] S. Thom. in l. 1 anal. post. lect. 5.

Tullius, „quasi involutum evolvit id, de quo quaeritur“ [1], vel etiam „orationem eam, quae quid sit id, de quo agitur, ostendit quam brevissime“ [2]. Si igitur de aliqua re instituitur quaestio, imprimis diligenter definiendum esse id, quid quaeratur, nemo non videt. Atque ita ille, quem statum quaestionis vocant, qui susceptae disputationis vim statuit et limites, definitio dici potest, eaque in rebus philosophicis summopere necessaria est.

Vi tamen vocis propria et usitata definitio est oratio, quae alicuius rei notionem vel essentiam completam breviter explicat. Oratio esse debet, quia vox una exprimit rem confuse tantum; unde „unum nomen non potest esse definitio, ut dicit Aquinas, quia definitio oportet, quod distincte notificet principia rerum ad essentiam rei constituendam; alias autem definitio non sufficienter manifestat essentiam rei“ [3].

Scholion 1. Definitio dicitur esse cognitionis terminus; incipit enim cognitio rei ab aliquibus signis exterioribus, quibus pervenitur ad cognoscendam rei definitionem, quo quum perventum fuerit, habetur perfecta cognitio de re. Vel dicitur terminus cognitionis, quia intra ipsum continentur ea, per quae scitur res [4].

Scholion 2. Id quod definitione explicatur, definitum dicunt. Quum definitio semper sit oratio, sive compositum quid ex pluribus verbis, definitum vel simplici termino exhiberi potest, velut *„homo“*, vel oratione, velut *„non moveri fortuitis“*.

Scholion 3. Ante semper videndum et clare indicandum est, quam rem in mente habeamus, cuius definitionem dare vel inquirere velimus. Unde nomen aequivocum velut *canis* ut sidus, et canis ut animal definiendum non est, nisi prius secundum varias suas significationes distinguatur; nam plura significat, quae diverso modo definiri debent.

140. Definitio nominalis (λόγος ὀνοματώδης). Etsi definitio omnis realis est, quia est aliqua alicuius rei secundum conceptum explicatio, tamen res significatas a vocibus significantibus distinguentes, inter definitionem nominalem et realem distinguere possumus [5].

Itaque definitio nominalis, de qua nunc dicendum, est oratio explicans, quidnam aliquo nomine significetur; vel est oratio, qua res nomine significata determinatur. Quam ob rem potius est interpretatio quam definitio; non enim declarat ipsam rem, sed relationem, quae instituta est inter rem et illius rei nomen.

---

[1] Topic. c. 2. [2] Orat. c. 33.

[3] Cfr. Arist. l. 7 (6) metaph. c. 10, 1034 b, 20.

[4] S. Thom. in l. 5 met. lect. 22.

[5] Ὁ ὁριζόμενος δείκνυσιν ἢ τί ἐστιν ἢ τί σημαίνει τοὔνομα. Arist. l. 2 anal. post. c. 7, 92 b, 26.

Triplici ratione definitio nominis institui potest; primo per etymologiam eruendo vim vocis ex eius origine; deinde adhibita voce alia, quae clarior notiorque est; tertio describendo utcunque vocibus notis rem ignoto vocabulo significatam.

Duplex distinguitur definitio nominis: communis et privata. Communis est, quum explicat, quid vox ex usu intelligentiaque communi significet. Privata sive arbitraria ea est, qua quis declarat, quid ipse aliqua voce significari velit.

Quae quidem definitio privata auctoritate suscepta in componendis controversiis magno usui esse potest, quandoquidem haud raro lites vocibus vagis et ambiguis aguntur. In quo tamen usu observandum est 1°, non licere proponere definitionem arbitrariam vocis, cuius significatio clara est et ab omnibus recepta; 2° in vocibus significationis dubiae eam esse debere definitionem hanc, quae ne ab adversario quidem iusto iure reiici possit; 3° illi, qui definitionem privatam dederit, in definitione semel data firmiter perstandum esse.

141. **Definitio realis** (ὅρος πραγματώδης) non nomen, sed rem nomine significatam explanat; unde est oratio explicans, quid ipsa res sit. Duplex distinguitur: descriptiva altera, altera essentialis.

Definitio descriptiva est, quae explicat rem indicando ea, quae rei inesse, neque tamen ad essentiam rei pertinere cernuntur.

Adhibetur ea a poëtis et oratoribus, velut quum describitur a VIRGILIO:

Fama: malum, quo non aliud velocius ullum
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.

Adhibetur quoque, quum res singularis explicanda est hoc modo: *PLATO est homo quidam, ARISTONIS filius, Academiae veteris princeps;* vel: *Vienna est primaria urbs Austriae.* Et a philosophis usurpatur, quamdiu de essentia alicuius rei nondum constat. Ea esse potest attributiva, causalis, physica. Si est attributiva, aut accidentalis esse potest, aut propria.

Definitio descriptiva appellatur accidentalis, quae rem explicat indicando accidentia, quae etsi divisim sumpta etiam aliis rebus convenire possunt, tamen coniuncta inter se et collecta in sola re definienda reperiuntur; cuiusmodi est: *Homo est animal bipes implume.* — Propria esse dicitur descriptio, si rem explicat indicando proprietates, quas cum re ipsa essentialiter *coniunctas esse* apparet, velut quum quis *hominem* dicit *esse animal politicum vel verae eruditionis capax vel loquela praeditum.* — Causalis est descriptio, quae rem explicat indicando eius causas externas, efficientem dico, vel finalem, vel exemplarem, velut quum quis *hominem* dicit *substantiam factam ad vivendum rationaliter,* vel *vocem* definit *sonum animalis ore prolatum,* vel *horologium* dicit esse *machinam ad horas indicandas constructam,* vel (SPINOZAM sequens) dicit, *amorem esse laetitiam concomitante idea causae externae.* Et

finis praecipua in describendis rebus ratio est. Par enim est, ut dicit Aristoteles, universas a fine res appellare[1]. — Physica est descriptio, quae partes indicat, ex quibus inter se realiter diversis res componitur, ut quum *homo* definitur *substantia una ex corpore organico et anima intellectiva resultans.* Haec quidem definiendi ratio ad definitionem, quam mox essentialem dicturi sumus, proxime accedit. Quia autem solum elementa ad rem necessaria indicat, neque ipsam rem totam notionibus inter se complentibus effert, non est definitio essentialis simpliciter, sed secundum quid tantum.

Ad definitionem physicam illa definitio, quae dicitur genetica, revocari potest, quae rem explicat indicando eius propriam genesim sive productionem, qua res in sua essentia facta est, ut quum quis dicit, *eclipsim lunae defectum lucis esse, quem luna ex telluris inter lunam et solem interpositione patiatur;* vel *circulum* dicit esse *figuram planam, quae ex motu lineae rectae sese circum fixam sui extremitatem vertentis orta sit.*

Atque haec de definitione descriptiva satis; nunc de essentiali dicendum est, quae a logicis adhiberi solet, et ideo etiam „logica" vocatur. Definitio essentialis (οὐσιώδης) sive logica ea est, qua res tota sub respectibus diversis exprimitur; et primo quidem, ut secundum essentiam convenit cum aliis rebus, et deinde, ut secundum essentiam ab aliis diversa est. Id qui facit, rem secundum genus et differentiam considerare dicitur, velut quum quis hominem dicit esse *animal rationale.* Definitio logica maxime laudatur eo, quod exhibens una voce similitudines omnes, quibus res definienda cum aliis convenit, et altera voce exhibens dissimilitudinem ab omnibus aliis rebus, quibuscum confundi poterat, rem, de qua agitur, per conceptum maxime clarum ab omnibus aliis rebus secernit. De hac definitione plura erunt praecipienda in logica.

Scholion. Generatim definitiones hodie dividere solent 1° in existentiales et geneticas sive causales; 2° in nominales et reales; 3° in essentiales et attributivas sive accidentales sive declarationes distinguentes; 4° in effectas per analysim et per synthesim. Quibus accedunt descriptio, expositio, explicatio, quas omnes communi nomine „declarationis" comprehendunt[2].

142. **Praecepta ad bene definiendum.** Omnis bona definitio debet esse clara, brevis, reciproca.

Primo: Definitio definito sit clarior. Obscura enim obscuris efferre est in tenebras extinctam lucem inferre. Peccant

---

[1] L. 2 de an. c. 4, 416 b, 23; l. 3 eth. Nic. c. 10, 1115 b, 22.

[2] Ueberweg, System der Logik § 61.

contra hanc legem, qui voces adhibent obscuriores, inusitatas, non satis declaratas, vel voces vagas et indeterminatas, vel metaphoras ineptas, vel etiam, qui idem per idem explicant (διάλληλος τρόπος), vel qui definiunt a per b et deinde iterum b per a (in quo vitiosus „circulus in definiendo" cernitur), vel qui definiunt rem per eius negationem privationemve.

Secundo: Sit brevis, i. e. voces inutiles, vel supervacaneas ne contineat. Ea enim, quae praeter necessitatem in definitione ponuntur, mentem distrahunt et ab attentione eorum, quae sunt necessaria, avocant; id quod contra intentum per definitionem finem esse nemo non videt.

Tertio: Sit reciproca sive adaequata, i. e. toti et soli definito conveniat. Nam definitio debet esse res definita omnis et sola, clarius tantum explicata. Dignoscitur reciprocitas definitionis, si in propositione loco subiecti definiti praedicatum definiens et loco praedicati subiectum ita poni potest, ut veritas propositionis intacta maneat.

Scholion 1. His breviter constitutis satis intelligitur etiam, definitionem, quae per negationem fiat, rectam esse posse. Immo res, quae propter extremam perfectionem suam vel etiam imperfectionem cognosci in seipsis non possunt, vix aliter quam per negationem definiri possunt. Ita Deum definiunt negando omnes creaturarum imperfectiones. Et „primam materiam" negando eam esse substantiam vel accidens vel ullam rerum determinationem.

Scholion 2. Si definitio aut non est clarior definito, aut cum definito converti non potest, est nulla. Si quid autem in vocibus deest aut abundat, est definitio, sed mala. Vera aut falsa est definitio, quatenus cum definito coniungitur secundum rei conformitatem aut difformitatem.

Itaque generatim definitiones vituperandae sunt, si sint definito latiores angustioresve; si sint abundantes, si sint tautologicae (idem per idem); si procedant per circulum sive orbem, si adhibeant metaphoras.

Scholion 3. Ut exemplis id, quod diximus, illustretur, áliquas, quae falsae sunt definitiones vel minus rectae, indicamus: Homo est animal rationale album. — Logica est scientia docens leges logicas. — Virtus est vitium fugere. — Orator est vir bonus dicendi peritus. — Passio est aversa a recta ratione contra naturam animi commotio. — Gladius est res gestata manibus. — Homo est substantia, quae non est purus spiritus. — Dies est tempus constans horis viginti quattuor, et hora est pars diei quarta et vigesima. — Homo est mundus abbreviatus. — Nix est res candida. — Homo est arbor inversa. — Theologus est, qui de Deo loquitur. — Geometria est ratio metiendi terram. — Vocabulum est signum internas affectiones manifestans. — Homo est animal mortale. — Parallelae sunt lineae directionis aequalis, quae ubique inter se aequaliter distant. — Homo est animal bipes. — Littera est elementorum primum. — Prima sapientia est stultitia caruisse. — Homo est animal constans anima ra-

tionali. — Aqua est $H_2 O$. — Homo est illud, quod numerare novit. — Solidum est illud, quod tres dimensiones habet [1].

Scholion 4. Ea definitio vera erit et simul brevissima clarissimaque, quae sit per genus proximum et differentiam ultimam. Quod primo praeceptum est ab Aristotele [2]. Genere proximo significatur id, quod res cum rebus aliis specie diversis commune habet; differentia autem ultima id, quo res a rebus speciei diversas differt. Hanc differentiam primus „specificam" latine vocavit Boethius [3].

Scholion 5. Ex notione definitionis data satis intelligitur, non omnia definitione explicanda esse vel explicari posse [4]. Quum enim definitio ex indole sua sit explanatio rei vel vocis minus cognitae per voces resve magis cognitas, manifestum est, ante definitionem omnem esse res vocesque, quae per se manifestae, non egeant, ut et ipsae clarioribus rebus vel vocibus adductis definitione illustrentur. Potest quidem per accidens esse necessarium, ut eius generis notiones primitivae et clarissimae uni alterive magis declarentur. Sed talis declaratio ad descriptionem magis, quam ad definitionem proprie dictam revocanda est. Cuiusmodi sunt notiones entis, unitatis, possibilitatis, necessitatis, causalitatis, cognitionis, appetitionis atque etiam facta experientiae.

Certum est igitur in definitione rerum esse necesse, ut sistatur tandem in notionibus, quae per se sine ulla definitione satis clarae sint et perspicuae. Sicut in demonstrationibus oportet fieri reductionem in aliqua principia intellectui nota, ita etiam in investigando, quid sit unumquodque. „Alias utrobique in infinitum iretur et sic periret omnino scientia et cognitio rerum." [5]

143. Usus definitionis. Omnis, quae de aliqua re instituitur disputatio, a certa definitione proficisci debet, ut pateat, qua de re disputetur. Et praecipue in philosophia demonstrationes ita procedere videntur omnes, ut quid sit res, tamquam sua fundamenta ponant et sumant, velut mathematicae, quid sit monas, et quid sit impar, atque ceterae similiter [6]. Quid autem sit res, definitione edicitur [7].

---

[1] Alia exempla invenies apud Ueberweg, System der Logik § 62.

[2] Ὁ ὁρισμὸς ἐκ γένους καὶ διαφορῶν ἐστίν. (L. 1 top. c. 8, 103 b, 15.) Δεῖ γὰρ τὸ μὲν γένος ἀπὸ τῶν ἄλλων χωρίζειν, τὴν δὲ διαφορὰν ἀπό τινος τῶν ἐν τῷ αὐτῷ γένει. (L. 6 top. c. 3, 140 a, 27.) Δεῖ μὲν διὰ τοῦ γένους καὶ τῶν διαφορῶν ὁρίζεσθαι τὸν καλῶς ὁριζόμενον, ταῦτα δὲ τῶν ἁπλῶς γνωριμωτέρων καὶ προτέρων τοῦ εἴδους ἐστίν. (L. 6 top. c. 4, 141 b, 25.)

[3] Πᾶσα γὰρ εἰδοποιὸς διαφορὰ μετὰ τοῦ γένους εἶδος ποιεῖ. Aristot. l. 6 top. c. 6, 143 b, 8.

[4] Haec res iam a Platone observata est: Ἀδύνατον εἶναι ὁτιοῦν τῶν πρώτων ῥηθῆναι λόγῳ, οὐ γὰρ εἶναι αὐτῷ, ἀλλ' ἢ ὀνομάζεσθαι μόνον, ὄνομα γὰρ μόνον ἔχειν· τὰ δὲ ἐκ τούτων ἤδη ξυγκείμενα ὥσπερ αὐτὰ πέπλεκται, οὕτω καὶ ὀνόματα αὐτῶν ξυμπλακέντα λόγον γεγονέναι. (Theaet. p. 202.)

[5] S. Thom., Quaest. disp. q. 1 de verit. a. 1.

[6] Αἱ δ'ἀποδείξεις φαίνονται πᾶσαι ὑποτιθέμεναι καὶ λαμβάνουσαι τὸ τί ἐστι. Arist. l. 2 anal. post. c. 3, 90 b, 30.

[7] Ὁ ὁρισμὸς οὐσίας τις γνωρισμός. Ibid. 90 b, 16.

Neque tamen definitio omnis iam ab initio inquisitionis poni potest. Saepe enim numero accidit, ut definitio realis, quae sit perfecta, ex longiore demum inquisitione consequatur; et multis etiam rationibus probari necesse sit, rem revera iis notionibus constitui, quae in eius definitione ponuntur. Observandum est igitur, posse definitionem habere dotes omnes definitionis bonae, et tamen a ratione definitionis perfectae deficere. Perfectam dicimus definitionem, quae essentiam rei ea claritate, adaequatione, determinatione explicat, ad quam mens humana adhibitis omnibus sciendi instrumentis pervenire potest. Quae definitio nisi post accuratissimam rei in omnes partes disquisitionem non potest haberi. Unde hanc perfectam vocant finalem; a qua differt definitio initialis, quae initio inquisitionis ponitur, et inde mens per inquisitiones varias et ratiocinationes movetur ad acquirendam tandem definitionem perfectam tamquam finem motus et quasi quietem. In qua re definitio simili ratione se habet atque conceptus rei sive essentia, quam Aristoteles dicit esse cognitionis et principium et terminum[1]. Definitio, quae est perfecta, unius rei una tantum esse potest. „Si accipiatur definitio rei, quae complectitur totum Esse rei, secundum quod ex omnibus causis constituitur, quae est perfecta definitio, tunc unius rei non potest esse nisi una definitio.“[2]

144. De definitione annotatio historica. Primus certas rerum definitiones statuere in rebus ad mores spectantibus conatus est Socrates[3]. Quam definiendi industriam ad res omnes amplificavit Plato. Qui quum nulla certa definiendi praecepta darent, iam res per genus proximum et differentiam specificam definire solebant[4].

A Platone distinguitur ἡ οὐσία, τῆς οὐσίας ὁ λόγος, τὸ ὄνομα[5]. Ab Aristotele dicitur: ὁρισμός ἐστι λόγος τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων[6], ἐν ᾧ ἄρα μὴ ἐνέσται λόγῳ αὐτό, λέγοντι αὐτό, οὗτος ὁ λόγος τοῦ τί ἦν εἶναι ἑκάστῳ[7].

---

[1] L. 5 met. c. 17, 1022 a, 8. [2] S. Thom., 2 dist. 2, 7 q. 1 a 2 ad 9.

[3] Eam ob rem laudatur ab Aristotele l. 1 metaph. c. 5 et 6.

[4] Hac ratione a Platone in libro de republica definiuntur quattuor virtutes cardinales; in libro „Gorgias“ (p. 462) ars rhetorica. In dialogo „Euthyphron“ ὅσιον dicitur esse μέρος δικαίου, et quaeritur ποῖον μέρος; respondetur autem τὸ περὶ τὴν τῶν θεῶν θεραπείαν. A Socrate (Xenoph., Mem. III. 9, 8) φθόνος dicitur esse λύπη ἐπὶ ταῖς τῶν φίλων εὐπραξίαις. In libro „Theaetetus“ inter κοινόν distinguitur et διαφοράν vel διαφορότητα vel σημεῖον ᾧ τῶν ἁπάντων διαφέρει τὸ ἐρωτηθέν, velut quum ἥλιος dicitur esse τὸ λαμπρότατον τῶν κατ᾽ οὐρανὸν ἰόντων περὶ γῆν. Quae doctrina etiam in „Philebo“ reperitur (p. 12 et 13).

[5] De leg. p. 895. [6] L. 7 topic. c. 5, 154 a, 31.

[7] L. 6 met. c. 4, 1029 b, 21. Quo loco a definitione excludit accidentia et propria poscitque definitionem, quae etiamsi nomine non significat definitum, tamen secundum rem significat definiti essentialia. Cfr. S. Thom. in l. 7 lect. 3.

LEIBNIZIUS definitiones nominales distinguit, quae notas tantum rei ab aliis discernendae continent; et reales, ex quibus constet, rem esse possibilem [1].

At WOLFFIUS distinctionem duplicem ponens primo definitionem in nominalem et realem divisit; deinde in distinctionem essentialem et accidentalem. „Definitio, inquit, per quam patet, rem definitam esse possibilem, realis vocatur.“ [2] „Definitionem essentialem appello, in qua enumerantur essentialia, per quae definitum determinatur; accidentalem dico, in qua enumerantur vel attributa, vel quae per modum attributorum insunt modorum ac relationum possibilitates, quibus definitum determinatur.“ [3] In LEIBNIZII confusionem relapsus est KANT, quatenus definitionem nominalem sive accidentalem et realem sive essentialem tantum distinguit [4].

HERBART breviter quidem, sed eodem fere modo de definitione praecepit atque Peripatetici [5].

SCHLEIERMACHER de definitione reali obscure locutus, definitioni nominali negat ullam realitatem obiectivam subesse [6].

DROBISCH definitionem dicit esse iudicium, in quo notio illustranda sit subiectum, et genus proximum differentia determinatum sit praedicatum. Distinguit definitionem analyticam, qua alia notio in suas notas resolvatur, et syntheticam, qua ex notis pluribus notio una componatur [7].

§ 3.

De divisione.

145. Quid sit divisio. Divisio (διαίρεσις) est oratio totum quidpiam enumeratione partium explicans. Ea enim est humanae mentis imbecillitas, ut rem per partes extensam complicatamque secundum omnia, quae in se vel sub se habet, distincte simul percipere non possit. Quamobrem multum iuvat divisio, quo res facilius definiatur et firmius in mente retineatur, et facilius cum aliis communicetur, praecipue autem, quo ordinatius res multae in certas classes distribuantur.

Id quod dividendum est, totum appellatur, quatenus in eo tamquam in uno multa deprehendi possunt. Fundamentum sive principium divisionis illud est, quod in efficienda divisione attenditur, quod si ex ipsa re petitur, ea

---

[1] Acta erudit. 1684 p. 540. [2] Logik § 191.

[3] Logik § 192. [4] Logik, edit. IÄSCHE § 106.

[5] „Die Angabe des Inhalts eines Begriffes, indem sie ihn in seine Merkmale zugleich zerlegt und daraus zusammensetzt, ist seine Definition.“ Lehrbuch zur Einleitung in die Philosophie, § 41 sqq.

[6] „Die Nominaldefinitionen sind nichts anderes als ein Aggregat von Merkmalen, Merkmale aber sind nichts anderes als die in das allgemeine Bild aufgenommenen Resultate wahrnehmender Urtheile, durch welche in der That das innere Wesen des Dinges niemals ausgedrückt ist, sondern nur im Verhältnisse zu unseren organischen Functionen.“ Dial. § 266.

[7] Neue Darstellung der Logik, ed. 4 § 116 sqq.

res „divisione per se" dividi dicitur; si autem ex respectu aliquo accidentario vel externo trahitur, „divisio per accidens" vocatur. Nos de ea divisione potissimum dicimus, qua res per se sumpta dividitur.

Partes, in quas fit divisio, membra divisionis vel „membra dividentia" vocant; quae si iterum in partes ulteriores resolvuntur, subdivisio erit. Contra codivisio est, si alia divisio totius ex diverso principio instituitur. Divisio vocatur dichotomia aut trichotomia aut tetrachotomia aut polytomia, prout numerus membrorum varius est.

Divisio alia est nominis, rei alia; illa distinctio vocari solet, haec divisionis nomen retinet. Distinctio igitur est enumeratio notionum, quae vocabulo aequivoco subesse possunt. Et quia, sicut voces, ita etiam sententiae ambiguae sunt, sententiae simili ratione distingui possunt, immo saepe debent. Divisio rei est oratio explicans rem enumeratione partium.

Divisio rei diversa est, prout res dividenda ut totum quoddam considerari potest. Celebris illa sententia est, ex qua totum duplex vel etiam triplex distingui solet: totum actuale, universale, inter quae illud, quod potestativum vocant, quasi medium est; cuius divisionis fundamentum est modus, secundum quem totum in suis partibus inesse conspicimus, id quod mox videbimus.

146. **Totum reale sive actuale** illud est, quod actu habet essentiam compositam, sive quod partibus actu constat. Cuius divisio haud raro speciali nomine partitio vocatur; quae igitur est distributio totius in partes diversas, quibus actualiter componitur. „In partitione, inquit Tullius, quasi membra sunt, ut corporis caput, humeri, manus, latera, crura, pedes; in divisione formae sunt, quas Graeci ideas vocant, nostri, si qui haec forte tractant, species appellant." [1]

Totum actuale aut essentiale est aut integrale. Totum essentiale sive metaphysicum est, cuius partes sola mente distinguuntur, quia totum exprimitur semel conceptu confusiore generis, et deinde conceptu determinatiore differentiae. Quae divisio ad efficiendam classificationem rerum est magno usui. Totum integrale sive physicum est, cuius partes re inter se distinctae sunt et totum vere componunt. Si hae partes essentialiter ad rem constituendam requisitae sunt, vocatur totum integrale secundum essentiam, ut quum quis *hominem* ex anima et corpore constitui dicit. Si autem partes integrales eae sunt, quae quantitatem totius constituant, vel ad integritatem naturalem totius re-

[1] Topic. 6.

quirantur, vocatur totum integrale simpliciter; ita *homo* ex pedibus, manibus, auribus, reliquis membris constat.

Hae autem partes integrales aut homogeneae sunt aut heterogeneae. Homogeneae sunt, si eandem naturam et hinc appellationem habent atque totum, ut pars dextra vel sinistra alicuius minimi elementaris *(hydrogenii)*. Quae autem diversam appellationem et naturam habent atque totum, heterogeneae vocantur, qualia sunt membra omnis corporis animalis.

Scholion 1. Dici non potest, totum per se semper ex compositione earum partium ortum esse, in quas divisione resolvi potest. Ita *linea* per se non oritur additis lineolis, nec *corpus* additis corpusculis; neque oritur *conceptus hominis* ex additis suis elementis metaphysicis: substantiae, viventis, sensitivae, rationalis; sed in his rebus totum est prius partibus et ex toto partes explicandae sunt.

Scholion 2. Ad totum actuale id etiam, quod totum vocatur morale, reducitur, quae est multitudo entium rationalium relatione inter se annexorum, ut sunt *familia, exercitus, civitas.* Immo etiam totum artificiale, et illud omne, quod consideratione nostra totum est, ut *domus, silva, Australia.* Et hic etiam saepe totum essentiale et totum integrale secundum essentiam, et totum simpliciter integrale distingui possunt; ut in *domo* vel *exercitu* aliae partes indicandae sunt, quum agitur de harum rerum essentia, aliae, quum de integritate essentiali, aliae, quum de integritate simpliciter dicunt.

147. Totum conceptuale sive universale vel logicum illud est, cuius unitas effecta est mente cogitantis, comparantis, colligentis res varias secundum conceptus uniformes in classem unam. Et hoc loco habetur divisio proprie dicta, quae etiam classificatio ab aliquibus est dicta; quae est oratio universale in sua particularia distribuens. Perspicuum est autem, hoc totum non secundum sui partes diffluere quasi et distribui, sed totum inesse in suis inferioribus sive subiectis integrum. Eiusmodi totum est „genus", cuius ratio tota in specie qualibet inferiore ut in parte subiecta reperitur; et „species", cuius rationem unumquodque illius speciei, speciei individuum, tamquam pars speciei subiecta, totam possidet.

Dum igitur totum actuale omnes suas partes comprehendit, atque ita de omnibus suis partibus simul coniunctis affirmari potest, non autem de singulis: totum universale ad unamquamque sui partem extenditur, atque ita de singulis partibus affirmari potest, non autem de omnibus partibus simul sumptis. Apud philosophos illa dicendi formula usitata est, qua totum universale dicunt praedicari essentialiter de suis partibus tanquam de subiectis[1].

[1] Fonseca, Institut. dial. l. 4 c. 6.

Scholion 1. Totum potestativum, quam tertiam speciem totius diximus, haud ita saepe a philosophis attenditur. Hoc totum intelligitur substantia, quae operatur potestate multiplici (ut *anima humana* intellectu, voluntate, aliis), i. e. virtutibus multis inter se diversis. Quae virtutes illius totius partes dicuntur. Unde manifestum est, totum hoc inesse quidem in qualibet parte, integrum sive totum, non tamen totaliter, i. e. secundum omnes virtutes. Qua de re S. Thomas: „Totum universale adest cuilibet parti secundum totam suam essentiam et virtutem, ut *animal* homini et equo, et ideo proprie de singulis partibus praedicatur. Totum vero integrale non est in qualibet parte, neque secundum totam essentiam, neque secundum totam virtutem; et ideo nullo modo de singulis partibus praedicatur. . . . Totum vero potentiale adest singulis partibus secundum totam suam essentiam, sed non secundum totam suam virtutem; et ideo quodammodo potest praedicari de qualibet parte, sed non ita proprie, sicut totum universale. Et per hunc modum Augustinus dicit, quod memoria, intelligentia et voluntas sunt una animae essentia.“ [1]

Scholion 2. De modo arguendi ex membris dividentibus ad totum divisum observandum est, a partibus satis indicatis ad totum tuto concludi posse et contra, deinde exclusis omnibus partibus reliquis praeter unam, a toto conclusionem fieri bonam ad hanc unam, quae supersit.

Scholion 3. Divisio per accidens, cuius supra incidit mentio, habet membra dividentia, quae non per se, sed per accidens sunt partes rei divisae. Tot esse possunt huius divisionis modi varii, quot esse possunt variae de re tota conceptiones [2]. Hoc igitur modo totum dividi potest ratione eorum, quae ad illud se habent ut accidentia. Ita *corpora* dividuntur in luminosa et opaca, vel in mota et quiescentia, et *homines* in stenocephalos et eurycephalos. Et contra accidentia secundum sua subiecta dividi possunt, velut quum *candor* dividitur in niveum et eburneum, aut quum dicis *passiones* alias esse hominis, bestiarum alias. Immo etiam secundum alia accidentia ipsa accidentia dividi possunt. Ita *amarum* in salubre et insalubre dividi potest, et *nigrum* in molle et durum.

Scholion 4. Distinguere quoque solent inter divisionem naturalem et artificialem, prout divisio naturales proprietates primarias sequitur, aut notam aliquam secundariam a dividente statutam.

148. **Leges divisionis.** Regula prima: Divisio sit integra sive adaequata, i. e. partes omnes sine ullius praetermissione enumeret ita, ut totum divisum membris dividentibus simul sumptis exhauriatur, et membra dividentia cum toto adaequentur. Qua in re et excessu et defectu (hiatu) peccari potest.

Secunda regula: Constet membris inter se oppositis, i. e. nullum membrum includatur tecto modo in aliis. Secus enim idem poneretur bis.

Tertia regula: Divisum sit maius qualibet parte dividente. Secus enim pars non esset pars, sed toti aequalis.

---

[1] Summ. theol. I. q. 77 a. 1 ad 1.

[2] Trendelenburg, Logische Untersuchungen, edit. 3. II. p. 256.

Quarta regula: Sit clara et brevis. Secus enim finem suum non assequeretur. Quam ob rem ne fiat minutior[1]. Nec facile licet, in una divisione adhibere plus quam unum principium, velut quum quis *animalia* divideret in homines et loquela carentia.

Scholion. Multum etiam ad divisionis perfectionem conferre potest, si sit immediata, i. e. totum dividatur prius in partes proximas, proximae in secundas et ita deinceps. Hac enim ratione totius constitutio praeclare manifestari solet. Accidere tamen potest, ut ipse alicuius divisionis finis ab hac regula discedere cogat; ut si quis naturales res mineralia, plantas, animalia dividere velit. Quod semper fit, quum ipsum pondus et praestantia membrorum pro fundamento divisionis assumitur.

149. De divisione annotatio historica.

Plato divisionem imprimis adhibuit ad distinguendas rerum ideas, sive species (εἴδη)[2]. Et primo quidem dichotomiam usurpavit, quam ex oppositione traxit[3]; velut: *Omnis res vivens est aut non-vivens.* Cui dualitati membrum tertium adiunxit, τὸ ἐξ ἀμφοῖν μικτόν, quod medium quasi esset[4].

Plura de divisione praecepit Aristoteles[5].

Kant, quum obiecta omnia secundum schema quoddam categoriarum ex indole iudiciorum tractum divideret, in unoquoque ordine membra tria constituit ita, ut unumquodque membrum tertium ex primi secundique cuiusque coniunctione ortum duceret. Itaque A partim dicitur esse B, partim Non-B, et ex coniunctione B et Non-B oritur C. Quod praeceptum sequens Fichte et magis etiam Hegel, multa hi de thesi, antithesi, synthesi statuerunt.

Tetrachotomiam posuit Schleiermacher, quum ex dialectica, quae sit omnis scientiae principium, centrum, finis, disciplinas omnes divideret secundum oppositionem inter naturam et rationem, vim internam et apparentiam externam, atque ita statueret cognitionem speculativam atque empiricam rationis, i. e. ethicam atque historiam, et cognitionem speculativam et empiricam naturae, i. e. physicam et historiam naturalem.

Nunc quoniam, quae in definitione, quae in divisione oporteat observari, vidimus, reliquum est, ut de argumentatione exponamus, quae incipientibus scitu necessaria sunt.

---

[1] „Quidquid in maius crevit, ait Seneca, facilius agnoscitur, si discessit in partes: quas vero innumerabiles esse et minimas non oportet; idem enim vitium habet nimia, quod nulla divisio; simile confuso est, quidquid in pulverem sectum est.“ (Epist. 89.) Et Quintilianus: „Quum fecere mille particulas, in eandem incidunt obscuritatem, contra quam partitio inventa est.“

[2] Phaedrus p. 265. Polit. 262 sqq. [3] Protag. 332.

[4] Tim. 35 A. Phileb. 23.

[5] L. 2 anal. post c. 13, 96 b, 15 sqq.; l. 6 topic. c. 6, 143 a, 30 sqq.; l. 1 de part. anim. c. 2 et 3, 642 b, 5 sqq.

§ 4.

De argumentatione faciliora quaedam, quae ad usum magis sunt necessaria, proponuntur[1].

150. Quid sit argumentatio. Argumentatio est verbis conceptum ratiocinium, sive oratio, qua unum ex alio inferimus. Nomen inde traxit, quod in ea argumentum reperitur sive terminus, qui inter duo extrema, unum magis universale, alterum magis particulare est quodammodo medius, atque ita mentem quasi arguit eique ostendit, praedicatum conclusionis aut inesse in subiecto aut non inesse. Ita si quis quaerere velit, *sitne pietas laudanda,* pro argumento se offert ratio *virtutis,* quam rebus laudandis annumerandam esse facile apparet; et eam in pietate esse quivis videt. Virtus igitur ut terminus medius inter duo extrema interiacet; et iam argumentari licet: *Virtus est laudanda. Pietas autem virtus est. Pietas ergo laudanda est.*

Scholion 1. „*Argumentum*" nomine uno res duas significat, ideo, quod et terminus medius sive inventum ad rem aliquam probandam argumentum vocatur et tota eius inventi artificiosa expositio[2].

---

[1] Inter recentiores sunt, qui in logica primo de argumentatione dicendum esse putent, deinde de propositione, ac tandem de apprehensione vel termino. Sed id falsum esse neminem praeterire potest, qui recogitaverit, in re omni construenda a consideratione simpliciorum elementorum incipiendum esse. Sicut autem ei, qui vult horologii fabricationem discere, initio horologium totum quoddam perfectum non sine utilitate ostenditur, ita etiam utile esse ducimus, ante iam hoc loco incipientibus pauca dicere de argumentatione integra, cuius propositiones et termini sunt partes et elementa; nisi forte haec obvia argumentationis cognitio in gymnasio vel rhetorica satis iam tradita sit. Cfr. Drecker, Praecepta eloquentiae n. 102 sqq.

[2] De hac voce S. Bonaventura: „Proprie quidem argumentum accipitur secundum quadruplicem acceptionem. Nam uno modo dicitur argumentum ratiocinatio. Alio modo dicitur argumentum prolixae sententiae brevis collectio. Tertio modo dicitur argumentum ipsum medium, in quo consistit tota vis argumentationis. Quarto modo dicitur argumentum ipsa maxima propositio, in qua consistit firmitas totius illationis." (In l. 2 sent. dist. 24 p. 1 a. 11 q. 1.) Et S. Thomas: „Argumentum proprie dicitur processus rationis de notis ad ignota manifestanda. Et quia tota vis argumenti consistit in medio termino, ex quo ad ignoti probationem proceditur, ideo dicitur ipsum medium argumentum, sive sit signum sive causa sive effectus. Et quia in medio termino vel in principio, ex quo argumentando proceditur, continetur virtute totus processus argumentationis, ideo tractum est nomen argumenti ad hoc, quod quaelibet brevis praelibatio futurae narrationis dicatur argumentum." (3 dist. 23 q. 2 a. 1 vol. 1 ad 4. Cfr. Quaest. disput. q. 14 de verit. a. 2 ad 9.) Id fortasse discriminis est, quod voce termini medii attendantur duo extrema coniungenda, voce argumenti attendatur conclusio efficienda.

Scholion 2. Haec, de qua diximus, argumentandi necessitas ex natura intellectus humani oritur, qui quum res multas penetrare simul non possit notitiasque ex sensatione acquirat, ab una cognitione ad aliam discurrendo procedere debet. Quapropter argumentatio etiam discursus vocatur. Quum autem dialectica ex parte potissima in eo versetur, ut rectum et facilem argumentandi modum doceat, hoc loco ea tantum indicanda sunt, quae externum argumentandi ordinem spectant.

Scholion 3. Argumentatio, quam consideravimus hactenus, vocari solet rationalis vel proprie dicta vel logica, ut videlicet distinguatur ab argumentationibus vel illationibus conditionalibus, quibus unum ex altero infertur interveniente particula si, et causalibus, quibus illatio fit per particulam quia, quae argumentationes sunt truncatae quasi et contractae.

Argumentationis rationalis species potissima est syllogismus.

151. **Syllogismus quid sit.** Argumentatio simplex et completa, quae ratiocinationem unam totam distincte exprimit, syllogismus ab Aristotele vocatus est. Syllogismus est oratio, in qua duabus propositionibus positis necesse est tertiam consequi ex eo, quod illae positae sint[1]. Tres igitur propositiones sunt, quae ex tribus terminis bis repetitis constituuntur. Propositiones materiam syllogismi proximam vocant, terminos[2] materiam remotam. Quapropter syllogismus etiam definiri potest: argumentatio, in qua duo termini duabus in propositionibus cum tertio aliquo termino comparantur, ex quo fiat, ut in propositione tertia unus de altero aut affirmetur ut conveniens, aut negetur ut discrepans.

Binae illae propositiones, quibus antecedens syllogismi constat, praemissae syllogismi (προτάσεις, τὰ προτεινόμενα, τὰ τεθέντα, τὰ κείμενα) vocantur sive acceptiones vel sumptiones[3]. Et duo illi termini inter se comparati, qui in conclusione coniunguntur aut separantur, communi nomine elementa vel extrema syllogismi (τὰ ἄκρα, videlicet τοῦ συλλογισμοῦ στοιχεῖα) nominantur; subiectum quidem conclusionis extremum minus (ὅρος ἔσχατος, τὸ ἔλαττον, videlicet ἄκρον), praedicatum autem extremum maius (ὅρος πρῶτος, τὸ μεῖζον, videlicet ἄκρον). Tertius, qui nobis argumentum indicat, propter quod extremum minus in maiore extremo potentia contentum esse conspicimus, vocatur, ut diximus, terminus medius (ὅρος μέσος, τὸ μέσον) vel argumentum.

---

[1] Ab Aristotele definitur: Συλλογισμὸς δέ ἐστι λόγος, ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει τῷ ταῦτα εἶναι· λέγω δὲ τῷ ταῦτα εἶναι τὸ διὰ ταῦτα συμβαίνειν, τὸ δὲ διὰ ταῦτα συμβαίνειν τὸ μηδενὸς ἔξωθεν ὅρου προσδεῖν πρὸς τὸ γενέσθαι τὸ ἀναγκαῖον. (L. 1 analyt. pr. c. 1, 24 b, 18.)

[2] Ὅρον δὲ καλῶ εἰς ὃν διαλύεται ἡ πρότασις, οἷον τό τε κατηγορούμενον καὶ τὸ καθ' οὗ κατηγορεῖται. (L. 1 analyt. pr. c. 1, 24 b, 16.)

[3] Cic., De divin. 2, 108.

Illa autem praemissa propositio, in qua terminus medius cum extremo maiore comparatur, maior dicitur (λῆμμα); et illa, in qua cum medio termino comparatur extremum minus, appellatur minor (πρόςληψις)[1]. Ex quo perspicitur, denominationem „maioris" per se non pendere a loco primo vel altero, quo propositio in syllogismo ponitur, sed illi praemissae competere, quae extremum maius contineat, etiamsi ea secundo loco pronuntietur. Verum in philosophicis disputationibus mos invaluit, ut maior ea praemissa nominetur, quae primo loco profertur. Praemissae secundae, quae minor appellari solet, in schola vocula atqui praefigitur claritatis gratia.

Propositio tertia, quae ex duabus praemissis sequitur, vocatur illatio (ἐπιφορά) vel conclusio sive iudicium conclusum vel consequens (τὸ συμπέρασμα).

Nexus ille consecutionis conclusionem inter et praemissas, qui syllogismum formaliter constituit, appellatur consequentia, et particula ergo significatur, qua propositio consequens sive conclusio induci solet.

Notandum igitur discrimen est inter consequens et consequentiam. Nam consequens est id, quod ex praemissis concluditur sive infertur; et consequentia est ipsa consequentis cum praemissis recta connexio. Unde recta potest esse consequentia et tamen falsitas inesse in consequenti; et veritas inesse potest in consequenti, deficiente omnino consequentiae rectitudine.

Haec forma syllogistica, si accurate servetur, ad recte et clare cogitandum multum confert[2].

---

[1] Aristoteles quum potius attenderet ad conceptuum comprehensionem (v. g. *substantia* comprehenditur in *animali*, *animal* in *equo*), voluit, ut primo loco poneretur praemissa maior (v. g. *animal est substantia, atqui equus est animal*). Alii, qui potius ad conceptuum extensionem attendunt (v. g. ad *equum* extenditur *animal*, ad *animal* extenditur *substantia*), praeferunt, ut primo loco ponatur praemissa minor (v. g. *equus est animal, atqui animal est substantia*). Cfr. Locke, Essay concerning Human Understanding l. 4 c. 17 § 8; Leibniz, Nouveaux essais sur l'entend. hum. l. 4 c. 17 ap. Erdm. p. 395 et 398.

[2] „Il est impossible que la forme de la pensée n'influe pas sur la pensée elle-même, et que la décomposition du raisonnement dans les trois termes qui le constituent ne rende pas plus distincte et plus sûre la perception des rapports de convenance et de disconvenance, qui les unissent ou les séparent. Amenées ainsi face à face, la majeure, la mineure et la conséquence manifestent d'elles-mêmes leur vrai rapport, et la seule vertu de leur énumération précise et de leur disposition régulière, s'oppose à l'introduction de rapports chimériques, dissipe les à peu près et les fantômes, dont l'imagination remplit les intervalles du raisonnement." Cousin, Hist. génér. de la philos. 2e leçon. — „Gleichwie man geringer Geld mit Würfen annimmt, grosse Stücke aber, zumal

Syllogismus, in quo servatur forma, formatus nuncupatur. Informis sive extra formam ille est, in quo retenta quidem argumenti vi, non tamen de dispositione terminorum et propositionum sumus solliciti; quibus syllogismis vita hominis rationalis abundat.

Scholion 1. Syllogismi vox vi triplici adhiberi potest. Primo causaliter, ut est modus sciendi nos deducens in cognitionem actu novam. Secundo formaliter ipsam tertiam mentis operationem, quae discursu continetur, significat. Tertio integraliter; atque ita quidquid ad syllogismi integritatem requiritur, comprehendit.

Primo modo praemissas significant, quae nos in notitiam conclusionis deducunt. Altero modo in solo iudicio consequentis, ut consequens est, concluditur. Et tertio modo praemissas simul et conclusionem continet.

Scholion 2. Ex dictis facile intelligitur, quae sint ratiocinii completi elementa constitutiva. Haec enim sunt 1° duo illa iudicia, ex quibus tertium infertur; 2° tertium hoc iudicium, quod infertur; 3° iudicium, quo enuntiatur eam revera esse inter duo illa iudicia connexionem, ut ex illis tertium inferatur. Utrumque illud iudicium, ex quo novum infertur, communi nomine antecedens, tertium consequens nominatur. Connexionem illam, qua fit, ut consequens vere et obiective ex antecedente efficiatur, diximus esse consequentiam; iudicium autem, quo affirmatur, esse hanc connexionem inter antecedens et consequens, vocatur iudicium de bona consequentia; quod, quamvis non exprimatur a ratiocinante in consequente, ex natura rei inclusum esse cernitur.

Scholion 3. Termini, quibus praemissae constituuntur, non semper inter se aperte coniunguntur sicut subiectum et praedicatum, velut quum quis argumentatur: *Terra attrahit corpora. Atqui luna est corpus. Ergo terra attrahit lunam.* Vel: *Homo est naturae rationalis particeps. Atqui in natura rationali inest intellectus. Ergo homo habet intellectum.* Vel: *Cogitatio caret omni figura. Atqui triangulum est figura. Ergo nulla est cogitatio triangularis.* Qui complexi syllogismi, si recti sunt, per substitutionem in syllogismos incomplexos et apertos transformari possunt.

---

von Gold, lieber zählet, und wenn man Diamanten zu berechnen hätte, gern die Mühe nehmen würde, solche an den Fingern abzuzählen, weilen diese Rechnung zwar am schlechtesten, aber doch am sichersten ist, dahingegen, je höher, künstlicher und geschwinder die Rechnung, je leichter auch sich zu verrechnen. So ist es auch mit der Logik bewandt, dass man nemlich in wichtigen, zumal theologischen Streitsachen, so Gottes Wesen und Willen, auch unsere Seele betreffen, wohl thut, wenn man alles mit grossem Fleisse auflöset, und auf die allereinfaltigsten und handgreiflichsten Schlüsse bringt, da auch der geringste Schüler ohnfehlbar sehen kann, was folge oder nicht; und wird sich finden, dass man oft bei wichtigen Gesprächen stecken bleiben und still stehen müsse, weil man von der Form abgewichen, gleichwie man einen Zwirnknaul zum gordischen Knoten machen kann, wenn man ihn unordentlich aufthut." Ita Leibnizius in epist. data ad G. Wagner ap. Erdm. p. 422 a.

152. **Syllogismi rectitudo et veritas.** Vim totam syllogismi eo contineri perspicuum est, quod infertur unio duorum extremorum inter se, quia quasi unita fuerint cum uno tertio. Unde rectus est syllogismus, si consequentia in eo inest; neque ad syllogismi rectitudinem refert, utrum propositiones, quibus constat, verae sint, necne. Inest autem consequentia in syllogismo, si altera praemissarum conclusionem potentia continet, altera declarat actu, conclusionem in ea contineri. Igitur recte ratiocinamur, si illud consequens inferimus, quod ex cognita in antecedente connexione conceptuum inferendum est. Secundum veritatem autem ratiocinamur, si ex antecedente vero consequens verum concludimus. Haec duo maxime inter se differre, exemplis brevius quam verbis explicari potest. Qui concesserit ut verum hoc antecedens: *Virtus est laudanda,* et *superbia est virtus;* recte is inferet consequens: *superbiam esse laudandam.* Nihilo tamen minus, quia altera antecedentis propositio falsa fuit, ipsum consequens, quantumvis recte illatum, non est verum.

Sed potest etiam accidere, ut ex vitioso syllogismo concludatur consequens verum; quod tamen non erit verum per se, sed verum per accidens dumtaxat. Id quod fieri potest vel propter falsitatem antecedentis, vel propter defectum rectae consequentiae. Cuius rei exemplum sit syllogismus: *Omnis lapis est homo. Socrates est lapis. Ergo Socrates est homo;* in quo recta est consequentia, sed antecedens falsum. Vel ponatur huiusmodi: *Omnis homo est animal. Socrates est animal. Ergo Socrates est homo;* in quo verum est antecedens, sed vitiosa consequentia. Ad ratiocinium igitur, quod omnibus numeris legitimum sit, requiritur, ut et rectum sit quantum ad formam, et verum quantum ad materiam [1].

Ex his dictis, quod spectat ad propositionum in ratiocinio veritatem vel falsitatem, supposita legitima consequentia, hi sequuntur canones:

1° Ex vero antecedente legitime sequi non potest consequens falsum. Quare si consequens est falsum, antecedentis saltem partem falsam esse oportet.

2° Ex falso antecedente verum consequens per se sequi non potest, per accidens autem potest. Hinc ex sola veritate consequentis veritas antecedentis inferri non potest.

3° Quidquid componi potest cum antecedente, componitur etiam cum consequente, et quidquid repugnat consequenti, repugnat etiam antecedenti: neutrum tamen e converso dici potest.

---

[1] Sylv. Maur., Quaest. philosoph. tom. 1 tract. 3 c. 46.

153. **Leges syllogismi octo.** Utrum aliquis syllogismus rectus sit, an vitio laboret, certis regulis discerni potest, quae ex natura rei tractae ad octo revocari solent, quarum quattuor priores syllogismi terminos spectant, reliquae propositiones:

I. Tum re tum sensu triplex modo terminus esto.
II. Latius hos, quam praemissae, conclusio non vult.
III. Nunquam contineat medium conclusio oportet.
IV. Aut semel aut iterum medius generaliter esto.
V. Ambae affirmantes nequeunt generare negantem.
VI. Utraque si praemissa neget, nil inde sequetur.
VII. Peiorem sequitur semper conclusio partem.
VIII. Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.

Prima regula[1] prohibet, quominus plures quam tres termini in syllogismo contineantur. Ratio manifesta est; si enim conclusionis subiectum et praedicatum non cum uno termino, qui secundum rem et significationem unus est, comparantur, nihil potest e praemissis inferri, deficiente consequentia. Attendendum igitur hic maxime, ne terminus medius sit aequivocus neve ab una suppositione ad aliam transitus fiat.

Contra hanc legem peccat syllogismus: *Omnes Apostoli sunt duodecim. Atqui* PETRUS *est Apostolus. Ergo* PETRUS *est duodecim.* Vel: *Quod non repugnat, ne fiat, non repugnat, ne sit. Non repugnat, ne puer fiat senex. Ergo neque repugnat, ne puer sit senex.*

Secunda regula terminos in conclusione accipi vetat extensione maiore, quam sumpti sunt in praemissis. Si enim terminus particulariter acceptus in praemissis intelligitur universaliter in conclusione, plus concluditur, quam probatum est.

Falsus igitur est syllogismus: *Omnis circulus est rotundus. Omnis circulus est figura. Ergo omnis figura est rotunda.* Vel: *Omnis homo est animal. Brutum non est homo. Ergo brutum non est animal.*

Tertia regula ex conceptu syllogismi et definitione ratiocinii evidens est. Nam in conclusione identitas aut discrepantia extremorum inter se affirmari debet; non autem termini medii cum uno alterove extremo. In conclusione igitur nullus termino medio est locus.

Unde falso concluditur: *Paulus est magnus. Sed Paulus est philosophus. Ergo Paulus est magnus philosophus.* Vel: *Sola virtus est, quae ad beate vivendum satis sit. Atqui voluptas ad beate vivendum non est satis. Quod ergo ad beate vivendum satis est, voluptas non est.*

[1] ARIST. l. 1 anal. prior. c. 25, 41 b, 36.

Quarta regula exigit, ut terminus medius in alterutra saltem praemissa vi universali vel universali aequivalente accipiatur sive distributione completa pro omni re, pro qua sumi potest. Terminus enim bis acceptus particulariter aequivalet duobus. Quum enim quis ex magna multitudine bis aliquid expromit, certe non necessario eveniet, ut idem expromat. Unde propter ipsam argumentationis formam non constat, terminum medium reapse unum esse. Ex quo consequens est, ut eiusmodi syllogismus non propter ipsam suam formam necessario concludat, quod tamen requiritur.

Falsus est igitur syllogismus: *Aliquis atheus fuit philosophus. Aliquis philosophus non fuit impius. Ergo aliquis atheus non fuit impius.* Falsus quoque: *Aliquod animal est bipes. Equus est animal. Ergo equus est bipes.* Vel: *Homo est substantia. Lapis est substantia. Ergo homo est lapis.*

Scholion. Potest nihilominus terminus medius bis particulariter sumi, dummodo enuntietur, eum esse accipiendum pro eodem vel pro iisdem in utraque praemissa vel in alterutra pro parte eiusdem vel eorundem. Id si fit, suppositio aequivalenter est universalis.

Potest etiam terminus medius bis esse singularis, si modo in utraque praemissa est omnino singularis, vel in alterutra praemissa supponit pro omnibus illis, quibus simul vel successive identificatur. Nam hic etiam terminus idem valet atque universalis.

Quinta regula facile intelligitur. Quum enim praemissae affirmant, terminum maiorem et minorem identificari cum termino medio, attento principio identitatis non potest sequi, terminum minorem atque maiorem non identificari inter se. Et haec quidem regula non statuit, ex duabus praemissis affirmativis sequi conclusionem affirmativam, sed dicit solum, ex duabus praemissis affirmativis non sequi conclusionem negativam.

Ex praemissis „*Vulpes est animal*" et „*Leo est animal*" non potest sequi „*Vulpes non est leo*". Sed ob regulam quartam neque sequitur „Vulpes est leo".

Sexta regula evidens est ex natura ratiocinii. Si enim neque terminus maior neque terminus minor cum termino medio convenit, nihil de relatione inter utrumque extremum constat; quamobrem unum de altero neque affirmari neque negari potest. Atque hic terminus medius revera ne medius quidem est, quia nihil eorum declarat, ad quae declaranda assumitur[1].

Itaque falso quis concluderet: *Nullum animal est lapis. Atqui nullus adamas est animal. Ergo nullus (vel omnis) adamas est lapis.* Vel: *Nullum animal est lapis. Atqui nulla planta est lapis. Ergo nulla planta est animal.* Vel: *Nullum animal est lapis. Atqui nullum animal est lignum. Ergo nullum lignum est lapis.*

---

[1] ARISTOTELES iam hanc syllogismi legem statuit: Ἐν ἅπαντι (συλλογισμῷ) δεῖ κατηγορικόν τινα τῶν ὅρων εἶναι. (L. 1 anal. prior. c. 24, 41 b, 6.)

Septima regula praecipit, ut conclusio sequatur partem debiliorem sive peiorem; in qua praeceptione pars peior intelligitur negativa prae affirmativa, et particularis prae universali. Unde vis regulae duplex est: a) ut conclusio sit negativa, si alterutra praemissa negativa fuerit; b) ut sit particularis, si alterutra praemissa fuerit particularis. Et ratio praecepti prioris est, quod, quum altera praemissa est affirmans, altera negans, alterum extremum convenit cum termino medio, alterum discrepat. Non potest ergo in conclusione affirmari, extrema ista duo inter se convenire. Neque opus est, huius rei exemplum ponere. Alterius autem praecepti ratio in eo est, quod nunquam licet ullum terminum in conclusione latius accipere, quam acceptus fuerit in praemissis.

Unde falsus est syllogismus: *Omne corpus est extensum. Atqui aliqua substantia est corpus. Ergo omnis substantia est extensa.* Neque minus: *Nulla virtus est fugienda. Atqui aliqua ira est virtus. Ergo nulla ira est fugienda.* Atque etiam: *Aliqui homines sunt albi. Atqui nullus albus est niger. Ergo nullus homo est niger.* (Recte tamen concluderet quispiam: *Ergo saltem aliqui homines non sunt nigri*[1].)

Huius autem regulae vis potius negativa est quam positiva; vetat enim conclusionem praemissa peiore meliorem esse; non tamen praescribit, ut aeque bona sit ac praemissa deterior[2].

Scholion. Atque haec regula septima etiam ad gradum certitudinis trahenda esse videtur. Quum enim conclusio, ut deducta, totam suam certitudinem ex praemissis hauriat, quasi pondus ex catenae annulis, maiorem certitudinem habere non potest, quam habet debilior praemissarum.

Octava regula cavetur, ne utraque praemissa sit vere particularis vel particulari aequivalens[3]. Et recte id quidem: Nam, 1° si ambae praemissae particulares sunt affirmativae, quattuor syllogismus constat terminis particularibus; ex quo sequitur, terminum medium contra legem quartam bis particulariter sumptum esse; ergo alterutra saltem praemissa universalis esse debet. 2° Si ambae sunt negativae, conclusio nulla est ex regula sexta. 3° Si praemissarum particularium altera negativa est, affirmativa altera, per ipsam formam syllogisticam non constat, sub quo respectu et qua extensione unum extremum cum termino medio conveniat, et alterum ab eo discrepet. Quam ob rem nihil prorsus concludi potest. Vel aliis verbis: Si una praemissa est negativa, altera

---

[1] Hac de re cfr. Ueberweg, System der Logik § 108.

[2] Cfr. Ueberweg l. c. § 118 annot.

[3] Ἐν ἅπαντι (συλλογισμῷ) δεῖ ... τὸ καθόλου ὑπάρχειν. Arist. l. 1 anal. prior. c. 24, 41 b, 6.

affirmativa, conclusio debet esse negativa (ex regula septima) et eius praedicatum accipitur universaliter; debet ergo etiam accipi universaliter in praemissa (ex regula secunda). Duo ergo termini in praemissis accipiendi essent universaliter: terminus medius et terminus maior. At vero unus tantum locus est in praemissis, in quo terminus universaliter accipi possit, hoc est praedicatum praemissae negativae.

Retinendum est autem, hac regula octava sicut et priore parte regulae septimae non tangi praemissas, quae habeant terminum singularem vel particularem universali aequivalentem.

Contra regulam octavam peccat syllogismus: *Aliquis philosophus non fuit impius. Atqui aliquis philosophus fuit atheus. Ergo aliquis atheus non fuit impius.* Vel: *Aliqui divites non sunt beati. Atqui aliqui homines pii sunt beati. Ergo aliqui divites non sunt homines pii.* Vel: *Aliquod mobile non est sphaericum. Atqui aliquod astrum est mobile. Ergo aliquod astrum non est sphaericum.*

Recte autem concluditur: *Cicero fuit eloquentissimus. Atqui Cicero fuit Arpinas. Ergo Arpinatum quidam fuit eloquentissimus.*

154. *Scholion.* Sunt, qui has syllogismi regulas ad pauciores reducant. Cartesianorum aliqui commendarunt regulam unicam: Altera praemissarum conclusionem contineat, altera contentam declaret[1]. Alph. Gratry: Tres unum sint![2] Ubaghs: Maior sit universalis, minor sit affirmans, conclusio habeat qualitatem maioris (sive affirmando sive negando) et quantitatem minoris[3]. Alii: Nihil dicatur in conclusione explicite, quod non fuerit dictum in praemissis implicite. Alii: Maior enuntiet argumentationis principium; minor applicet hoc principium rei particulari ostendatque hanc in illo includi aut ab eo excludi; conclusio exprimat rem particularem, ut in maiore contenta erat.

Et hae quidem vel simili modo expressae regulae in se rectae sunt et legitimae; exhibent enim ipsum principium omnis artis syllogisticae antiquitus notum. Sed applicari non possunt nisi ad

---

[1] Ita auctor „Artis cogitandi" parte 3 c. 9 et 11. Regulam hanc primus posuit Buffier (in libro: Principes du raisonnement 1730); non tamen ut a se inventam, sed ut ab alio traditam. Ea multum placuit Eulero (Lettres à une Princesse d'Allemagne). Ipse Buffier hanc praetulit: Terminus maior contineat medium, et medius minorem; quam quidem syllogismis negantibus applicari non posse concedit, nisi hi in affirmantes mutati fuerint. Cfr. Leibniz, Nouv. ess. l. 4 c. 7 § 8 ap. Erdm. 399.

[2] A. Gratry, Logique t. 1 p. 294.

[3] Log. n. 244. Cfr. Vallet, Praecept. philos. Paris 1880, tom. 1 p. 179.

figuram syllogismi perfectissimam, in qua termini aperte et directe inter se sunt subordinati; ad ceteras autem figuras trahi non possunt, nisi sint ante ad figuram perfectam reductae. Praeterea breviores sunt, quam quae ad detegenda singula vitia, quibus syllogismus laborare potest, satis facile adhiberi possint.

155. **Solvuntur difficultates quaedam**[1]. Contra regulam primam peccare videtur syllogismus: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum. Sed thesaurus tuus est in coelo. Ergo cor tuum est in coelo;* in quo videntur esse plus quam tres termini. Sed salva erit regula, si syllogismus exponatur: *Locus, in quo est thesaurus tuus, est locus, in quo est cor tuum. Sed locus, in quo est thesaurus tuus, est coelum. Ergo locus, in quo est cor tuum, est coelum.*

Consimiliter exponendus erit syllogismus: *Petrus est sedecim annos natus. Paulus quadraginta annos habet. Paulus ergo aetate provectior est quam Petrus.* Et syllogismus: *Aequitas postulat, ut eos honoremus, quibus vitam debemus. Atqui parentibus vitam debemus. Ergo aequitas postulat, ut parentes honoremus.*

Contra regulam secundam peccare videtur ratiocinium hoc, in quo maius extremum latius patet in conclusione quam in praemissis, et nihilominus consequentia negari non potest: *Solus Deus est aeternus. Mundus non est Deus. Ergo mundus non est aeternus.* Quoniam autem propositio maior est exclusiva, aequivalet duabus, quarum altera affirmans est, altera negans. Sed argumenti allati vis in negante propositione constituitur. Sunt ergo exponendae praemissae hoc modo: *Omne, quod non est Deus, non est aeternum. Atqui mundus est aliquid, quod non est Deus. Ergo mundus non est aeternus.* Maior igitur etsi affirmans videtur, re tamen est negativa sicut conclusio; itaque extremum maius non latius in hac quam in illa accipitur. Minor vero, quae videbatur negans, revera affirmans est.

Contra regulam tertiam esse videtur syllogismus: *Omne currens essentialiter movetur. Atqui Petrus currit. Ergo Petrus, quatenus currit, essentialiter movetur.* Et tamen rectus est. Inspicienti enim patet, medium non inesse in conclusione, quatenus erat terminus medius, sed quatenus erat pars maioris extremi. Maior enim sic exponenda est: *Omne currens essentialiter movetur, quatenus est currens.*

Contra quartam legem hic syllogismus: *Omne animal rationale est homo. Atqui aliquis homo agit irrationabiliter. Ergo aliquod animal rationale agit irrationabiliter,* rite videtur concludere, et tamen medius terminus homo sumitur bis particulariter. Sed hic syllogismus concludit per accidens; non vi formae, sed materiae; quia nullum aliud animal rationale est praeter hominem. Quod non concludat vi formae, patebit, si materiam mutaveris in hunc modum: *Omne animal rationale est substantia. Atqui aliqua substantia caret ratione. Ergo aliquod animal rationale caret ratione.* Sit syllogismus: *TULLIUS patriam servavit. Atqui TULLIUS mittitur in exilium. Ergo, qui patriam servavit, mittitur in exilium.* Estne recta conclusio isthaec? Est sane, quia medius terminus, TULLIUS, quum sit singularis, sumitur semper secundum totam extensionem et aequivalet universali. Itaque rectus est syllogismus: *Deus est iustus.*

[1] Cfr. TONGIORGI, Instit. log. n. 240.

Atqui Deus est naturae auctor. Ergo naturae auctor est iustus. Falsus autem est syllogismus, si quis theologus sic ratiocinari velit de Trinitatis mysterio: *Deus est Pater. Atqui Deus est Filius. Ergo Pater est Filius.* Nam hic accipitur essentia divina, quae quidem est una, sed tamen tribus Personis communicabilis.

Contra quintam videntur nonnunquam ambae affirmantes generare negantem; velut quum dico: *Aeternitas est „nunc" permanens. Atqui tempus est „nunc" fluens. Ergo aeternitas non est tempus.* Sed quivis videt, syllogismum inde consequentiam habere, quia alterutra praemissa affirmativa negativae aequivalet. Loco enim huius: *Aeternitas est nunc permanens,* dicere licebit: *aeternitas non est nunc fluens.*

Contra sextam regulam in hoc syllogismo vere et recte concludente praemissa utraque negativa est: *Qui non colit Deum, non erit salvus. Atqui impius non colit Deum. Ergo impius non erit salvus.* Vel generalius:

Quod non est M, non est P.
Atqui S non est M.
Ergo S non est P.

Quae res ipsi Scoto tam evidens fuit, ut hanc regulam reiiceret. Verum iam longe ante haec dubitandi ratio animadversa erat atque soluta[1]. Minor enim propositio intelligi debet affirmativa, ita ut particula „non" non afficiat copulam, sed trahatur ad praedicatum. Hoc modo syllogismus, ut par est, tribus terminis constituitur. In syllogismo supra posito terminus medius est *„non colens Deum"*, qui in utraque praemissa inveniri debet. In minore autem non inesset hic terminus medius, si non exponeretur minor hoc modo: impius est *„non colens Deum"*.

Contra septimam regulam saepissime conclusio meliorem partem sequi videtur. Ita recte concluditur: *Nulla virtus non est laudanda. Atqui pietas est virtus. Ergo pietas est laudanda.* Sed respondendum est, praemissam maiorem re esse affirmativam.

Deinde: *Fide divina constat, homines omnes peccato originali infectos esse. Atqui per historiam constat, Ciceronem hominem fuisse. Ergo fide divina constat, Ciceronem peccato originali infectum fuisse.* Respondeo: *Ciceronem peccato originali infectum fuisse,* si consideratur ut ex praemissis duabus conclusum et deductum, non potest credi fide divina. Si autem alia ratione accipiatur, fide divina credi potest; qua de re suo loco dicendum erit.

Contra octavam regulam quae oriuntur dubitationes, facile dissolvuntur. Exemplo sit syllogismus: *Aliquae bestiae sunt aves. Atqui aliquae aves sunt natantes. Ergo aliquae bestiae sunt natantes.* Qui syllogismus, etsi habet utramque praemissam particularem, conclusionem habet, quae est vera ratione materiae; qui tamen ratione formae non magis recte concludit quam hic: *Aliqua animalia sunt pulcra. Atqui aliqua pulcra sunt aedificia. Ergo aliqua animalia sunt aedificia.* Altero exemplo sit hic: *Aliqui numeri inter se additi aequant numerum 20. Atqui aliqui numeri inter se multiplicati aequant numerum 20. Ergo aliqui numeri inter se additi aequant aliquos numeros inter se multiplicatos.* Sed in his et similibus aequationibus terminus medius

---

[1] Cfr. Boeth. ad l. de interpretat. Prantl, Gesch. der Logik I. p. 555.

vim habet singularem. Unde in hoc genere syllogismus rectus est, sicut etiam recte quis concluderet: *Aliquis apostolus est* IUDAS. *Atqui aliquis proditor est* IUDAS. *Ergo aliquis apostolus est proditor.*

156. **Argumentationis genera varia.** Argumentatio generatim vocatur argumentum unum vel argumentorum series, in quibus alicuius propositionis veritas modo legitimo ex aliis propositionibus eruitur. Haec si ex evidentibus praemissis veritatem aliquam evidentem efficit, demonstratio appellatur.

Praeter argumentationem demonstrativam est etiam probabilis, quae ex utraque vel alterutra praemissa probabili conclusionem ducit, i. e. ex praemissa, quae in experientia communiore nititur atque ita ab omnibus vel compluribus sapientioribus ut vera habetur. Is ab ARISTOTELE syllogismus dialecticus est vocatus, eo, quod de conclusione, ad quam adducit, in utramque partem disputari potest[1].

Demonstratio igitur ab argumentatione probabili non differt forma, sed materia, quatenus habet praemissas certas et evidentes.

Propositiones omnes, quae in argumentatione recurrunt, ad quasdam propositiones reducuntur, quae primae sunt et ideo principia vocantur. Sicut argumentationes probabiles principiis probabilibus innituntur, ita demonstrativae ad principia certa et evidentia reducantur, necesse est.

Omnis autem argumentatio a quaestione incipit. Initio igitur clare enuntiandum est, quid proponatur aut ut inveniendum, aut saltem ut inquirendum. De qua quaestione hae sunt regulae: ut singula quaestionis vocabula, quantum necesse est, accurate definiantur, ut ipsa quaestio in varias partes, si opus est, clare dividatur, ut secundum singulas partes ordinetur et ex ordine ita disponatur, ut illa, quae ex rei natura prius probanda sint, prius ponantur.

Scholion. Hoc loco vocabula quaedam indicanda sunt, quae nonnunquam adhibentur, quum de argumentationibus agitur.

Quaestionem iam diximus esse illam veritatem, quae ut disquirenda aut invenienda proponitur. Quae definitur: in dubitationem ambiguitatemque adducta enuntiatio. Omnis igitur positio concludenda quaestio est, si sub forma dubitationis initio praemittitur. Quaestio omnis duabus partibus constituitur, quarum altera subiectum est, quod datum appellatur sive concessum; altera praedicatum, quod quaesitum vocatur vel passio. Et quaestio esse potest universalis, ut quum quis quaerat, *sitne virtus anteponenda opibus*, aut particularis: *sitne aliquis pauper felix*, aut singularis: *hauseritne* SOCRATES *cicutam innocens.*

---

[1] L. 1 topic. c. 1.

Axioma sive „dignitas", si accipiatur latius, est omnis propositio indemonstrabilis, cuius veritas ex solis terminis inspectis patet, cuiusmodi sunt: *Prius est Esse quam Operari*, vel *Facta infecta fieri non possunt*, vel *Non est effectus sine causa.* Axiomata ut plurimum sunt propositiones analyticae; si propositiones syntheticae sunt, axiomata experimentalia vocari solent. Facillime et clarissime ex suis terminis illucescunt illa axiomata, quae principia rationis vocari solent. De numero axiomatum non constat; et saepe dubitatum est, utrum aliqua veritas axiomatis instar habenda sit necne. Ita antiquitus iam aliqui nonnulla „demonstrare" conati sunt, quae Euclides „axiomata" habuit; alii nonnulla axiomatis annumeranda esse dixerunt, quae Euclides demonstrationis indigere dixerat.

Axioma, si accipiatur pressius, illud tantum principium vocatur, quod omni scientiae commune est, ut *totum esse maius sua parte.*

Maxima[1], quae paulo latius patet quam axioma, est propositio, quam homines ut veram admittere solent. Unde non solum axiomata in numero maximarum habentur, sed propositiones omnes, quae summa probabilitate sunt verae, ut est illa: *Id quod plurimi eorum, qui in aliqua arte periti sunt, pro re vera et certa habent, id verum et certum esse debet.* Quae sententiae „maximae" vocantur, quia unaquaeque earum plurimarum sententiarum abundans fons est, quae tamquam principia ad arguendum sumi possint.

Lemma sive sumptio vel porisma est propositio, quam in alia disciplina probatam esse supponunt ut discenti notam et acceptam.

Theorema est propositio theoretica demonstrabilis, quae quum nondum explorata sit, consideratione digna apparet et solvenda suscipitur.

Problema pressius acceptum est propositio practica demonstrabilis; saepe tamen problema latius accipitur, et est quaestio, quae veritatem quamlibet inveniendam enuntiat sub forma dubii, et propterea per quaestionem duplicem proferri solet: *Estne ita necne?*

Corollarium est propositio, cuius veritas ex data definitione vel ex veritate iam probata sponte fluit, neque ullius demonstrationis ulterioris indiget. Vix non semper in corollario declaratur, aliquid in thesi posita implicite esse affirmatum atque probatum.

Scholion id omne vocatur, quod rei principaliori, quae iam explicata est, ut secundarium quid ulterioris illustrationis gratia subiungitur. In scholiis igitur vel declarantur obscura, vel respondetur ad dubia, vel utilitas ususque doctrinae exponitur, vel historia et fontes inventorum indicantur, vel denique lector utiliter de quibusdam admonetur.

157. Indicantur nonnulla axiomata, theoremata, maximae. Rem haud inutilem effecisse videntur nobis veteres illi magistri, qui studiosae iuventuti proposuerunt multa philosophorum dicta, quorum in studiis et disputationibus iam aliquis usus esse possit. Quorum exemplum nobis aliquo modo imitari liceat[2].

---

[1] Hoc Latino „maximarum" nomine primus Boethius (sequens Themistium) pronuntiata illa sive propositiones universales vocavit.

[2] Quae sequuntur, maximam partem ex libellis tracta sunt Georgii Reeb, S. I., Distinctiones et axiomata philosophica. Colon. 1682; Henrici Marcelli,

Axiomatis annumeranda sunt: Posita causa ponitur effectus, et sublata causa tollitur effectus. Causa causae est et causa causati. Conditio conditionis est conditio conditionati. Causa materialiter sumpta prior est effectu. Causa in actu et effectus in actu sunt simul. Causa in potentia et effectus in potentia sunt simul. Posita materia potest fieri effectus; sublata materia, fieri non potest. Quanto causa est altior, tanto est universalior. Causa nobilior est suo effectu. Propter quod unumquodque tale, et illud magis. Causa quo altior, eo communior. Omne unum in multis ab una oportet esse causa. Nullus effectus est nobilior suis causis. Nulla causa vi sua edere potest effectum se nobiliorem. Effectus sequitur debiliorem partem suae causae. Effectus gerit similitudinem suae causae. Quorum causae bonae sunt, ipsa sunt bona. Si radix in vitio est, et rami. Idem non potest efficere seipsum. Ab insufficiente fit nihil. Ex nihilo fit nihil. In nihilum nihil potest resolvi. Qui dat Esse, dat etiam consequentia ad Esse. Nemo dat, quod non habet. Posito effectu ponitur causa. Cuius productio bona est, ipsum quoque bonum est. Cuius corruptio bona est, ipsum malum est. Unum quodque agit, secundum quod est actu. Actionis non est actio. Nihil reducitur de potentia ad actum, nisi per aliquod ens in actu. Actus non tollit potentiam, sed perficit. Esse est propter Operari. Essentiae sunt in indivisibili. Eadem est ratio totius et partis. Idem est principium constituens rem in Esse proprio, et distinguens eam a quolibet alio. Omne quod est, dum est, necesse est esse. Omne prius dicit ordinem ad posterius. Necesse est, ut quidquid est, alicubi sit. Idem est sibi ipsi aequale. Quae eidem aequalia sunt, et inter se sunt aequalia. Si ab aequalibus demimus aequalia, residua sunt aequalia. Omnis numerus est aut par aut impar. Indivisibile additum indivisibili non facit maius. Omne ens aut substantia est aut accidens. Accidens supponit ens, substantia facit. Nihil accidit alicui, priusquam sit, sed postquam est. Substantia non fit ex non-substantiis.

Verum vero non est contrarium. Contrariorum eadem est ratio. Contrariorum contrariae sunt causae. Contrariorum eadem est scientia. Posito uno contrariorum tollitur alterum. Contradictio in adiecto seipsam dirimit. Qui nimium probat, nihil probat. Duplex negatio affirmat. Facta non probantur. Quaerere rationem et Dimittere sensum infirmitas est quaedam intellectus. Deus et natura nihil faciunt frustra. Frustra fit pluribus, quod fieri potest paucioribus. Entia non sunt multiplicanda sine necessitate. Frustra est potentia, quae non potest redigi in actum. Quod abundat, non vitiat. Bonum est, quod omnia appetunt. Omne ens est bonum. Bonum est communicativum sui. Bonum naturaliter prius est quam malum. Si finis est possibilis, possibilia sunt media. Posita intentione finis eligenda sunt media. Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu. Virtus est dispositio perfecti ad optimum. Nihil volitum nisi praecognitum. Ignoti nulla cupido. Quidquid repugnat consequenti, repugnat antecedenti. Denominatio fit ab actu. Esse est melius quam Non-esse. Magis et minus non mutant speciem. Obiecta priora sunt potentiis et operationibus (i. e. secundum intentionem). Quodlibet est aut non est. Proprium sequitur et arguit naturam.

S. I., Principia generalia scientiarum. Colon. 1658. Inter sententias, quae sequuntur, reperies, quae ambiguitate laborant et distinguentis ingenii acumen postulant.

158. Theoremata esse possunt: Abstrahentium non est mendacium. Uno absurdo dato sequuntur plura. Ab impossibili sequitur quodlibet. Accessorium non vitiat naturam sui principalis. Accidentia primo insunt substantiis singularibus. Accidens de subiecto in subiectum migrare non potest. Accidens est entis ens. Accidens uni, alteri non est substantia. Quod advenit enti in actu, est accidens. Actio in distans repugnat. Omnis actio est a proportione maioris inaequalitatis. Actiones sunt suppositorum (i. e. singularium per se existentium). Actiones omnes versantur circa singularia. Actus et potentia debent esse in eodem genere. Actus prior est potentia. Actus et potentia non constituunt multa, sed unum. Admiratio signum est ignorantiae. Sapiens non miratur. Agens et patiens debent esse simul. Agentia naturalia agunt uniformiter. Omne agens naturale operatur secundum dispositionem subiecti. Omne agens reagendo repatitur. Omne agens intendit assimilare sibi passum. Omne agens agit, quantum est actu. Agere nobilius est quam pati. Nihil agit in corruptionem sui. Nihil agit in seipsum. Nihil agit ultra suam speciem. Modus operandi sequitur modum essendi. Appetitus ad res est, cognitio a rebus. Id, quod propter se appetitur, melius est, quam quod propter aliud.

Ars supponit naturam. Ars incipit, ubi natura desinit. Neque natura neque ars deliberat. Experientia singularium est, ars universalium. Auctoritas negativa nihil probat. Bonum et malum sunt in rebus, verum et falsum in intellectu. Defectu essentiae nihil est malum. Nemo bonus sibi soli est. Unumquemque oportet supponere esse bonum, donec probetur esse malus. Bonum commune bono privato praeferendum est. Bonum totius est bonum partium. Omne bonum particulare tendit ad complementum boni totalis. Eo res quaepiam est melior, quo peius eius contrarium. Maiori bono maius malum opponitur. In mathematicis non est bonum nec melius. Melius est facere bonum quam omittere malum. Bonum hominis est, secundum rationem esse. Nemo bonus nisi solus Deus. In bonis actus praeferendus est potentiae, non in malis.

Causae sunt sibi mutuo causae. Idem potest esse causa contrariorum effectuum. Eiusdem effectus esse possunt plures causae. Diversorum effectuum diversae sunt causae. Causae secundae non agunt nisi motae a prima. Quidquid est in effectu, est in causa. Qui rem facit, est opus quodammodo ipsum. Qui trahit truncum, trahit ramos. Qui dat formam, dat consequentia ad formam. A quo res habet Esse, ab eodem habet magis et minus. Non simul domus et aedificatur et corrumpitur. Quae fiunt semper vel ut plurimum, non fiunt casu. Generatio unius est corruptio alterius. Cognitio suum obiectum supponit. Res tantum est cognoscibilis, quantum est ens. Eadem sunt principia cognoscendi et essendi. Cognitio concentum postulat. In simplicibus aut totum cognoscitur aut totum ignoratur. Modus cognoscendi sequitur modum essendi. Obiecta praenoscuntur actibus, et actus potentiis. Ille nihil scit, qui nihil didicit. Nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu. Intentio est oculus mentis.

Imaginari possumus, quod volumus, non autem opinari. Intellectus extensione fit practicus. Voluntas tantam vim habet ad volendum, quantam intellectus ad intelligendum. Intellectus intelligendo fit omnia. Contraria non possunt esse simul in eodem subiecto. Contraria contrariis curantur. Ex contrariis omnia fiunt. Quidquid convenit definitioni, convenit definito. Unius rei una est tantum definitio. Dialecticus definit per formam, physicus praeterea per materiam. Determinans et determinatum sunt idem numero. Deus non facit nisi bona. Omne scitum a Deo est necessarium. Maximum creaturae ornamentum est,

creatorem imitari. Ens quanto est perfectius, tanto operatur nobilius. Omne ens habet aliquam propriam actionem. Error non potest esse scientia. Aversio initio modica a veritate, procedentibus longe fit decies millies maior. Finis est causa causarum. Suo quidque fine definitur et determinatur. Primum in intentione est ultimum in executione. Ius ad finem dat ius ad media. Nemo intendens malum operatur. Deterius semper est melioris gratia. Finis in practicis respondet principiis in speculativis. Infinito non est maius. Infinitum esse non potest ex finitis. Infinitum est, cuius semper aliquid accipere est extra. In infinitum nullus est in rebus processus. Desideria crescunt in infinitum. Rei finitae ad infinitam nulla est proportio. Intus existens prohibet extraneum.

Magnum et parvum dicuntur respective. Quidquid movetur, ab alio movetur. Movens et motum sunt simul. Prius est movere quam moveri. Motus non fit in instanti. Natura refugit imperfectum. Natura non deficit in necessariis. Natura determinatur ad unum. Natura incipit ab imperfectioribus. Opus naturae est opus intelligentiae. Natura uno ad plura utitur. Natura delectatur paucissimis. Ex necessario sequitur necessarium. Necessitas legem non habet. Perfectum prius est natura imperfecto. Infimum supremi perfectius est supremo infimi. Medium est nobilius extremis. Potentia cognoscitur ex operationibus. Quidquid potest virtus inferior, potest etiam superior. Qui potest id, quod est maius, potest etiam id, quod est minus. Primum in unoquoque genere est causa reliquorum. Primum in unoquoque genere est mensura ceterorum. Idem non potest esse principium oppositorum. Eiusdem rei non debent esse plura principia. Contra negantes principia non est disputandum. Principium meriti non cadit sub meritum. Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur. Scientia omnis supponit sua principia. Omnis scientia virtute continetur in suis principiis. Singularium non est scientia. Scientia scientiam confirmare debet. Nihil scitur nisi verum. De ente per accidens non est scientia. Quemadmodum se habet scientia ad scibile, ita se habet sensus ad sensibile. Simile non agit in sibi simile. Quidquid fit, fit a sibi simili. Quod de uno similium valet, valet de ceteris. Simile simili gaudet. Simpliciora sunt priora. Quo simplicius, eo melius. Totum est, cui nihil deest. Totum non cognoscitur ignoratis partibus. Totum capit naturam suarum partium. Et pars est in toto, et totum in suis partibus. Unumquodque resolvitur in ea, ex quibus constat. Qui totum dicit, nihil excludit. Omnis pars naturaliter plus diligit totum quam seipsam. Unum est indivisibile. Idem est principium unitatis et identitatis. Ex ente et ente fit unum per accidens. Verum vero non est contrarium. Veritas consistit in indivisibili. Multa videntur et non sunt. Si id, quod minus verisimile est, verum est, erit etiam id, quod est magis verisimile. Cum veris vera conspirant, a falsis cito discrepant[1]. Violentum nullum perpetuum.

159. „Maximis" annumerari possunt: Affirmanti incumbit probandi onus. Nihil tam est absurdum, quod non inveniat patronum. Prior tempore potior iure. Consuetudo est altera natura. Anima magis est, ubi amat, quam ubi animat. Impar invenitur ad singula, qui confusa mente dividitur ad multa. Accusans melior vult esse eo, qui accusatur. Denominatio fit a potiore. Ne-

---

[1] Id ab Aristotele hoc modo dicitur: Δεῖ πᾶν τὸ ἀληθὲς αὐτὸ ἑαυτῷ ὁμολογούμενον εἶναι πάντῃ. (L. 1 analyt. pr. c. 32, 47 a, 8.) Τῷ μὲν γὰρ ἀληθεῖ πάντα συνᾴδει τὰ ὑπάρχοντα, τῷ δὲ ψευδεῖ ταχὺ διαφωνεῖ. (L. 1 eth. Nic. c. 8, 1098 b, 11.)

cessitas non habet legem. Unica auri uncia praestat omni plumbo possibili. Arbitrum oportet utriusque partis causam cognoscere. Ars non habet osorem nisi ignorantem. Virtus est in medio. Bene vixit, qui bene latuit. Bonus vir semper tiro. Dimidium facti, qui bene coepit, habet. Docendo discimus. Duo si faciunt idem, non est idem. Errare humanum est. Non vocabulorum opificem, sed rerum inquisitorem, oportet esse sapientem. Plus valet decem bonorum virorum sententia quam totius multitudinis imperitae. Ex ungue disce leonem.

Homo sum, humani nihil a me alienum puto. Longum est iter per praecepta. Multum, non multa. Non scholae, sed vitae discimus. Qui proficit in litteris et deficit in moribus, plus deficit, quam proficit. Qui tacet, consentire videtur. Quot capita, tot sensus. Principiis obsta, sero medicina paratur. Quid sit futurum cras, fuge quaerere. Trahit sua quemque voluptas. Naturam expellas furca, tamen usque recurret. Vis consilii expers mole ruit sua. Audiendo magis quam legendo recreatur homo. Communia non curantur. Melior est testis oculatus unus quam auriti decem. In repentinis actio fit ex praeexistente habitu. Superbiae est, nunquam velle mutare consilium. Nemo bene iudicat in causa propria. Etiam post malam segetem serendum est. A constantia alienum non est servire tempori. Qui claudo cohabitat, claudicare discit. Optima discuntur ab optimis. Bona distinctio est difficultatis solutio. Solvere vinculum nemo potest, qui nodum ignorat. Dubitatio primus ad scientiam gradus est. Qui non dubitat, ille aut nihil scit, aut omnia intelligit. Annosa vulpes non facile capitur laqueo. Antiquissimum quodque verissimum est. Vox populi vox Dei. Imprudentis est, niti contra torrentem. Qui cito credit, cito decipitur. Homo est parvus mundus. Non omnes, qui habent citharam, sunt citharoedi. Omnis peccans est ignorans. Affectus animi sequuntur apprehensionem phantasiae. Melior est exercitus cervorum duce leone quam leonum duce cervo. Nemo damnari debet, antequam audiatur. Quilibet iudicat, prout affectus est. Loquendum ut multi, sapiendum ut pauci. Veritatis est simplex oratio.

Opinionibus prudentum assentiendum ut demonstrationibus. Pueri magis sequuntur, quae vident, quam quae audiunt. Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt. Arcus semper intentus rumpitur. Omnia praeclara tam difficilia quam rara. Amissum quod nescitur, non amittitur. Sapientis est, non disceptare de nominibus. Eventus stultorum magister est. Indisciplinati est, quaerere argumenta, ubi argumenta non requiruntur. Sensus fenestrae sunt animae. Sensus non delectatur extremis. Similitudo est causa deceptionis. Quales amicos quisque habet, talem esse scias. Nulla re magis quam desperatione desipimus.

Exemplorum non requiritur veritas, sed claritas. Laboriosa sunt figmenta mendacii. Veritas odium parit. Ubicunque est violentia, ibi est etiam renitentia. Omne nimium vertitur in vitium. Virtus pressa prementem opprimit. Virtus unita fortior seipsa dispersa. Caecus non iudicat de coloribus. Novis rebus inventis nova licet invenire vocabula. Metaphorae non sunt adhibendae in doctrina demonstrativa. In usu loquendi vulgi consuetudo servanda est. Discere omnia certissima est ad nihil sciendum via. Cito ad naturam ficta redeunt suam. Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest. Discipulus est prioris posterior dies. Nimium altercando veritas amittitur. Nisi per te sapias, frustra sapientem audias. Quod quisque amat, laudando commendat sibi. Pares cum paribus facillime congregantur. Sequitur patrem sua proles. Quem saepe transit casus, tandem invenit. Antiqua est veritas, novitium et temporale mendacium. Fallunt homines saepe, falluntur saepius, saepissime se falli nesciunt.

Laborant homines in discendo, et brevia non valent intelligere, et prolixa non amant legere. Illud, quod ignorat medicina, non curat. Proprium humani ingenii est, odisse, quem laeseris. Decipit exemplar vitiis imitabile. Amans, quid cupiat, nescit; quid sapiat, non videt. Etiam capillus unus habet umbram suam. Iucundum nihil est, nisi quod reficit varietas. Ne quaeras lanam ovis a capra. Stultus ut luna mutatur. Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis, acescit. Est captu facilis turbata piscis in unda. Multi rixantur de lana saepe caprina. Ex hoc absurdo, quod Deum non cognoscas, sequitur hoc absurdius, quod nec ames, et illud absurdissimum, quod in aeternum ab illo separatus esse velis.

160. Inductio, analogia, hypothesis. Hactenus quidem de argumentationibus deductivis diximus, quae sunt argumentationes vi huius vocis pressius accepta, in quibus particulare quidpiam ex universalioribus accurate deducitur. Sunt praeterea etiam aliae argumentationes, quibus aliqua res probari possit.

Inductio (ἐπαγωγή) est argumentatio, per quam de subiecto universali concludimus id, quod de inferioribus eius singulatim experientia docente affirmavimus vel negavimus (n. 105); velut: *Senes, viri, iuvenes, adolescentes, pueri, infantes moriuntur. Ergo omnis aetas moritur.*

Analogia (vel potius argumentatio ex analogia) ea est operatio, qua ex observatis et cognitis ad non observata atque ignota propter similitudinem concludendo pervenimus. Ad analogiam referuntur quasi duae species: similitudo et exemplum (παράδειγμα). Similitudinem adhibemus, quum proprietates vel effectus vel causas unius analogi ex iis, quae alterius sunt, cognoscere volumus, velut quum quis ex conditionibus, quae ad *navem* recte gubernandam in nauarcho requiruntur, conditiones colligit, quae ad rempublicam administrandam sint necessariae. Exemplo ab una re gesta ad aliam similem ob paritatem rationis congruo modo concludimus; sicut illud Augustini: *Potuerunt illi et illae; ergo et tu poteris.* Quod si res non facta, sed ad iuvandum intellectum ficta sit, exemplum parabola dicitur.

Ad argumentationem ex analogia reducitur etiam illa, quae a proportionalitate trahitur, qua ab una proportione nobis nota aliam proportionem non compertam inferimus.

Hypothesis est propositio, cuius veritas nondum demonstrata est, quae tamen interim sumitur tamquam vera, quia aliqua facta commode explicat.

Sed harum rerum diligens explicatio aliud in tempus differenda est.

In omni autem argumentandi genere a petitione principii cavendum est et a circulo vitioso. Petitionem principii committit, qui tanquam principium argumentationis ponit, quod probandum est, ita ut idem propter idem ostendatur. In circulo vitioso ille versatur, qui duarum, quae probandae sunt, propositionum priorem posteriore probat, probaturus deinde hanc posteriorem illa priore.

Sed de argumentationis vitiis paulo accuratius dicendum est.

161. **Fallacia vel sophisma.** Fallacia apud logicos vocatur argumentationis vitium. Hoc vitio infecta argumentatio sophisma vocatur, si veri speciem prae se fert, et sub veri specie adhibetur, ut ad falsum et absurdum incauti adducantur. Et fallaciae partim in verbis, partim in rebus habent fundamenta.

Praecipua verborum vel dictionis (παρὰ τὴν λέξιν) sophismata sunt haec:

1º Aequivocatio (ὁμωνυμία) est unius nominis diversa significatio, velut quum quis hoc modo concludit: *Taurus mugit. Atqui Taurus est mons. Ergo mons mugit.*

2º Amphibologia sive ambiguitas non unius vocabuli, sed orationis ambiguitate nititur, quod in antiquis paganorum oraculis saepe contigisse legimus; velut quum Pyrrho quaerenti, possetne Romanos superare, responsum est: *Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse;* id quod et Pyrrhum a Romanis victum iri, et Romanos a Pyrrho superandos esse aeque significare potest.

3º et 4º Fallacia compositi aut divisi (σύνθεσις aut διαίρεσις) est, quum ex eo, quod secundum sensum divisum aut compositum verum est, aliud deducitur in sensu composito aut diviso falsum; velut quum dicis: *Impossibile est, vigilantem dormire. Sed Petrus vigilat. Impossibile igitur est, Petrum dormire.* Vel hoc modo: *Quicunque est bonus et est dialecticus, est bonus dialecticus. Sed Petrus est bonus et est dialecticus. Ergo est bonus dialecticus.* Vel ita: *Omnis numerus par est aut impar. Sed quinarius est numerus. Ergo quinarius est par aut impar.*

5º Fallacia accentus (προσῳδία) ex varietate pronuntiationis oritur; velut quum quis diceret: *Qui leporem (in silvis) quaerit, plurima loca lustrat. Sed tu domi sedens (in verbis) quaeris leporem. Ergo tu domi sedens plurima lustras loca.*

6º Fallacia figurae dictionis (σχῆμα τῆς λέξεως) est deceptio inde proveniens, quod aliqua dictio, alteri dictioni similis, eundem modum significandi habere videtur, nec tamen habet; velut quum argumentaris: *Poëta declinationem primam sequitur. Sed Virgilius est poëta. Ergo Virgilius declinationem primam sequitur.*

162. Praecipua autem rerum vel ratiocinii sophismata (ἔξω τῆς λέξεως) sunt haec:

1° Fallacia accidentis (παρὰ τὸ συμβεβηκός) est, quum id, quod de adventicio ad subiectum attributo dicitur, etiam ad ipsum subiectum trahitur; velut quum quis dicit: *Hominem, qui sub velo latet, non cognoscis. Sed sub velo est mater tua. Ergo non cognoscis matrem tuam.* Vel: *Risibile est proprietas. Sed homo est risibilis. Ergo homo est proprietas.* Vel: *Hic homo ebrius est. Ergo est ebriosus.* Vel: *Scientia saepe male abutuntur homines. Ergo scientiae anteponenda est ignorantia.*

2° Transitus a dicto simpliciter ad dictum secundum quid (τὸ ἁπλῶς ἢ μὴ ἁπλῶς), et contra; quae fallacia eo committitur, quod de re absolute et omni ratione enuntiatur, quod illi una tantum ratione convenit, aut contra; velut quum quis dicit: *Homo mortalis est. Ergo etiam anima humana mortalis est.* Vel: *Petrus in arte saltandi doctus est. Ergo est doctus.* Vel: *Carnes manducare non nocet. Ergo non nocet aegroto.* Vel: *Ecclesia nos certis diebus vesci carnibus vetat. Ergo a carnibus abhorret.*

3° Fallacia ignorationis elenchi (ἡ τοῦ ἐλέγχου ἄγνοια), qua quis dicitur ignorare redargutionem sive reprehensionem (ἔλεγχον), quae adversario recte opponi debeat. Is igitur hoc vitio notatur, qui non bene statuit propositionem, quam ipse tueatur contra adversarium, quo fit, ut loco rei redarguendae vel demonstrandae res alia substituatur, quae redarguenda vel substituenda non est. Haec igitur fallacia falsam contradictionis apparentiam adhibet, et inde oritur, quod vera contradictionis elementa negliguntur. Peccant heterodoxi ignoratione elenchi, quum Ecclesiam Christi sanctam non esse arguunt eo, quod sint Christiani, qui sancti non sint; vel quum Catholicos idololatriae accusant eo, quod hi putent, Sanctos veneratione dignos esse.

4° Fallaciam petitionis principii (τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν. αἰτεῖσθαι) esse diximus, quum quis ex ea re, quae ut probanda in quaestione est, in probatione ut ex probationis principio proficiscitur, vel quum ad probandam rem ignotam alia res aeque nota vel potius ignota assumitur. Huc quoque circulus vitiosus spectat, quem ab illo committi diximus, qui probat posterius quidpiam per prius, et deinde hoc prius per idipsum posterius, velut quum quis in eadem quaestione, et contra eosdem adversarios disputans, probaret, esse Deum, inde, quod sint corpora; et esse corpora, inde, quod sit Deus.

5° Fallacia consequentis (παρὰ τὸ ἑπόμενον) committitur, quum quis ex consideratione posita infert, quod falsum est; velut quum quis dicit: *Si Socrates currit, movetur. Sed movetur. Ergo currit.* Vel: *Si aliquid est generatum, habet principium. At spiritus non est generatus. Non igitur habet principium.* Quae fallacia ideo contingit, ut dicit Aristoteles, „quia nonnulli putant, reciprocari consecutionem; quando hoc est, etiam putant, si hoc sit, etiam alterum necessario esse. Unde etiam in opinione ex sensu deceptiones fiunt; saepe enim mel pro felle accipimus, quia melli consequens est flavus color; et quoniam accidit, ut terra, quum pluit, madefiat, etiam pluisse existimamus, si madida sit terra“ [1].

6° Fallacia a non causa ut causa (τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον τιθέναι) fit, quum ut alicuius effectus causa aliquid sumitur, quod causa non est; velut quum quis argumentatur: *Homines post simias in hoc mundi theatro orti sunt. Ergo ex simiis originem ducunt.* Vel: *Aliquae civitates Ecclesiae Dei rebelles opibus floruerunt. Ergo discessio ab Ecclesia est fons et origo felicitatis.* Et haec fallacia etiam committitur, quum conclusionis alicuius falsitas, quae ex aliqua praemissarum falsa provenit, alii verae tribuitur. Quod accidere potest, quum quis argumentatur ita: *Si nullum tempus esset, nox non esset. Si nox non esset, dies esset. Si dies esset, aliquod tempus esset. Ergo si nullum tempus esset, aliquod tempus esset.*

7° Fallacia interrogationis multiplicis per modum unius (τὸ τὰ πλείω ἐρωτήματα ἓν ποιεῖν), quod sophisma exstruitur quum interrogationes complures, quibus diversa responsa sunt danda, proponuntur simul ad modum unius, ita ut incautus, qui simpliciter negat, aut simpliciter affirmat, erroris arguatur. Quae stultitia in scriptis vix accidit, facilius tamen in disputationis aestu accidere potest [2].

Atque haec quidem de sophismatis satis. Sunt praeterea fallaciae variae, quae ex falsa argumentandi ratione originem ducunt. Ita inductio vitiosa est per „fallaciam fictae universalitatis“, quum quis pluribus vel omnibus tribuit, quod paucioribus individuis accidentaliter contingit, quasi ex uno discere omnes semper liceat. Cuius generis sophisticationem haud raro committunt; velut quum dicunt: *Sunt homines, qui sub pietatis specie vitam turpissimam agant. Ergo pietas omnis hypocrisis est.* Enu-

---

[1] Περὶ σοφιστικῶν ἐλέγχων sive de apparentibus redargutionibus. C. 5, 167 b, 1.

[2] Singularum fallaciarum exempla collegit Fries, System der Logik § 109.

meratio fallax fit, quum post enumeratas complures partes id toti integro tribuitur, quod solum enumeratis partibus convenit; velut quum quis dicit: *Anser, anas, cygnus natandi usum habent. Ergo omnes aves natantes sunt.* Transitus falsus de genere ad genus committitur, quum quis ab uno rerum ordine ad alterum ordinem plane diversum velut a pari concludit, velut quum dicit: *Mammalia pullos vivos pariunt. Ergo idem de avibus est putandum.* Exponere autem omnes fallendi rationes, et qua diligentia utendum sit ad cavendum ab omni sophismatis genere, declarare, neque hoc loco propositum nobis esse potest, neque est necessarium. Veniamus ad alia.

163. Argumentationis quaedam formae, quae a syllogismo simplici diversae sunt. Praeter syllogismum simplicem et communem, de quo pro huius loci opportunitate satis diximus, aliae etiam argumentandi formae occurrere solent.

1. Syllogismus conditionalis est, cuius maior propositio partes duas habet particula „si" inter se coniunctas, quae antecedens et consequens vocari solent[1], minor autem propositio alterutram harum partium aut negat aut affirmat. Ita dices: Si ponitur antecedens, ponitur consequens. Atqui ponitur antecedens. Ergo ponitur consequens. Vel hocce modo: Si ponitur antecedens, ponitur consequens. Atqui tollitur (i. e. non ponitur) consequens. Ergo tollitur antecedens.

De conditionali autem syllogismo regulae duae sunt constitutae: 1º Affirmata conditione conditionatum affirmandum est; at non contra affirmato conditionato etiam conditio affirmanda erit. Nam conditionatum, quod ponitur, etiamsi sequatur necessario conditione posita, sequi etiam potest ex alia et diversa conditione. Si quis igitur dicit: *Si multum curris, fatigaris;* inferre licet: *Atqui multum curris. Ergo fatigaris;* at non licet concludere: *Atqui fatigaris. Ergo multum curris.* Nam etiam alia ex causa quis fatigari potest.

2º Negato conditionato conditio neganda est; at non contra propter ipsam negatam conditionem iam ipsum conditionatum negandum erit. Id enim ob aliam etiam rationem praeter eam, quae in conditione exprimitur, verum esse potest. Si igitur dicis: *Si iste homo furatur, dignus est, qui in carcerem mittatur;* iam sequitur:

[1] Propositio maior conditionalis ab antiquis Aristotelicis vocabatur τὸ συνημμένον; a Stoicis τὸ τροπικόν, cuius membra essent τὸ ἡγούμενον et τὸ λῆγον vel τὸ ἑπόμενον. Propositio minor absoluta ab illis μετάληψις, ab his πρόσληψις; conclusio ab illis συμπέρασμα, a Stoicis ἐπιφορά nominabatur.

Atqui iste homo ea poena dignus non est. Ergo non est fur. Sed falsa est conclusio: *Atqui dignus est, qui ponatur in carcere. Ergo est fur.*

Scholion. Quum conditio, quae enuntiatur, est unica, sub qua conditionatum verum esse potest, si igitur habet eam vim exclusivam, quae addita particula solummodo vel simili ratione exprimi potest, iam id fieri potest, quod in utraque regula prohibebatur. Affirmato enim conditionato etiam conditio affirmanda est; et negata conditione conditionatum negandum erit; verum id non propter propositionem explicite positam, sed propter propositionem in hac implicite inclusam. Posita enim conditione, quae est unica, propositio, quae ponitur, his duabus aequivalet: Si est A, est B; et si non est A, non est B. Itaque continet implicite propositionem, ex qua id, quod diximus, legitime inferri potest. Atque haec hoc loco satis sint.

164. 2. Syllogismus disiunctivus est ille, cuius propositio maior complura subiecta vel attributa continet, quae particula aut disiunguntur, ut: *Aut Christus fallitur, aut mundus errat. Sed fieri non potest, ut divina fallatur sapientia. Ergo mundus errat.* Vel: *Tu aut moveris, aut non moveris. Atqui moveris. Ergo non non moveris.* Ad legitimam eius consequentiam disiunctio ita completa esse debet, ut non sit tertium vel aliud praeter membra indicata. Atque recta erit conclusio secundum figuram duplicem: primo, ut, una parte affirmata in minore, reliquae in conclusione negentur copulatim; deinde, ut, una parte negata in minore, reliquae in conclusione affirmentur disiunctive.

3. Syllogismus coniunctivus ille est, cuius maior est propositio, quae negat duas enuntiationes simul posse esse veras. Itaque affirmato quocunque membro in minore, reliqua in conclusione negentur necesse est. Unde recte concludis: *Nemo potest simul Deo servire et mammonae. Avarus servit mammonae. Ergo avarus non servit Deo.* Sed falso quis concluderet: *Atqui prodigus non servit mammonae. Ergo prodigus servit Deo.*

165. 4. Enthymema (ἐνθύμημα) est syllogismus ex probabilibus et signis confectus; velut: *Liberi parentes amant. Atqui Petrus est filius Andreae. Ergo Petrus Andream amat.* In eius generis syllogismis propositio maior solet esse veritas inter homines omnino nota et ab omnibus admissa, unde saepenumero verbo non exprimitur, sed subauditur tantum. Inde enthymematis vox translata est ad significandum syllogismum quemlibet incompletum sive

decurtatum[1], cuius videlicet praemissa una propter facilitatem mente retinetur neque ore exprimitur; velut quum quis dicit: *Anima humana spiritualis est. Ergo est immortalis.* Vel: *Sol quiescit. Ergo terra movetur.* Praemissa verbis expressa antecedentis nomen sibi servat.

Scholion. Et multifariam falsitas occultata sub forma „enthymematum" quotidianum vitae usum regere solet. Cuiusmodi sunt: Hoc placet sensui; ergo faciendum. Hoc molestum; ergo omittendum. Hoc infeliciter; ergo imprudenter et male factum. Hoc felicem eventum habuit; ergo bene factum. Hoc laudatum ab hominibus; ergo bonum. Hic vel ille dixit; ergo verum. Ego hoc dixi; ergo infallibile. Odi istum; ergo pessimus est. Erga illum iucunde afficior; ergo bonus est. Cupio hoc ita esse; ergo est. Ille pulchre dicit; ergo verum est, quod dicit. Hoc non apparet; ergo non est. Ego non intelligo; ergo non est verum.

5. Epichirema (ἐπιχείρημα, aggressio) apud logicos idem plane est atque enthymema[2] (syllogismus probabilis). Itaque omnem argumentationem probabilem significat, quae non certitudinem parit, sed opinionem tantum. Quae argumentatio quum debilior sit, quam quae rem aliquam ex se sola evincere et certo stabilire possit, a dialecticis et magis etiam a rhetoribus fulta est additis rationibus, quo efficacius adversarius impeti possit atque superari. Atque ita effectum est, ut epichirema apud rhetores significet argumentationem

---

[1] Hac de re Trendelenburg: „Enthymematis nomen si qui inde ducunt, quod propositio vel assumptio ἐν θυμῷ (animo) retineatur, quum ab origine Graeca, tum ab Aristotelis usu discedunt. Verius igitur I. Facciolati putat, enthymema dici, quia sit sententia quaedam seu commentatio mentis nostrae quaerentis in re aliqua, quid vero consentaneum sit et ad persuadendum accommodatum; esse enim ἐνθυμεῖσθαι versare animo, cogitare, commentari." Elementa logica § 37.

[2] Ἔστι δὲ φιλοσόφημα μὲν συλλογισμὸς ἀποδεικτικός, ἐπιχείρημα δὲ συλλογισμὸς διαλεκτικός, σόφισμα δὲ συλλογισμὸς ἐριστικός, ἀπόρημα δὲ συλλογισμὸς διαλεκτικὸς ἀντιφάσεως. Arist. l. 8 top. c. 11, 162 a, 15. Passim distinguere solet Aristoteles 1° φιλοσόφημα, quod est συλλογισμὸς ἀποδεικτικός sive syllogismus scientificus, quia ex propositionibus veris et certis et causam conclusionis exhibentibus conclusionem infert, quae scientiam gignat. — 2° ἐπιχείρημα, quod est συλλογισμὸς διαλεκτικός sive syllogismus inquisitorius, quia ex propositionibus probabilibus procedit et a dialecticis in disputando adhibetur ad inveniendam veritatem. — 3° σόφισμα, quod est συλλογισμὸς ἐριστικός sive syllogismus contentiosus, quia constat ex praemissis, ex quibus videtur sequi conclusio, sed non sequitur, et quia solum ad inutiles altercationes inservit. — 4° ἐνθύμημα, quod est συλλογισμὸς ἐξ εἰκότων ἢ σημείων sive syllogismus ex verisimilibus et signis, quia ex propositionibus probabilibus et signis certis vel probabilibus conclusiones oratorias infert, quae accusationes vel defensiones auditoribus credibiles reddant. Ex hoc fine enthymema ab Aristotele etiam vocatur syllogismus rhetoricus. Cfr. l. 2 anal. prior. c. 27; l. 1 rhet. c. 2.

probabilem ex pluribus argumentis constantem, et praecipue eam, in qua alterutri praemissae vel etiam utrique sua ratio subnectitur; velut quum quis dicit: *Scientia omnis utilis est, quia intellectum perficit. Atqui logica est scientia, quia certis principiis docet cognoscere verum. Ergo logica est utilis*[1].

6. Polysyllogismus vel syllogismus concatenatus est syllogismorum catena sive argumentatio, in qua uni syllogismo alter ita coniungitur, ut conclusio praecedentis sit loco praemissae syllogismi sequentis. Qui praecedit, prosyllogismus vocatur; qui sequitur, episyllogismus. Progressus a prosyllogismo ad episyllogismum (a principiis ad principiata) dicitur syntheticus vel episyllogisticus, regressus ab episyllogismo ad prosyllogismum vocatur analyticus vel prosyllogisticus.

7. Sorites (σωρείτης), gradatio sive, ut Tullius interpretatur, acervalis[2], est propositionum series ita connexarum, ut identidem praedicatum praecedentis fiat subiectum sequentis, donec formetur conclusio, in qua subiectum primae cum praedicato ultimae coniungatur; ut quum quis dicit: *Qui bene vivit, bene moritur. Qui bene moritur, salvabitur in iudicio. Qui salvabitur in iudicio, aeterna fruetur beatitudine. Ergo qui bene vivit, aeterna beatitudine fruetur.* Quae gradatio ut recta sit, requiritur, ut ne una quidem praemissa falsa sit vel dubia; ut praedicatum propositionis praecedentis, dum in locum subiecti propositionis insequentis transfertur, eandem plane vim et significationem retineat. Cavendum igitur est, ne inter propositiones affirmantes ulla intermisceatur, quae revera sit negativa (nisi forte conclusionem negantem praecedat immediate).

166. 8. Dilemma est argumentatio, in qua duobus membris adversario disiunctive propositis, ex utroque aliquid contra ipsum concludi ostenditur; unde hoc ipsum absolute concludendum esse infertur; ut est illud Tertulliani adversus Traiani decretum: *Aut nocentes sunt Christiani, aut innocentes: si nocentes, cur inquiri prohibes? si innocentes, cur delatis poenam irrogas?*

---

[1] „Absolutissima et perfectissima argumentatio est ea, quae in quinque partes est distributa: propositionem, rationem, rationis confirmationem, exornationem, complexionem.“ Auctor rhet. ad Heren. l. 2 c. 18. Cfr. Quintil., Instit. orat. l. 5 c. 10.

[2] „Soritas hos vocant, quia acervum efficiunt uno addito grano. Vitiosum sane et captiosum genus.“ (L. 2 Academ. prior. c. 16.) „Vitiosi sunt soritae. Frangite igitur eos, si potestis, ne molesti sint.“ (L. c. c. 29.)

In adhibendo dilemmate tres sunt servandae regulae:

1° Disiunctio sit completa; si enim tertium sit praeter illa, quae cum disiunctione sunt proposita, adversarius hoc tertio membro addito effugium habebit.

Quod vitium invenitur in dilemmate prolato ab OMAR: *Libri bibliothecae Alexandrinae aut continent eadem, quae Alcoran, aut contraria; si eadem, inutiles sunt et tradendi flammis; si contraria, mali sunt et iterum tradendi flammis.*

2° Quod infertur, ex suo membro certo et legitime profluat.

Si ita argumentaris: *Aut animus perit cum corpore, aut post mortem erit superstes. Si perit, mors non est timenda, quum nihil sentiat amplius. Si manet superstes, mors iterum timenda non est, quum vita sit futura beata;* utraque illatio ab adversario negabitur. Nam si animus cum corpore peribit, dolores gravissimi ipsam mortem comitari poterunt; si animus erit superstes, miseria aeterna mortem subsequi poterit. Ex neutra ergo hypothesi sequitur, mortem non esse timendam.

3° Ne sit reciproca disiunctio. Reciproca erit, quum adversarius eadem enuntiatione disiunctiva uti, atque ex ipsius membris aliquid adversus proferentem concludere potest.

Unde male quis dissuaderet amico, ne munus in civitate obiret, argumentans ita: *Aut bene officium geres, aut male; si bene, displicebis hominibus; si male, Deo.* Retorqueri enim potest argumentatio: *Aut bene geram, aut male; si bene, placebo Deo; si male, hominibus.* Quo captioso dilemmatis genere PROTAGORAM usum esse legimus, qui a discipulo suo EUATHLO ex convento mercedem disciplinae accepturus erat, si is ex causa prima coram iudice victor evasisset. Quum autem lis prima de hac ipsa solvenda mercede instituta esset, *Aut pro me,* inquit PROTAGORAS, *dicent iudices, aut pro te; si pro me, solves ex sententia iudicum; si pro te, solves ex inito pacto.* Cui EUATHLUS: *Aut pro me dicent iudices, aut pro te; si pro me, nihil solvam ex eorum sententia; si pro te, nihil solvam ex condicto.*

Dilemma si totum integrum verbis exprimitur, quattuor propositionibus constat; id quod ex hoc dilemmate apparet, quo quis Scepticos, qui negant ullam veritatem certo a nobis cognosci posse, bene confutare potest: *Aut possibilis est certitudo, aut non est possibilis. Si est possibilis, male dicitis, quia falsum dicitis. Si non est possibilis, non minus male dicitis, quia aliquid saltem pro certo affirmatis. Tacendum ergo est vobis. Quidquid enim dixeritis, male dicetis.* Sed raro dilemma tanta extensione proponitur, quum quo brevius, eo fortius argumentum esse soleat. A S. HIERONYMO[1]

[1] In epist. ad OCEANUM.

dilemma „syllogismus cornutus“ vocatus est. Quodsi propositio disiunctiva tribus, quattuor, pluribus membris constat, argumentatio nomen trilemmatis, quadrilemmatis, polylemmatis accipit.

167. **Exempla argumentationis falsae.** Ex iis, quae exposuimus, facile quis videt, quo vitio hae argumentationes infectae sint: Aliquis homo est albus; atqui Aethiops est aliquis homo; Aethiops ergo albus est. — Id, quod ex longinquo video, potest esse homo; atqui plaustrum est, quod ex longinquo video; ergo plaustrum potest esse homo. — Si cani meo amputatum est caput, vivere desiit; atqui vivere desiit; ergo amputatum est ei caput. — Quae variae organismorum species per descendentiam ex communi stirpe originem habent, eae inter se similes sunt; atqui homo, simia, cetus inter se similes sunt; ergo ex communi stirpe per descendentiam ortum duxerunt. — Si Socrates mentitus est, vixit; atqui Socrates nunquam mentitus est; ergo nunquam vixit.

Qui multum bibit, bene dormit; atqui qui bene dormit, non peccat; ergo qui multum bibit, non peccat. — Animal est genus; atqui homo est animal; ergo homo est genus. — Quod emisti, comedisti; atqui emisti carnes crudes; ergo carnes crudes comedisti. — Avis est animal; atqui felis non est avis; ergo felis non est animal. — Canis latrat; sed canis stella est; ergo stella latrat. — Duo et tria sunt minus quam quattuor; sed duo et tria sunt quinque; ergo numerus quinarius est minor quaternario. — Musicus non est ens naturale; sed Petrus est musicus; Petrus igitur non est ens naturale. — Duo et tria sunt par et impar; sed duo et tria sunt quinque; ergo quinque est par et impar. — Asinus est pater; sed asinus est tuus; ergo asinus est tuus pater. — Cicero aut amisit cornua aut non amisit; si amisit, habuit; si non amisit, retinuit. — Aut pluit, aut non pluit; atqui non pluit; ergo pluit. — Quidquid est Aristotelis, possidetur ab Aristotele; sed iste liber est Aristotelis; ergo ab Aristotele possidetur. — Qui sanabatur, sanus est; atqui aegrotus sanabatur; aegrotus ergo sanus est. — Mus est monosyllabum; atqui mus rodit caseum; ergo monosyllabum rodit caseum. — Qui potest moveri citius, potest moveri lentius; atqui qui ex tecto cadit, cadendo moveri potest citius; ergo cadendo moveri potest lentius. — Quod ego sum, tu non es; atqui ego sum homo; ergo tu non es homo.

Spiritus est activitate praeditus; materia non est spiritus; ergo materia non est activitate praedita. (Ita Cartesius.) — Esse nihil dicis, quidquid petis, improbe Cinna: si nil, Cinna, petis, nil tibi, Cinna, nego. (Apud Martialem.) — Omne extensum est corpus; sed omne spatium est extensum; omne ergo spatium est corpus. — Quidquid cogitat, exsistit; atqui nullum corpus cogitat; ergo nullum corpus exsistit. — Qui fur est, nocte circumvagatur; atque iste nocte circumvagatur; ergo est fur. — Qui fidem iurisiurandi servat, is sancte iurat; atqui ille, qui se peieraturum iurat et peierat, is fidem iurisiurandi servat; ergo qui peierat, sancte iurat. — Quod quaeris ad cognoscendum, aut scis aut nescis; si scis, frustra quaeris; si nescis, etiam quum inveneris, non agnosces. (Ita Meno apud Platonem.) — Nullus pagus est maior urbe; atqui omne regnum est maius urbe; ergo nullum regnum est maius pago.

Nulla felis habet nonaginta novem caudas; sed una felis una cauda superat nullam felem; ergo una felis habet centum caudas. — Omne secundum sequitur immediate primum; atqui omne tertium sequitur immediate secundum; ergo omne tertium sequitur immediate primum. — Id quod nunc est Romae, nunc non

est Coloniae; sed Romae nunc est lux; ergo nunc Coloniae non est lux. — Sedens non stat; sed sedens surrexit; ergo qui surrexit, non stat. — Nullus puer fuit vir; sed omnis senex fuit vir; ergo nullus senex fuit puer.

168. **Expositio scientifica** propositionem probandam continet et propositiones probantes; et dubitationes sive aporias, et solutionem omnium, quae in contrariam partem proferri possunt. Propositio probanda ante omnem inquisitionem sub specie quaestionis cogitanti menti sese offert; a quaestione igitur faciendum semper exordium est. Deinde eae dubitationes veniunt, quae ad statuendam vim quaestionis eiusque statum clare dilucidandum sunt opportunae. His cognitis propositio probanda proposita vocula: Respondeo, vel: Dico, vel: Conclusio introducitur; quam sequuntur argumenta, in quibus adhibentur propositiones probantes. Post explicata argumenta solventur dubia initio mota, reliquisque, quae fortasse supersunt, dubitationibus lux affertur necessaria. Propositio probanda, si tanquam in disputationibus publice defendenda proponitur, thesis vocatur.

Expositio pro fine vario varia esse potest; sed praecipue sunt tres species: apodictica, elenctica, apologetica.

Prima est, quae apodictica sive probans vocatur, cuius finis est, ut alicuius propositionis veritas confirmetur et suadeatur. In qua imprimis necessarium est, ut, qui aliquid confirmare intendit, ante omnia idipsum, quod probandum est, ipse clare et distincte intelligat[1].

In omni deinde re, quam cum aliis sive voce sive scripto communicandam suscipis, esto solidus, clarus, brevis[2].

Quas dotes habebit oratio, si his regulis conformata erit:

1° Ab iis exordiendum est, quae audienti clara sunt et facilia. Non scite docet, qui primum obscura.

2° Res, in qua versari volumus, ita dividenda inprimis est easque in partes distribuenda, quae separatim a nobis commode tractari et a legente vel audiente commode excipi possint.

3° Explicandum initio est, de qua re dicere velimus; et status quaestionis, quam fieri potest accuratissime, ante oculos ponendus.

4° Magna etiam diligentia nomina et res definienda sunt, quae in quaestione occurrunt, quantum id prudenti ratione necessarium est.

5° Utendum vocibus usitatis, iisque in recepta communiter significatione adhibitis; quod si fieri non possit, addenda est explicatio.

6° Definitis terminis addantur axiomata et lemmata, quae ad probandam rem propositam videantur accommodata esse. Vel indicentur facta, res observatae, experimenta atque id genus alia, quibus res nitatur.

---

[1] „Antequam loquaris, disce.“ Eccli. 18, 19.

[2] Cfr. Ad. Contzen, S. I., Praelect. logic. n. 261.

7° Quo autem apertius intelligatur rei ostendendae vis et difficultas, saepe opportunum est, eas rationes dubitandi, quae ex ipsius rei, de qua quaeritur, visceribus sint deductae, ante breviter tangere, quam in argumentationem intremus.

8° Atque his positis ad rem ipsam veniendum est; quae tractari debet per partes sive per positiones distinctas, quarum alia ex alia sponte deducatur, semper adhibitis iis axiomatis, quae ad rem faciunt, et in se sunt probata.

9° Generaliter autem commodius est, sicut in re omni, ita in omni rei parte ab iis exordiri, quorum cognitio ad sequentium cognitionem requiritur; et quantum fieri potest, a facilioribus progredi ad difficiliora [1].

10° Si ingratam et invisam veritatem alicui persuadere et demonstrare velis, exponantur primo principia remotiora, quae rem demonstrandam continent; sed ita ponantur, ut alter finem, quo ea tendant, advertere statim non possit. Quae quum sine difficultate admiserit, progrediendum est, atque ex admissis una ex alia conclusione elicienda, dum tandem ad rem, quae sit persuadenda, ventum sit. Hoc enim modo facilius ille ad veritatem agnoscendam adduci poterit [2].

11° Positioni denique cuilibet sive thesi subiiciantur corollaria et scholia.

12° Quibus omnibus confirmatis tum, quod postremum est, diluere ea, quae contra dici poterunt, oportebit. Diluendae imprimis, quantum necesse est, rationes dubitandi initio positae. Confutandum deinde, si quid praeterea sit, quod vel contra ipsas positiones vel contra argumenta adhibita moveri possit.

169. Atque haec de primo expositionis genere, quod apodicticum est. Nunc de altero est videndum, quod redargutionem spectat [3]. Elenctica haec sive refutatio vocatur (ἔλεγχος, ἀνασκευή), quae adversam propositionem impugnat eo, quod ostenditur eius falsitas vel contradictoriae veritas [4]. In quo negotio pariter curandum est, ut sententia refutanda et accurate intelligatur, et fideliter referatur, et unde ortum duxerit, ostendatur [5]. Neque id minus de argumentis ab adversario allatis curandum est, quae singulatim sunt subruenda vel eo, quod ostendatur, desiderari in iis consequentiam, vel refutando sumptiones argumentorum, vel distinguendo eorum vim et pondus ita, ut ostendatur, quae sit vera eorum potestas, quae falsa. Ex quo apparet, disputationem elencticam sine apodictica esse vix posse.

Instantia (ἔνστασις) fieri dicitur, quum quis vim alicuius veritatis propositae negare conatur provocans ad aliquid, quod cum ea veritate componi non possit.

---

[1] Fonseca, Instit. dial. l. 7 c. 39.

[2] Cfr. Al. Havichorst, Institut. log. n. 439.

[3] Fonseca, Institut. dialect. l. 7 c. 41.

[4] Ὁ γὰρ ἔλεγχος ἀντιφάσεως συλλογισμός. (Aristot. l. 2 anal. prior. c. 20, 66 b, 11.) Ἔλεγχος δὲ συλλογισμὸς μετ᾽ ἀντιφάσεως τοῦ συμπεράσματος. (De sophist. el. c. 1, 165 a, 2.)

[5] Aristot. l. 8 topic. c. 10, 160 a, 37; l. 7 ethic. Nicom. c. 15, 1154 a, 22.

Contra errores autem aperte falsos multis disputare supervacaneum est. „Non enim requiritur ad aliquam scientiam, ut inducat rationem contra opiniones manifeste falsas et improbabiles. Nam quolibet proferente contraria opinionibus sapientis sollicitum esse stultum est.“ [1]

170. Tertia expositionis scientificae species est apologetica sive defendens, quae veritatem impugnatam contra omnes adversarias rationes tuetur; quem in finem omnia ab adversariis prolata argumenta accurate disquiruntur, diluuntur, falsa esse monstrantur.

Ac diligenter in omni expositione scientifica illud attendere oportebit, aliud esse dicere de veritate, aliud pro veritate, quamvis utrumque dicendi genus veritati inserviat. Hac de re praeclarum est apud Athenagoram: „Iis, inquit, qui operam in res huiusmodi insumunt, duplici opus arbitror esse sermone, altero pro veritate, altero de veritate; pro veritate quidem adversus incredulos aut dubitantes; de veritate ad eos, qui aequo sunt animo, et veritatem libenter suscipiunt. . . . Quantum ad demonstrationem et naturalem ordinem spectat, priores sunt semper sermones de veritate iis, qui pro veritate; quantum autem ad maiorem utilitatem, conversa ratione illis isti praesunt.“ [2] Et recte. Nam (ita locum paucis explanat Sanseverino) qui de veritate sermo instituitur, is quum omnibus hominibus ad securitatem et salutem necessarius sit, natura est et ordine et utilitate princeps. Natura quidem, ut rerum cognitionem afferens; ordine, ut in illis et simul cum illis existens, quorum est iudex et demonstrator; utilitate, ut securitatis et salutis iis, a quibus cognoscitur sequester. Qui autem pro veritate suscipitur, natura et potestate inferior est. Minus est enim, mendacium arguere, quam veritatem confirmare. Est etiam ordine posterior. Vim enim suam depromit adversus eos, qui falsis opinionibus detinentur. Falsa autem opinio ex superiecto semine et corruptione orta est. Sed tamen, quamvis haec ita se habeant, saepe praemittitur fitque interdum utilior, quippe quum eruat et ante expungat et obstrepentem nonnullis incredulitatem et insidentem iis, qui recentes accessere, dubitationem et falsam opinionem.

In omni autem expositione suscipienda tria sunt tenenda: primum, ut ipsi, omni iniqua voluntatis affectione abiecta, solo veritatis amore regamur; deinde ut animadvertatur, quae sit secundum omnes suas partes illa res, quam efficere velimus, ne maior neve minor cura in unaquaque parte suscipiatur, quam res postulet; tertium ut consideretur, qui illi sint, quibus res sit exponenda; non enim cum omnis generis hominibus eodem modo causa agenda est.

Duorum collocutio, elenctica ex una parte, apologetica ex altera, illam concertationem scientificam constituit, quae disputatio nominari solet. Qua de re mox plura.

---

[1] S. Thom. in l. 1 physic. lect. 2. [2] De resurrect. mort. n. 1.

171. **Quaedam expositiones indirectae** haud raro adhibentur non solum in refutandis erroribus, sed etiam in defendenda veritate; de quo loco pauca dicenda sunt.

Indirectum illud vocamus argumentum, quod non ex se ad thesim aliquam inferendam dirigitur, sed in quo aliud quidpiam indicatur, ex quo vel thesis colligitur, vel ea, quae thesi adversa sunt, reiiciuntur.

Inter argumenta indirecta haec sunt praecipua:

1° Argumentum ab absurdo sive ex absurda hypothesi; quo ostenditur, sumptionem thesi contradictoriam esse falsam et absurdam. Commode id ad refellendos adversarios adhibetur, et saepe ab Aristotele adhibitum videmus. Qua de re Bonitz: „In examinandis refutandisque superiorum philosophorum sententiis, qua in re multum operae ponit Aristoteles, plerumque eo utitur disputandi genere, ut non tam ipsa principia, unde profecti sunt, evertat, sed alia quaedam, quae ipsi placitorum auctores non deduxerunt, inde consequi demonstret, atque ita eos, ut aiunt logici, ad absurdum ducat.“ [1]

2° Argumentum negativum adhibemus, quum nullum ad nostram demonstrandam sententiam usurpamus, sed negamus, ullam rationem esse, quae pro sententia contradictoria afferri possit. Hoc modo onus probandi adversario imponimus eumque provocamus, ut proferat, si quid habeat, quod dici possit; velut quum quis argumentatur: Consideratis omnibus nulla apparet in re contradictio; res ergo possibilis est. Vel: Nulla est causa, qua id efficiatur; ergo id non existit. Vel: Id gratis affirmatur; ergo gratis negari potest. Vel: Auctores omnes, qui huius facti mentionem facere et potuerunt et debuerunt, de eo silent; factum ergo non est credibile.

3° Argumentum ex datis sive ad hominem efficitur, quum pro confirmanda nostra sententia principia ponimus, quae in se quidem falsa sunt vel dubia, ab adversario tamen pro veris habentur. Quod argumentandi genus potius adhibetur, ut adversarius, implicatus difficultatibus, adigatur ad nostram accipiendam sententiam, quam utile est ad nostrae sententiae veritatem ostendendam. Sic contra Mahumetanum pugnare possumus auctoritate Mahumetis.

Ad hunc locum illud etiam argumenti genus trahi potest, quo rem, de qua quaeritur, ut certam et concessam sumimus atque ad

---

[1] Considerationes criticae in libros metaphys. Berolin. 1842. § 11 p. 62.

aliquid, de quo nulla est dubitatio, pervenimus, et ex quo res, quae proposita est, colligitur.

Hanc rem advertit S. Ioannes Damascenus, hoc ponens exemplum: „Quaeratur, sitne anima humana immortalis. Quaesitum ut certum et indubitatum sumo et dico: Quandoquidem immortalis est anima, est profecto tam bonis quam improbis actionibus merces constituta. Quod si merces constituta est, sane est, qui iudicium subeat, et qui iudicis obeat partes; esse quoque, qui rebus humanis provideat, et providentiam esse necesse est. Itaque ad providentiam pervenimus, quae quidem apud omnes extra dubitationem est. Unde per disputationem ita dico: Quoniam providentia est et iudex, sunt quoque praemia et poenae. Quia autem sunt praemia et poenae, est etiam, de quo iudicium feratur. Quum ergo sit, de quo iudicium feratur, anima sit immortalis, necesse est.“ [1]

4° Retorsio argumenti fit, quum adversarium cogimus, ut ipse suum argumentum solvat, deducentes ex statutis ab ipso principiis vel extracta ab ipso conclusione, aut falsum esse, quod ipse verum dixerit, aut verum, quod ipse falsum.

5° Inversio argumenti fit, quum medium sive argumentum, quo adversarius utitur pro sua parte, invertimus ad rem nostram probandam.

6° Argumentatio per distractionem ab illo adhibetur, qui, neglecta responsione ad adversarii argumenta, eius mentem ad aliud vocat, quod iste solvere vel non potest, vel non vult; inquientes quasi: Si tu recusas, etiam mihi recusare licet. Qua argumentandi ratione pertinacibus exploratae veritatis adversariis silentium imponi potest. Atque etiam iis occurri potest, qui difficilium rerum probationi quantumvis solidae et receptae acquiescere nunquam volunt, sive propter parvitatem ingenii sive propter superbiae magnitudinem.

7° Argumentum ad ignorantiam adhibetur, quum adversarium provocamus, ut nostra solvat argumenta, vel ut proferat meliora. Qua ratione etsi pro veritate per se nihil efficitur, non tamen sine utilitate homini importuno et cavillatori occurrere possumus.

8° Argumentum ad verecundiam ille adhibet, qui adversarium pondere auctoritatis opprimere conatur, tam vehementer extollens suae sententiae auctores et patronos, ut quicunque his contradicat, superbiae vel stolidae audaciae accusandus esse videatur. Neque id sine utilitate est, quum est causa cum iis, qui revera ex aliqua arrogantiae specie veritati refragari videntur.

---

[1] Dialect. c. 68. Cfr. Roselli, Log. q. 27 a. 5.

9° Tandem quod reliquum est argumentum ad invidiam, quod vocant, vix inter philosophos adhiberi potest. Hoc enim argumento ex adversaria sententia trahuntur consectaria, quibus vulgo recepta ab hominibus persuasio offenditur, et contra adversarium exstimulatur, ita ut adversarius trahatur in odium hominum per invidiosam quandam querelam.

Haec de tribus sciendi modis; videamus reliqua.

§ 5.

De quibusdam in philosophiae studio adiumentis.

172. **Qua generatim ratione hoc studium sit instituendum.** „Omnes, inquit Tullius, trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiae cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus: labi autem, errare, nescire, decipi et malum et turpe ducimus. In hoc genere et naturali et honesto duo vitia vitanda sunt: unum, ne incognita pro cognitis habeamus, hisque temere assentiamur. Quod vitium effugere qui volet (omnes autem velle debent), adhibebit ad considerandas res et tempus et diligentiam. Alterum est vitium, quod quidam nimis magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt easdemque non necessarias. Quibus vitiis declinatis quod in rebus honestis et cognitione dignis operae curaeque ponetur, id iure laudabitur." [1]

Qui igitur ad studium philosophiae accedit, principio reminisci debet, nil sine magno vitam labore dare mortalibus.

Est enim corpus nostrum, ut hac de re monet Storchenau [2], natura sua iners, laboris impatiens, levique molestia frangitur; quo fit, ut praetermittatur labor, minuatur attentio, eorumque taedium generetur, quae longiorem industriam requirunt. Hinc morae impatientes examen notionum et iudiciorum diligentius instituendum horremus, atque ad ea tantum animum applicamus, quae sine ingenti dedecore vel magno detrimento a nobis penitus ignorari non possunt, eo plane contenti, ut in disciplinis superioribus non rudes plane et hospites habeamur. Nec ulla nos de doctrinae soliditate et perfectione cura tenet; terremur magnis auctorum voluminibus, compendia amamus eosque praecipue libellos exquirimus, qui magnificis titulis integras difficillimasque res paucis se paginis complexuros promittunt. Accedit diversa ipsius corporis constitutio, a qua ingenium, intellectus acumen, imaginationis memoriaeque vis experientia teste pendent; inde tarditas, confusio, inconstantia aliaeque, quae sunt in hoc genere animi miseriae, quibus passim homines obnoxios videmus. Morbos quoque, nervorum fatigationem, lassitudinem capitis, languorem animi studio sapientiae plurimum obesse ignotum esse non potest. Sed quid iam tot

---

[1] L. 1 de offic. c. 7.

[2] Institut. log. parte 3 c. 7 a. 231.

inter obstacula ab ipsa natura posita philosopho agendum? Rectam primum sibi corporis habitudinem tum moderato cibi potusque usu, tum interposita nonnunquam animi remissione procuret. Unde serio quidem et constanter animus ad studia adiiciendus est; nunquam tamen ultra duas horas vel legendo vel scribendo in laborem incumbendum, quin studium aliquantulo temporis intervallo intermittatur. Sapienti igitur adhibito moderamine, qui studiosus philosophiae est, paulatim continuata attentione studendi habitum acquirere conetur; sensim enim difficilis illa cum corporis pondere colluctatio mitior efficitur. „Nihil enim est tam difficile et arduum, quod non humana mens vincat, et in familiaritatem perducat assidua meditatio.“ [1]

Deinde vero discenti necessarium est, ut rerum discendarum rectus habeatur delectus.

Fugiendae igitur sunt otiosae animi circumvagationes in hac „arte longa, vita brevi“; et mens utilibus tantum rebus et iis quidem, quae humani ingenii captum non superant, contemplandis applicari debet, ne de nobis dici possit illud Senecae: „Necessaria ignoramus, quia superflua discimus.“ Unde ab omnibus philosophiae studiosis cogitanda sunt gravia illa, quae de quibusdam monet Contzen [2]. „Nonnulli, inquit, neglectis necessariis, quae muneris sui ratione scire tenerentur, inutilibus aut certe ad se non pertinentibus animum applicant; iis unice delectantur, quae magis curiositatem alunt, quam intellectum perficiunt vel verum emolumentum afferunt. Quot hac aetate iuvenes reperias, qui, in gravissimis aliquando negotiis versaturi, nihil fere minus agant, quam ut animum earum rerum solida notitia imbuant, quae illis ad munia rite obeunda aliquando erunt necessariae. Tragoediae et comoediae leges callent ad stuporem, neque quidquam novi in isto genere prodit, quod non sibi confestim comparent. At postea fortasse recreari animus levioribus illis rebus poterit; nunc autem non est his locus; nunc diligenter discenda ea sunt, quae ad res gravissimas ad salutem hominum postea ad usum applicanda erunt.“

Sed neque minus in rebus, quae utiles esse videntur, prudens delectus et ordo est adhibendus.

Nusquam est, inquit Seneca, qui ubique est. In peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est iis, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim et properantes transmittunt. Non prodest cibus nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur. Nihil aeque sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo medicamenta tentantur. Non convalescit planta, quae saepe transfertur. Et nihil tam utile est, quod in transitu prosit. Fastidientis stomachi est multa degustare, quae ubi varia sunt et diversa, inquinant, non alunt [3].

Atque etiam in illis rebus, quae ut discantur, necessariae sunt, ne sine ordine et consilio procedatur, praecipiendum est.

Vituperandi sunt, qui omne scientiae genus simul avidissime accipiunt, cuncta uno eodemque tempore discere volunt. Quidquid in manus venit libro-

[1] Seneca l. 2 de ira c. 12.

[2] Adami Contzen, S. I., Praelectiones logicae. Colon. 1785, p. 179.

[3] Ita fere Seneca ep. 2; cfr. ep. 45 c. 8.

rum, cupide percurrunt; vel indices solum et librorum praefationes inspiciunt; unde id denique consequitur, quod est in proverbio: Ex omnibus aliquid, in toto nihil. Alia sunt ingenia fervida, quae nulla methodo, nullo certo ordine studia litterarum pertractant; quae faciliora sunt, veloci pede percurrunt vel transsiliunt, ad difficiliora pergentes, quae sola labore suo digna esse existimant. At hi iidem paulo post velut ad scopulum adhaerent nec progredi ultra possunt. Quare? Quia ea, quae praecesserunt et nunc quasi fundamenta sequentibus subiici debent, in tanta properatione animi non firmiter sunt posita, et principia, quae faciliora videbantur, accurata meditatione in mentem admissa non sunt. Ipse Newtow, ut hoc loco memorat Storchenau, se hac in parte deliquisse fatetur, atque quod operam mathesi daturus Euclidem ut nimis facilem et obvium spreverit, poenitere se dicit. Sunt denique alii iique mediocris ingenii homines, qui qualibet difficultate territi, nullam in ea enodanda operam collocare audent, sed potius ea praetermissa ad res alias transvolant, non sine ingenti damno; quum enim neque penetrent sequentia, auctis in dies difficultatibus atque rebus indigestis, animum tandem omnino despondent.

173. Id denique praecipiamus, quod in tota hac animi disciplina omnibus antecellit, quae dicta sunt hactenus; quod in eo cernitur, ut cum cultu virtutum intellectualium coniungatur ea, quae ad radicem pertinet sapientiae et humanitatis, cura virtutum moralium. „Impedit consilium voluptas rationi inimica, ac mentis, ut ita dicam, perstringit oculos.“ [1] Quae res quum ex se intelligatur satis, hoc loco breviter tantum memoranda erat.

Postremo autem, qui studiis philosophiae navat operam, vehementer monendus est, ut non solum strenue ipse laboret, sed praeterea precibus a Deo felicem studiorum successum petat, qua re nihil est, quod magis sit necessarium.

Et omnium certe rerum, quibus in acquirenda scientia et in vitandis erroribus iuvamur, nihil est hoc cum Deo commercio utilius, nihil melius, nihil homine, nihil philosopho dignius. Certum est enim, hominem, sicut in omni vitae ordine, ita etiam in ordine intellectuali a Deo pendere. „Lumen rationis est nobis a Deo inditum, quasi quaedam similitudo increatae veritatis in nobis resultantis. Unde, quum omnis doctrina humana efficaciam habere non possit nisi ex virtute illius luminis, constat, quod solus Deus est, qui interius et principaliter docet, sicut natura interius etiam principaliter sanat.“ [2] Quum autem Deus plurima det hominibus non rogatus, plura etiam reservat humiliter precantibus, ut homines ab ipso se pendere et sentiant et agnoscant. „Plurimum

---

[1] Cicero, De senectute 12, 41. De eadem re praeclare Sailer: „Die Begriffe der Menschen kommen mir vor, wie die Zeiger an verschiedenen Uhren, und die Neigungen der Menschen, wie die Triebwerke. Wer sich's zum Geschäfte macht, die Begriffe allein und unmittelbar zu bilden, gleicht dem Manne, der mit seinem Finger die Uhrzeiger zurechtstellt und die Triebwerke unverbessert lässt.“

[2] S. Thom., Quaest. disput. q. 11 de verit. a. 1.

igitur implorandus est Deus, pater luminum, lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ut ipso nos intus illuminante, quae cognoscenda sunt, recte cognoscamus, ut ipso nos intus movente, quae agenda sunt, rite perficiamus rectoque rationis usu perveniamus ad lumen indeficiens."[1]

S. THOMAM legimus quotidie et saepius has preces dixisse: „Concede nobis, misericors Deus, quae Tibi sunt placita, ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, et perfecte implere ad laudem et gloriam nominis Tui."

Atque his de studendi ratione universe constitutis ad particularia descendendum est. Ea autem, de quibus nunc ulterius praecipiendum esse videtur, sunt: vocabulorum usus, studii privati recta ratio, sententiae alienae vel systematis aequa interpretatio, diligens in vitandis erroribus cautio, modestia in inquisitione philosophica observanda tum quoad res tum quoad certitudinem, obsequium magistro praestandum, disputatio scholastica.

174. **Vocabulorum usus**[2]. Ad veritatem et investigandam et cum aliis communicandam plurimum interest, ut conceptus recte vocabulis exprimantur. Qua in re nonnulla vitia ex naturali vocabulorum imperfectione ortum ducunt. Haud raro enim occurrunt vocabula, quae ex se incerta sunt. Alia in adhibendis vocabulis vitia ex socordia quadam vel defectu attentionis necessariae nasci solent. Curandum primo, ut nos notionem, quam voce significare volumus, apud nos accurate concipiamus et mente retineamus.

Postquam id factum est, de signo, quo notionem mente conceptam voce exprimere volumus, simus solliciti. Nam a conceptis notionibus vocabula dirigi et ordinari debent, non contra a vocabulis conceptus. Oportet igitur,

---

[1] Hac de re FÉNÉLON: „Il est vrai que les hommes n'ont point assez de force pour suivre toute leur raison; aussi suis-je très-persuadé que nul homme, sans la grâce, n'aurait par ses seules forces naturelles toute la constance, toute la règle, toute la modération, toute la défiance de lui-même, qu'il lui faudrait pour la découverte des vérités mêmes, qui n'ont pas besoin de la lumière supérieure de la foi; en un mot, cette philosophie naturelle, qui irait, sans préjugé, sans impatience, sans orgueil, jusqu'au bout de la raison purement humaine, est un roman de philosophie. Je ne compte que sur la grâce pour diriger la raison même dans les bornes étroites de la raison, pour la découverte de la religion; mais je crois, avec saint AUGUSTIN, que Dieu donne à chaque homme un premier germe de grâce intime et secrète, qui se mêle imperceptiblement avec la raison, et qui prépare l'homme à passer peu à peu de la raison jusqu'à la foi. C'est ce que saint AUGUSTIN nomme: inchoationes quaedam fidei conceptionibus similes." Lettres sur divers sujets de métaphys. et de relig. Lettre 4 n. 3.

[2] Non sine utilitate leguntur, quae hac de re praecepit LOCKE, An essay conc. human understanding, Book 3.

quantum fieri potest, notiones ex mentis conceptione formare non attentis prius vocabulis, ne sonus, notio aliena hoc vel illo vocabulo advecta immutet, addat, minuat quidpiam ex eo, quod ante clare et distincte concepimus.

In dispositione deinde sermonis videndum, ut ab obscuris abstineamus, quum clara vocabula praesto sunt.

Obscura sunt, quorum notio anceps est. Vitandae igitur voces indeterminatae (ut *ens, res*), quum aliquid determinate exprimendum est; voces genericae, quum de speciebus dicendum; voces, quae vagae sunt et diversa ratione intelligi possunt (in quo genere sunt *libertas conscientiae, tolerantia, honor, humanitas*). Semper vocabula, quae adhibemus, accurata definitione declaremus, quantum necesse est. Quodsi notarum enumeratio facile fieri non possit, obscuritas tollatur adiecto notiore vocabulo synonymo; vel indicando rem auditori cognitam, qua notio, de qua dicendum, reperiatur; vel ponendo ante oculos exemplum.

Cavendum praeterea, ne unam eandemque vocem in uno eodemque sermonis decursu in diversam trahamus significationem.

Eiusmodi homines haud inepte Locke cum illo comparat, qui, dum componit aliquos computos mathematicos, eodem charactere „octavo" modo septem, modo novem significari vellet, prout sibi commodius videretur. Quodsi necessitas ad mutandam vocis potestatem cogat, auditor vel lector paucis monendus est.

Vitentur vocabula barbara, peregrina, inusitata; neve termini, quibus certa vis iam adiuncta est, adhibeantur in nova significatione insolita vel ad privatum arbitrium instituta.

Neque sine ratione introducantur termini novi. Utamur proinde vocabulis usitatis, receptaque eorum significatione; haec enim, etsi quoad originem arbitraria sit, non tamen, in usum semel introducta, a quolibet ad arbitrium mutari debet. Quis enim te intelligit, quum tu animal, quod vulgo *equum* vocant, *canis* nomine significes, et contra? quamquam utrumque vocabulum ad hoc vel illud significandum ex aequo aptum et indifferens est. Quae autem usitata sit vocabulorum sententia, id minus a consuetudine vulgi discendum est, sed a iudicio communi illorum potius, qui studio et labore perfectiores de rebus notiones sibi comparare consueverint.

175. At quamvis nitor sermonis vocabula longo usu comprobata requirat, rerum tamen conceptuumque novitas nova saepe vocabula postulat.

Hanc propter res novas nova vocabula formandi copiam dedit ipse Tullius, quum scriberet: „Quibus etiam verba parienda sunt imponendaque nova novis rebus nomina; quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur, cogitans, in omni arte, cuius usus vulgaris communisque non sit, multam novitatem nominum esse, quum constituantur earum rerum vocabula, quae in quaque arte versentur."[1] Atque hinc, ut scite observat Storchenau[2], minus recte agunt ii, qui

[1] De fin. l. 3 c. 1. [2] Instit. logic. n. 83.

vocabula artium sive terminos technicos — eos intelligo, qui in quavis arte et disciplina civitate donati sunt — universim omnes expunctos volunt, eo quod cum debita sermonis elegantia non cohaereant. Id genus enim voces eo potissimum fine inventae sunt, ut magno compendio id apte significent, quod secus non nisi per multas ambages et longos orationis circuitus explanari posset. Quamobrem rectissime monitum est apud Tongiorgi (Log. n. 99), non esse in praesenti censendas in philosophico sermone obsoletas eas voces, quas veterum Scholasticorum subtilitas sapienter excogitaverit, nisi vel clariores fuerint suffectae, vel earum inutilitas demonstrata. Quamvis enim, elapso praesertim saeculo, a leviore illa philosophia voces istae neglectae et derisui habitae fuerint, si tamen eae necessariae putentur, contemptorum iudicium contemnendum est. Contra veritatis et scientiae iura nunquam praescribitur. Experientia certe non raro probat, ex earum neglectu ingentes oriri obscuritates, confusiones, ambiguitates. Neque inde, quod termini hi vulgo vel disciplinae illius imperitis ignoti sunt, ulla ratione conficitur, sermonem nostrum merito obscurum dici; quum enim ipsae res, de quibus est dicendum, ab illis hominibus ignorentur, quid mirum, si terminos quoque, quibus eruditi eas res exprimere solent, non intelligant. Neque tamen putet quispiam, eapropter etiam eorum morem comprobari, qui eius generis vocabula adhibent, neque tamen iis notiones claras et determinatas subiiciunt vel ea tantum mente, ut ignorantiam tegant.

Quum autem dicendi duo genera sint, quorum in altero ornatus et species est, in altero solum veritatis et disciplinae studium, ornatum illum pompamque rhetorum ducere debemus et poëtarum, simplicitatem veritatis autem propriam philosophorum.

Neque solum consentaneum non est, ut sermo in philosophia tropis sit figurisve oratoriis exornatus, sed etiam obest. Eiusmodi ornatu imaginatio lectorum vel auditorum delectatur, attentio animi a re dicta in dicendi modum distrahitur, leviores vehementioresve affectiones in eorum animis excitantur; quibus ex omnibus consequens est, ut ipsa veritas minus clare perspiciatur, atque perturbatis animis iudicia formentur, quae affectibus magis quam rationi congrua sint. Est tamen ratio habenda cuiusdam in dicendo concinnitatis atque etiam elegantiae. Vitentur acyrologiae, quas vocant, barbarismi, soloecismi, reliqua, quae a grammaticis notantur, vitia sermonis; quae qui committit, carere videtur illa reverentia, quae auditoribus et lectoribus debetur. In hac autem dicendi accuratione, sicut in plerisque rebus, mediocritas quaedam optima est. Sit igitur stilus planus, nitidus tamen, fini semper accommodatus; caveatur nimia brevitas et importuna loquacitas; haec magno verborum strepitu animos obruit et attentionem distrahit; illa omittit multa, quae ad mentem nostram recte intelligendam auditori sunt necessaria.

Cavendum denique, ne rerum conceptuumve loco dentur lectoribus vel auditoribus verba inania, neve vano vocabulorum strepitu cieatur in eorum animis opinio, intellectum humanum essentias rerum re tota et omni ex parte perspectas habere.

176. **Studium privatum recte instituendum.** Deinceps, ut erat propositum, de laboribus, qui acquirendae scientiae impendendi

sunt privati, dicatur, quibus quidem vix quidquam hac in re est efficacius; sed habet multas cautiones tum quoad intellectum, tum quoad memoriam, tum quoad lectionem, de quibus singulis nunc ex ordine aliqua praecipienda erunt.

1. Primo in re omni videndum est, ut recte adhibeatur intellectus. Quo loco primum illud, quod iam monuimus, mente retinendum est, ne quid admittatur ut cognitum, quod cognitum non est; neque ulla res subiiciatur dubio, de qua dubitandum non est.

Ubi igitur, qui discit, rem aliquam seria meditatione secum volvit, sollicite circumspiciat, sintne principia, unde praesentes conclusiones fluant, accurate expensa; hoc modo cautum erit, ne consequentia admittantur, quin nitantur principiis certo cognitis. Quum deinde ab aliis contradici audit impugnarique opiniones, quas adhuc in certissimis habuit, rursum indaget, quamobrem has opiniones adhuc tenuerit, simulque conetur perspicere, cur iis ab adversariis contradicatur. In quo negotio sola prae oculis sit veritas. Neque displicet regula statuta a Buffier: „Quando amicum, inquit, audis vel legis, vide, quid de eius argumentis censeres, si de inimico ageretur; et contra.“

2. Deinde obiectum, quod contemplandum suscipitur, in suas partes resolvendum esse praecipitur; atque hae partes, si necesse fuerit, iterum in partes sunt subdividendae.

Facilius enim multo partem unamquamque singillatim, quam omnia simul in cumulo dispicies. Quam rem praecipue de solvendis, quae intricatiores sunt, difficultatibus praecepit Cartesius in suis regulis methodicis; sed eam ipsam iam diligentissime ab Aristotele observatam videmus.

3. Praeterea ita in studio etiam privato semper, quum res novas discimus, procedendum est, ut eae notitiae, quae ab aliis supponuntur, acquirantur prius; et ea, quae sequuntur, semper lucem et firmitatem accipiant aliquam ab antecedentibus.

4. Accedit, quod philosopho in rebus omnibus magna circumspectione opus est.

Obiectum igitur, quod expendendum est, in omnes partes vertatur; exquirantur difficultates et dubitandi rationes, examinentur principia, definitiones, divisiones, argumentationes; perpendantur antecedentia, praevideantur consequentia, exploretur docentis auctoritas, nec ulla praetermittantur adiuncta; comparetur res quoque cum aliis rebus, quae iam notae sunt, ut, quid iis commune sit, quid diversum, quid cuivis proprium sit, accurate perspiciatur. Ita enim fieri non potest, quin rem noscamus multo clarius et distinctius et facilius. Et saepenumero contingit, ut veritas, quam diu frustra inquisivimus, ex aliis deinde, quibuscum nexu aliquo causali coniuncta est, vel ad quam similitudine dissimilitudineve refertur, nullo negotio intelligatur.

5. Meditationi denique coniungenda est scriptio; si videlicet res maioris momenti est vel difficilior.

Quum enim, quae considerando repereris, scribis, facile tibi constabit, num quid falsi vel dubii incautus pro vero admiseris. Ita ea, quae obscura adhuc

atque involuta sunt, apparebunt; ita etiam plura saepe praeclara atque praestantissima non sine voluptate in mentem veniunt. „Ego ipse, inquit S. Augustinus [1], multa, quae nesciebam, scribendo didicisse me confiteor.“ Accedit, quod exercitio illo mira sensim facilitas cogitationes nostras perspicue exprimendi comparetur: haec enim non tam assiduo meditandi studio, quam longa scribendi exercitatione perficitur. Et certe multo maior erit diligentia, qua libros legis, si legens in manu paratum tenes calamum ad ea scripto referenda, quae tibi conservata esse volueris. Atque haec de ipsius intellectus usu et institutione satis.

177. Alterum sit propositum, ut recte in discendis rebus adhibeatur memoria. Est autem in hoc genere molestum, quod et memoriae praestantia et infidelitas haud raro impedimento est, quominus discentium animi recte veritatibus philosophicis imbuantur. Et memoria propter nimiam praestantiam ignorantiae occasionem praebet. Huic enim dum nimium confidunt nonnulli, interea excolere intellectum, seriae meditationi inhaerere resque ipsas perscrutari negligunt. Quo fit, ut multarum rerum ignoratione teneantur, quantumvis verba memoriae infixa ipsos non deficiant.

Vitium hoc adolescentibus commune, qui longiores etiam demonstrationes voce repetere norunt, vix tamen quidquam eorum, quae proloquuntur, intelligunt. Eius generis qui sunt, non solum nulla obtinendae scientiae sibi adiumenta comparant, sed potius maxima ponunt impedimenta, et brevi pro tempore speciosa ignorantiae fomenta sibi congerunt; atque tandem post paucos elapsos annos rursum tales evadunt, quales ante inceptum studiorum curriculum fuerunt.

Ex memoriae deinde infidelitate alterum obstaculum verae scientiae oritur; quum praesertim longior est ratiociniorum, unde veritas deducenda est, series. Si enim memoria infelicior principia vel nulla, vel quae minus ad rem pertinent, menti suggerat, innumerabiles nasci errores necesse est. Nec sine fideli memoria ea in omnes partes circumspectio haberi potest, quam ad solidam veritatis acquisitionem requiri diximus. Neque tibi satis esse debet, ut veritatem semel bene animo ceperis, sed captam in memoriae thesauro retinere debes. Tantum enim scimus, quantum memoria tenemus.

Neque tamen desperandum est iis, qui a natura imbecilliorem nacti sunt memoriam; quae, ut post Tullium monet Aquinas „non solum a natura perficitur, sed etiam habet plurimum artis et industriae“ [2]. Ut ex compluribus, quae memoriae excolendae adiumenta praescribi solent, aliqua hoc loco indicemus [3], imprimis memoriam crebra exercitatione coli necesse est, quia, ut recte Quintilianus, „nihil aeque augetur cura vel negligentia intercidit“. Diligenter igitur ea ad verbum ediscenda sunt, quae ut ad verbum sciantur, sunt

[1] L. 2 de Trinit. in prolog. [2] Summ. theol. II. II. q. 49 a. 1.
[3] P. Vallet, Praelect. phil. Paris 1880. tom. 1. Logica p. 244.

necessaria; in quo genere sunt definitiones longo usu receptae, quae etsi fortasse duriores vel asperiores videantur, non tamen omittendae, sed quum propter antiquitatis reverentiam, tum ad vitandam confusionem sunt retinendae; deinde etiam verba multa scientiae propria, quae commode suppleri non possunt; atque textus quidam, qui a celebrioribus philosophis sumi solent; et generatim ea omnia, quae ad historiam philosophiae spectant. Quibus omnibus memoriae vires mirum quantum augentur. Deinde semper curandum, ut inter scientiae studia attentus retineatur animus; nam ipsa animi attentione res memoriae imprimuntur. Praeterea etiam animi variis affectibus atque etiam notionum coniunctione illa, quam associationem idearum vocant, et adhibitis imaginibus memoria magnopere iuvari potest. „Necessarium est, inquit Aquinas, ut eorum, quae quis vult memorari, quasdam similitudines assumat convenientes, nec tamen omnino consuetas; quia ea, quae sunt inconsueta, magis miramur, et sic in eis animus magis et vehementius detinetur: ex quo fit, quod eorum, quae in pueritia vidimus, magis memoremur. Ideo autem necessaria est huiusmodi similitudinum vel imaginum adinventio, quia intentiones simplices et spirituales facilius ex memoria elabuntur, nisi quibusdam similitudinibus corporalibus quasi alligentur, quia humana cognitio potentior est circa sensibilia; unde et memoria ponitur in parte sensitiva.“ [1] Ultima tandem iuvandae memoriae ratio in diligenti earum rerum, quas didicimus, repetitione est collocata. Nos enim eorum facilius recordari, quae clarius, distinctius, frequentius recoluerimus, id sua quisque sponte intelligit. Accedit, ut etiam ipsa perspicientiae claritas augeatur eo, quod saepius ad ea mente redimus, quae semel vidimus.

Atque haec de recte adhibenda memoria praecepta.

178. Tertius est locus cautionis, ut in legendis libris rectus modus servetur [2]; quo in genere ne quid peccetur, summopere cavendum est; quasi enim diluvio quodam librorum inundatus hoc tempore orbis est. Qua de re praecepta sint novem.

1. Vide primo etiam atque etiam, quem legas. Vide igitur, quis et qualis ille sit, cuius librum legas; vide, quam solidus, eruditus, castus, pius ipse liber sit, ne virus haurias ex splendida phiala.

Felix, si prudentem et bonum Mentorem inveneris, qui libros sanos a noxiis tibi secernat; felicior, si recte monenti morem gesseris!

2. Ne lege, ut legas fallasque tempus, sed prudentem lectioni tuae causam pone et finem.

Imprimis lege, quae te iuvant in rebus necessariis; tum, si quid temporis supererit, lege, quibus melior fias et doctior.

3. In legendis libris rectum ordinem serva.

Primo fax accendenda, et deinde inspicienda sunt obscuriora; non contra. Libri deinde erroribus infecti non legendi sunt prius, quam veritate mens sit imbuta. Quo enim est imbuta recens, servabit odorem testa diu.

---

[1] Summ. theol. II. II. q. 49 a. 1 ad 2.

[2] His de rebus praeclare praeceperunt Sigism. Storchenau, Instit. log., Ad. Contzen, Praelect. log., quos in his dandis praeceptis secuti sumus, non tamen semper.

4. Non tam multa legenda, sed potius multum.

Neque quaerendum est, ut legantur omnia, quae de re aliqua sunt scripta; sed ii auctores eligendi, qui ex sapientium iudicio putantur esse optimi; atque hi etiam servato sano moderamine. Esto sint libri optimi, sint probatissimi omnes, ipsa enimvero multitudine sua, ipsa copia rerum optimarum legenti nocebunt. Non satis est, ad vitandam corporis infirmitatem sumere saluberrima, nisi iis opportune et temperanter utare.

5. Danda vero opera, ut legatur attente. Semper quidem, sed praecipue in legendis libris lente festinandum est.

Accurate percipiantur termini; et perceptis terminis curandum est, ut status, in quo quaestio ab auctore est posita, clare et distincte intelligatur. Et cognito statu quaestionis, ea rationum momenta, quibus auctor suam sententiam ostendit, accurate expendenda sunt; potissimum autem principia, quibus demonstratio nititur. Neque minus ad formam argumentationis legitimae diligenter attendendum est. Neve pervolemus ad subsequentia, nisi, quae antecedunt, recte fuerimus assecuti. Lectio ne sit praeceps; non enim satis est legere, sed lecta meditari oportet, atque in proprium succum, ut aiunt, et sanguinem convertere. Ei, qui praecipitanter legit, ut plurimum accidit, ut pervoluto libro, quid legerit, ignoret, argumenti ipsius nonnunquam vix memor.

6. Lectio, quantum fieri potest, sit continua, neque longiore tempore interrupta.

Timendum enim est, ne post interruptionem nexus ille veritatum perspici iam non possit, in quo videndo praecipuus lectionis fructus cernitur. Quod si mens aliis interea rebus occupetur, fieri potest, ut magna generetur in mente confusio, quae progressui in addiscendis rebus non parum obsit. Si tamen per longius tempus animum ad res pure speculativas applicas, vehementer opportunum est, ut interdum ad manum habeas librum, qui de rebus naturalibus vel historicis agit, vel aliquando poëtam oratoremve. Idque propter duas rationes. Quarum prior est in vitanda animi lassitudine; nam quum homo non sit purus spiritus, facile evenit, ut mens in abstractissimis illis regionibus multum fatigetur et propter languorem a nobili illo ad regiones altissimas volatu omnino desistere cogatur. Ut igitur violentia illa, quae cum philosophica abstractione pro „animali rationali“ coniuncta est, diutius et utilius sustineri possit, huic parcendum est et quiescendum interdum in regionibus, quae naturae humanae magis conveniunt. Altera ratio ex utilitate est tracta, quae ipsi speculationi ex moderato rerum naturalium et historicarum studio nascitur. Vana enim et sicut nubes sine aqua, quae a ventis circumfertur, est illa humana speculatio, quae ab huius mundi realis cognitione soluta est. Neque ut angelus semper volare potes, neque ut animal semper sensibus tangere sensibilia debes. Inter quae duo mediam sequere viam. Itaque non minus insipienter quam crudeliter illi agunt, qui e studio philosophiae res omnes concretas et positivas exterminari iubent. Suadendum tamen est iis, qui sunt philosophiae studiosi, ut ad eas res naturales et historicas divertant animum, quae speculationi philosophicae fundamenta praebent vel adiumenta vel vigorem et usum.

7. Nec vero alienum est, ut rem unam, quae alicuius momenti sit, semel atque iterum legas.

Secunda enim et tertia libri lectio multa plerumque aperit, quae in prima oculos et attentionem fugerant. Multi praeterea libri ita sunt scripti, ut priora non satis intelligere possis, nisi lectis iam posterioribus.

8. Postquam alicuius rei caput intellexeris, nonnunquam iuverit, de eadem re auctores legere alios.

Quum enim non omnes omnia videant, quumque in eadem re explicanda alii aliam viam sequantur, ex complurium auctorum comparatione illud efficitur, ut rem iam cognitam cognoscas perfectius et amplius. In qua tamen re magna moderatione opus est; et si peccandum, defectu potius quam excessu.

9. Neque in hoc genere est incommodum, ad ea iudicanda, quae dubitationem afferunt, adhibere amicos et doctos homines, et cum his de iis, quae lectione hausta sunt, conferre colloquiis.

Compertum est enim, non solum perfectius mente comprehendi, de quibus cum aliis contulimus, verum etiam multa hac ratione intelligi, quae prius per studium privatum a nobis intellecta non fuerint. Quin et falsa saepe deprehendemus non pauca, vel certe lacunosa, quae antea nostris solorum fisi viribus pro integris atque certissimis habebamus.

Atque haec de recta legendi ratione dicta sint. Nunc generatim de vitandis in omni studiorum genere erroribus nonnulla. Sed prius de dictis aliorum recte intelligendis dicemus.

179. Praecepta ad aliorum sententias recte interpretandas utilia. Qui alterius verba interpretari vult, is primo mentem auctoris, quam fieri potest accuratissime, conetur assequi; easdem igitur, quas auctor, notiones cum vocabulis coniungere debet.

Neque ullus unquam sensus verbis tribuendus est, nisi qui clare probari possit; neque inde, quod fortasse verba alia ratione accipi possint minus recta, inferri debet, ea hac ratione ab auctore accepta esse; sed id argumentis ostendi debet. Qua in re ad tria potissimum advertemus animum; primo ad usum loquendi communiter receptum, cui auctor omnis, qui quidem ab aliis intelligi velit, sese conformat. Quum autem vocabula multa ex sese et loquendi formulae multae ex humani sermonis imperfectione diversas significationes habeant, secundo ad intentionem loquentis est attendendum atque videndum accurate, quam ex variis sententiis auctor suis dictis subiicere voluerit. Quod quidem in rebus plurimis non intelligitur melius, quam si tertio ad subiectam materiam attendatur. Certe enim auctor eam vocabulorum vim intendit, quae argumento, in quo versatur, quam maxime est congruens.

Et usus quidem dicendi eius aetatis respiciendus est eiusque regionis, in qua auctor scripsit. In comperto est enim, multa vocabula decurrente tempore atque in diversis regionibus varias significationes accepisse et loquendi consuetudines fuisse admodum diversas. Generatim sensus proprius potius quam metaphoricus verbis tribuatur, nisi gravis ratio a sensu proprio recedere compellat. Mens loquentis ex definitionibus elucet ab ipso statutis; hae igitur primum exquirendae sunt. Quodsi definitiones desint, ad singularia, si qua reperiantur, veniendum exempla. Quum deinde diversae in philosophia sectae,

uti et artes fere omnes, quaedam vocabula sibi propria habeant, aut recepta quidem vocabula, sed nova significatione saepius usurpent, attendendum diligenter, quibus placitis auctor imbutus sit. Aliud enim *transcendentia* significavit apud Peripateticos, aliud apud Kantianos. Alia res *voluntas* est apud sanos homines, aliud apud modernos Pessimistas. Aliud sonat vox *vis* in theoria Dynamismi, aliud apud Mechanistas; atque in hoc genere alia sexcenta.

Subiectae materiae consideratio totiusque orationis contextus certissima ut plurimum via est, veram auctoris mentem, quamque vocibus tribuerit significationem, detegendi. Quem in finem conferantur antecedentia cum consequentibus, inquirantur loci paralleli, ubi auctor in eadem versatur quaestione. Hic autem diligenter ii loci secernendi sunt, in quibus auctor dedita opera et ex industria rem tractat, ab iis, in quibus obiter tantum et quasi fortuito in rei mentionem incidit: atque ex illis, non ex his vis verborum et auctoris sententia definiatur. Qua in re praecipue illi peccant, qui unam aliquam ex scriptis auctoris enuntiationem arripiunt, eique sensum nescio quem attribuunt, quem seorsim spectata continere forsitan possit, quum tamen ex rebus omnibus inter se comparatis pateat, alia plane vi et potestate illam ab auctore usurpatam esse.

Fieri autem potest, ut neque ex dicendi consuetudine, neque ex subiecta materia, neque ex orationis contextu intentio loquentis satis determinari possit. Tum ad eruditorum interpretationem fugiendum erit. Qua in re, ceteris paribus, ea interpretatio aliis praeferatur, quae a coaevo, vel familiari, vel discipulo ipsius auctoris proficiscatur; vel saltem ab aliquo, qui linguae et argumenti, de quo dicitur, maiore prae aliis notitia polleat.

S e c u n d a interpretationis regula praecipit id, quod aequitas naturalis postulat, ut auctoris famae et honori, quoad eius fieri possit, interpretando consulamus eiusque sententiam sive propositionem obscuram in bonam trahere partem malimus quam damnare.

Cavendum igitur, 1° ut ne sensum viro prudenti indignum ex illius verbis exsculpamus (qualis esset, ad quem auctor inconsiderate nec ulla prius data occasione delaberetur, vel in quo nullum prudentem finem intendere posset, vel in quo ad finem propositum inepte prorsus loqueretur, vel in quo circa rem nihilo faciendam magno verborum apparatu versaretur).

2° Deinde mitiorem usque in partem verba auctoris interpretemur eumque, si fieri possit, verbis sensum tribuamus, qui veritati magis conveniat, etsi subinde a communi loquendi usu nonnihil recedendum sit. Id autem tum praecipue faciendum erit, quum nonnulla occurrunt, quae pugnare inter se videntur; tum enim componenda, quantum fieri potest, et interpretatione commoda verba auctoris inter se concilianda sunt. Cuius rei exemplum praeclarum in „Concordantiis“ illis habemus, quae in appendice ad opera S. Thomae reperiuntur, in quibus sexcenti loci ex Aquinatis operibus eo, quo diximus, modo inter se compositi sunt.

3° Si consectaria quaedam absurda ab alicuius auctoris sententia sponte fluant, cave, ne idcirco statim ipsi auctori tribuas ipsumque propterea impium proclames, quod a nonnullis, dum invidia et aemulatione aguntur, fieri solet. Fortasse enim auctor falsas illas res consequi ex dictis non animadvertit; fortasse optima fide sententiam suam plane securam et innocentem putavit.

4° Praeterea vir bonus, et cui tum veritas, tum caritas cordi est, dum aliorum sententias examinat, diligenter cavebit, ne adversarii sententiam nominibus invidiosis infamet; ne eam cum invisorum hominum placitis conferat; ne studiose occultet, ne ex parte quidem, rationes, quibus sententia adversaria niti videatur; ne sententiae propriae difficultates dissimulet; ne invidiosa et minus accurate percepta consectaria ex adversarii sententia deducat; ne malignis eam suspicionibus premat; ne alia, atque is reipsa docuit, adversario affingat; ne, quae indifferentia sunt, in deteriorem partem accipiat; neve tandem admisceat ea, quae ad rem, de qua agitur, nihil faciunt, nec nisi creandae invidiae apta sunt [1].

180. **Methodus servanda in iudicando alicuius philosophi systemate.** Si quis notitiam et iudicium de aliquo systemate sibi comparare velit, caveat imprimis, ne cuilibet fidat, qui historiam de rebus philosophicis composuit. Quum enim hac nostra aetate tanta sit apud doctos viros studiorum vehementia et diversitas tamque exiguus apud multos ipsius veritatis amor, fere nunquam non accidit, ut, qui auctorem laudare velit, vituperanda taceat, qui eundem vituperaturus est, silentio premat, quae laudanda sunt; vel ut unusquisque res dictas ex libidine interpretetur, excerpat, componat eo modo, quo propriis placitis congruat. Quare, si fieri potest, ipsius auctoris opera adeantur; id si facere non possis, ne sequaris ducem, nisi quem veracem et rei gnarum esse scis. Neque dissuadere volumus, ut quis prius sibi acquirat ex diversis diversae sententiae scriptoribus brevem et generalem totius systematis notitiam, antequam ipsius auctoris volumina adeat, in quibus systema fusius atque verbosius expositum est.

Et primo quidem ipsius systematis partes inter se comparandae sunt; distinguendum inter principia et conclusiones, inter antecedentia et consequentia. Videndum, quae auctor dixerit sibi constans et quasi cohaerens, et quae dixerit praeteriens. Inquirendum quoque, quibus principiis nitatur, quarum rerum consecutionem afferat. Introspiciendus nexus, quo cohaereant conclusiones cum praemissis. Animadvertendum, quid auctor tacitus supposuerit.

Secundo videndum est, qua ratione auctor, cuius causa agitur, se habeat ad philosophos alios, quos vel sequatur ut duces, vel impugnet ut adversarios.

Tertio iudicandum est, quaenam ex systemate cum veritate sint aliqua ratione congruentia, et quaenam ut veritatis inimica sint confutanda; et quae insint in ipsius erroribus vestigia veritatis.

---

[1] Extensius hac de re Storchenau, Instit. log. n. 276.

Et praecipue videndum est, quaenam inde per necessariam consecutionem conficiantur demum conclusiones. Ex cauda enim haud raro cognoscitur serpens, qui latet ipse. Quodsi naturam seminis cognoscere velis, videndum est, quos fructus ferat solo ingestum.

Scholion 1. Sunt qui omnino prohibeant, ne in iudicando alicuius auctoris systemate ulla ratio habeatur eorum, quae ipsius auctoris ut hominis propria sint, sive mores religionemve spectent, sive ad externas vitae conditiones pertineant; arbitrantes, haec nullo unquam modo cum ipsa doctrina cohaerere posse. Verum his vix ullus, qui prudens sit, assentiatur. Quamquam enim non fas est arbitrari id, quod voluit I. G. Fichte (n. 71), integram et totam uniuscuiusque hominis persuasionem hauriri ex solis moralibus animi affectionibus [1], ignorari tamen non potest, magnas inter vitae mores et mentis placita coniunctiones esse, ita ut haec ab illis maximopere pendeant; et e contrario mores continenter in vita servatos esse fructum systematis philosophici.

Scholion 2. Neque abs re est dispicere, haereatne fortasse auctor systematis in certa quadam opinatione, qua vehementer delectetur, caeco quasi amore raptus. Quod si est, hanc rem ille omnibus locis inseret, omnia in huius rei favorem miro mentis acumine interpretabitur; quae huic rei adversantur, instar caeci praeteribit; atque omni, qua potest, opera delicias suas tuebitur atque fovebit. Neque non fieri potest, ut auctor praeiudicata opinione tractus hanc vel illam sententiam odio habeat, et secundum iniquam voluntatis affectionem omnia spernat, reiiciat, damnet, quae cum illa sententia cohaereant. Atque haec omnia et similia attendisse certe necessarium est ei, qui de alicuius auctoris systemate recte et secundum veritatis normam iudicare velit.

Scholion 3. Non est mirandum, si quis in perverso errantis systemate reperiat, quae apte dicta sunt, vel si quis in recto sapientis systemate reperiat, quae minus apte dicta sunt. Cavendum igitur est, ne quis caeco modo vituperet, quaecunque dixerit errans, neve laudet, quidquid dixerit sapiens.

Scholion 4. Quum audimus, hominem doctrina excultum systema proferre, quod, etsi fatuitatem sapiat (quae res inter recentis aetatis philosophos haud raro contingere videtur), tamen inter homines magnam sibi vim et auctoritatem conciliet, non satis est, rem spernere negligereque vel risui exponere; sed philosopho accurate est investigandum, quo tramite, quibus passibus vel saltibus homo ad praeruptum istum locum pervenerit.

Scholion 5. Neque facile arbitrandum est, systema aliquod etsi absurdissimum, quod per longum tempus a permultis hominibus in diversis vitae conditionibus positis habitum sit ut rectum praeclarumque, non habere nisi absurda, quae aperta et quasi in superficie collocata sint. Ad hamum enim, qui nudus sit, vix ullus decurrit piscis. Itaque diligenter examinandum, quibus quis rebus praeclare dictis tamquam illecebris abusus sit.

Haec diximus brevius, quam res petebat; sed satis sunt, ut sit monitum, quam caute his in rebus agendum. Nunc de er-

---

[1] „Alle meine Ueberzeugung kommt aus der Gesinnung, nicht aus dem Verstande, und die Verbesserung des Herzens führt zur wahren Weisheit."

roribus, in quos ne incidat, nihil magis studioso philosophiae cavendum est.

181. **Ut caveatur ab erroribus**, recte disponendus est animus. Qua de re duo intelligamus oportet: primo, qui sint errorum fontes, deinde, qua ratione vitentur.

In fontibus errorum primus locus praeiudiciorum est. Sunt praeiudicia anticipatae quaedam hominum opiniones, quarum motiva nunquam satis exploravimus; quae quidem caeca quadam et vehementi naturae vi vel consuetudinis sustentae, si semel mentem imbuerint, non sine magna difficultate exui possunt.

Quae vanae opiniones ex multis rebus nasci possunt. Inter quas praeiudicia aetatis sive infantiae sunt praecipua; quae, dum ratiocinandi facultas nondum exculta est, animum ingrediuntur, postea temere affirmantur, et deinde, quia semel affirmata sunt, caeco impetu defenduntur. Alia sunt praeiudicia nationis, patriae, familiae[1]. Nostros fere mores probamus, alienos reprehendimus. Fuit tempus, quando Galli fere omnes Cartesiani, Angli Newtoniani, Germani Leibniziani Wolffianique erant. Non est quidem, quod miremur, tam uberem errorum segetem in eorum mentibus vigere, quos una illa cura sollicitos tenet, ut sibi suaeque proli comparent, quo vescantur. At quis non miretur ingentem vim illam, quam opiniones vulgi in plurimorum hominum animos exercent! Quotus enim quisque est, qui ista iudicia publica contemnere audeat? Quam multi, qui cum turba errare malunt quam cum paucis sapere! Cuius rei nunquam maius est periculum, quam quum de patriae amore, nationis studio, lucri cupiditate vel mali maioris metu agitur. His enim rebus saepissime maxima et splendidissima ingenia ultra modum affici videmus. Quo magis philosopho cavendum est, ne quid in eo genere peccetur.

Alter errorum fons in indole humani ingenii est. Multae enim inclinationes naturae rationali ad id insitae sunt, ut intra limites a natura intentos coarctatae hominem in adipiscenda veritate iuvent, quae tamen, si ultra hos limites vagentur, occasiones multorum errorum esse possunt.

Quae inclinationes quum plurimae sint, hae sunt praecipuae:

a) Propensio quaedam in rebus omnibus supponendi nexum causalem. Eam haud raro sequitur, quam logici vocant fallacia causae non causae (n. 162, 6), velut quum quis concludit: *Calamitas evenit post hoc, ergo propter hoc;* vel: *hoc eam praenuntiavit.* Vel impium illud: *Inter Christianos varia fuerunt in religione dissidia et eapropter multa exorta bella. Ergo religio calamitatum fecunda mater est.*

b) Propensio a natura facultatibus cognoscitivis insita omnia putandi esse eo modo obiective realia, quo facultatem afficiant. Ex quo illi per accidens errores oriuntur, quibus fit, ut nonnunquam in rebus praeter consuetudinem accidentibus, de rerum distantia, directione, figura, coloribus, falso aestimemus;

[1] De quibus extensius Storchenau, Instit. log. n. 231.

vel etiam in consuetis rebus obiectivam realitatem perceptionum ultra debitum extendamus; ad hunc modum homines iucunditatem vel molestiam perceptionis externis rebus adiudicant atque etiam errare solent in aestimandis multis rationibus geometricis, quas „fallacias sensuum geometricas“ vocant.

c) Propensio reducendi omnia ad unitatem et formam simplicissimam. Qui pruritus funesto Pantheismi errori magnum apud incautos fulcrum praebuit.

d) Propensio distinguendi separandique. Quod pluralitatis studium aliquid contulit ad procreandum Atomismum, Nominalismum atque ipsum Polytheismum.

e) Pruritus generalisationis et abstractionis. Ex quo factum est, ut interdum a viris doctissimis species rerum et genera fingerentur, a quibus natura abhorruit.

f) Propensio omnia sibi repraesentandi per imagines extensas et aspectabiles et colore quasi depictas. Unde apud multos ingens conceptuum et phantasiarum confusio orta est. Quinimmo eo devenerunt, ut ea tantum vera esse et realia dicerent, quae hoc modo aspectabili per phantasiam repraesentari possent.

g) Propensio anthropomorphismi et personificationis. Ex quo evenit, ut interdum illa rerum cum homine similitudo, quae revera adest et saepe nobis intimam rerum naturam aperire potest, supra modum elata sit.

h) Propensio novitatis, qua homo ad progrediendum, inquirendum, laborandum, ad detegenda vel invenienda nova impellitur. Sunt igitur, quibus nihil sapiat, nisi quod novum sit, qui omnes sine discrimine veteres eorumque opera et labores contemnant. Quasi vero nihil usque viderit antiquitas, omnisque veritas nobis, qui vivimus, reservata fuerit! Sunt quidem etiam, qui quum nimia veteres aestimatione prosequantur, non probent nisi antiqua, et recentiora quaeque solo novitatis titulo reiiciant. Qui sane a gravissimo praeiudicio non sunt liberi. Verum malim antiquitati inhaerere nimium quam parum. Certissimum enim est, in rebus gravioribus, quae sint vera, non esse nova, et quum reperiantur nova, non esse vera. Ab utroque igitur praeiudicio, quoad eius fieri possit, liber tenendus est animus. Medius inter nimium novitatis amorem et caecam antiquitatis servitutem ibis tutissimus. Qui sapit, in rebus gravioribus antiquitatem amat nec facile arbitratur, sapientissimos et probissimos quosque homines, qui hactenus vixerunt, omnes in his rebus alucinatos esse. Paratus tamen erit, vetera novis augere et perficere, atque novitatem etiam antiquitati praeferre in rebus omnibus, quarum indagatio propter observationem et experimentationem exigit multum tempus multorumque hominum industriam; in quo genere sunt res naturales et historicae, generatim, quae vocantur positivae [1].

i) Ultimo tandem loco propensionem inhaerendi m u l t o r u m opinioni fontem esse posse errorum dicimus. Quae quidem, sicut etiam inclinationes ceterae, de quibus modo diximus, in se bona est, et homini, qui, a natura socialis, in omni genere auxilio aliorum hominum indigeat, admodum utilis est; quae tamen vitio verti potest, si plus, quam patitur veritas, extendatur. Nolim equidem auctor esse, inquit Storchenau [2], ut viro doctrinae fama percelebri temere contradicatur; magis enim convenit, ut nostris potius facultatibus aliquid diffidamus. Neque tamen eapropter auctoritati aliorum hominum illico conquies-

---

[1] Cfr. S. Thom., in l. de causis lect. 1. [2] Institut. log. n. 231.

cendum est; sed veritas sollicite investiganda; tum re omnimode penetrata aut cum aliis consentiamus, aut ab illorum sententia modeste recedamus; nisi nobis consultius videatur, ut assensum dissensumve in aliud tempus differamus. Stultissimum certe est, ea statim reiicere, quae non intelligimus.

Huic errandi periculo non solum aetas adolescentior, sed adulta etiam subiecta est. Videmus id in vitae usu et consuetudine, in qua viri graves saepenumero ut grex demens unius hominis vel folii publici auctoritatem inconsiderate sequuntur. Videmus in multis scholis philosophorum, in quibus saepissime eruditae alicuius ducis fabulae in certissimae veritatis locum adoptatae sunt. Est etiam nostra aetas eorum fertilis, qui adeo servili sint ingenio, ut, quod facilius sit et cupiditatibus iucundum, credere malint quam scire, quod operosius et nobilius; quique patentes etiam errores eius, cuius placita sequi decreverint, complectantur et retineant. Neque inscite Tullius: „Qui requirunt, inquit, quid quaque in re ipsi sentiamus, curiosius id faciunt, quam necesse est; non enim tam auctores in disputando quam rationis momenta quaerenda sunt. Quin etiam obest plerumque iis, qui discere volunt, auctoritas eorum, qui se docere profitentur: desinunt enim suum iudicium adhibere; id habent ratum, quod ab eo, quem probant, iudicatum vident.“ [1]

Tertius fons errorum est pigritia et negligentia.

Quo vitio qui laborant, a solida rationum investigatione abstinent, re quavis prima occurrente contenti; statim sibi satisfaciunt; quae autem aliena sunt, damnant e vestigio. Inde praeceps oritur iudicium, mille errorum parens. Dum tamen sciendi cupiditate tenentur, de rerum copia et varietate, de quibus dicere possint, sunt solliciti; omnia vident, rimantur omnia, ne iis quidem relictis, quae ultra humanam intelligentiam posita sunt. Ex quo nihil praeter vanas dicendi formulas, stoliditates, errores consequi necesse est.

Quartus errorum fons affectibus voluntatis aperitur isque latissimus.

Quisque enim, ut monuit Aristoteles, iudicat, prout afficitur. Et veritas quidem theoretica vix ullum invenit adversarium praeter ignorantiam et pigritiam. At veritas practica in tot incurrit hostes, quot sunt malae animi affectiones quotque perversam vivendi rationem amant. Qui vitiis et voluptatibus sunt dediti, omnia malunt quam in rebus ethicis et religiosis veritatem agnoscere. Animus odio, invidia, aemulatione succensus nihil boni in adversario cernit, dicta omnia et cogitata in malam partem interpretatur. Spes et desiderium efficiunt, ut facile ea fieri vel facta esse credamus, quae cupimus. Timor magnus phantasiam turbat et mille oculis spectra exhibet. Superbia et nimia sui existimatio in causa est, quod nihil sapiat, nisi quod proprium sit; unde, qui sunt in hoc genere, alios prae se despiciunt atque absurdissima quaeque propugnare malunt quam aut errorem suum confiteri, aut aliorum sententiis acquiescere. Et generatim is, qui vehementiore agitatur affectu, nihil videre et sentire solet, nisi quod cum affectu connexum est; nihil eum ferit, nisi quod cum hoc viciniorem relationem habet; neque res ei repraesentantur, ut in se sunt, sed ut ab affectione subiectiva depinguntur. Quare quum ita a natura constituti simus, ut impressio vivacior omnem ad se animi attentionem trahat,

---

[1] L. 1 de nat. deor. c. 3.

fieri non potest, ut durante graviore affectione animus serio applicetur indagationi veritatis; sed id eveniet, ut quae primo iste affectus, non quae ratio suaserit, in veris habeantur. Neque unquam concitatus iratusque qui accedit ad iudicandum, mediocritatem illam tenebit, quae inter nimium et parum est interiecta.

Sed inter has pravas animi affectiones nihil philosopho superbia funestius est. „Nunquam uspiam sic apparuit, quantum valeat praeiudicium praesumptionis humanae vel ad non intuendam manifestissimam veritatem, vel ad affirmandam impudentissimam falsitatem.“ [1] Atque ea est non paucorum, qui se hodie „philosophos“ iactant, propria species insaniae, quod seipsum quisque putet esse centrum et solem universi mundi atque omnium rerum umbilicum.

Quintus fons errorum in defectu logicae saepissime patet.

„Logicae enim, ut sapienter notat Liberatore [2], severitate posthabita, stilo academico, saepe sub eloquentiae lenociniis, turpissima sophismata propinantur. Logicae igitur sedulo vacandum; atque ea, quae forte oratorio ritu disputata reperies, ad dialecticam normam erunt exigenda. Ita fortassis non pauca videbis, quae, si verborum fuco spolientur, nullam argumenti vim, et ne constantem quidem sibi sententiam retinebunt. Quod praeceptum maximi momenti est hac praesertim aetate in libris recentiorum auctorum volutandis.“

Sextus denique fons per malum vocabulorum usum apertus est.

Ita error oriri potest, quum consuetudine tracti voces usurpamus, quibuscum obscuros vel falsos conceptus coniungimus; quum ad diversam, quam voces habent, significationem non satis attendimus; quum non perpendimus, voces multas in ore hominum diversorum diversam vim habere, atque id etiam propter debilitatem humanam in ore eiusdem hominis diverso tempore; quum voces inter se per analogiam finitimas non satis distinguimus; quum imperfectionis, quae inest in significatione multorum vocabulorum, nullam rationem habemus. Sunt denique errores, qui ex axiomatis vel maximis, quippe quae non satis accurate verbis expressa sint, aut male intellectis aut male applicatis oriantur. His autem erroribus, qui ex malo verborum usu eveniunt, mederi possumus, quum vocabula ambigua vel obscura conceptusque et sententias illis substituta in examen vocemus, et deinde post adhibitam, quae accommodata sit, distinctionem definitiones efficiamus rectas, determinatas, claras.

182. *Scholion 1.* Ex Scholasticis Rogerius Baco (n. 47) omnes praeiudicatarum opinionum fontes revocavit ad quattuor. „Quattuor sunt, inquit, maxima comprehendendae veritatis offendicula, quae omnem quemcunque sapientem impediunt, ut vix aliquem permittant ad verum titulum sapientiae pervenire, videlicet fragilis et indignae auctoritatis exemplum, consuetudinis diuturnitas, vulgi sensus imperiti, et propriae ignorantiae occultatio cum ostentatione sapientiae apparentis. His omnis homo involvitur, omnis status occupatur. Nam quilibet in singulis artibus vitae et studii et omnis negotii tribus pessimis ad eandem conclusionem utitur argumentis, scilicet: hoc exemplificatum est per maiores, hoc consuetum est, hoc vulgatum est, ergo tenendum est. Si vero haec tria

[1] S. Augustinus, l. 4 contra Cresc., Donat. c. 28 n. 35.

[2] Logica. Prati 1881, parte altera n. 30.

refellantur aliquando, magnifica rationis potentia, quartum semper in promptu est et in ore cuiuslibet, ut quilibet suam ignorantiam excuset.“ [1]

Scholion 2. Fr. Baco de Verulamio (n. 55), id quod hoc loco Liberatore in memoriam vocat, notiones falsas idola nominat; earumque quattuor genera recenset: idola tribus, idola specus, idola fori, idola theatri.

Idola tribus fundata esse ait in ipsa hominum natura, sive potius ex ea occasionem sumere; atque horum septem fontes assignat. Primus est inclinatio mentis ad maiorem ordinem et aequalitatem credendam in rebus, quam reapse sit. II. Animi aversatio ab iis, quae semel admissis contradicunt. III. Quod iis, quae subito et facile mentem feriunt, homo maxime moveatur ceteraque illis esse similia opinetur. IV. Quod mens semper ulterius gliscat, nec facile conquiescat. V. Affectuum vis, quae ad id, quod volumus, vehementer inclinat. VI. Sensuum illecebrae; unde fit, ut ea, quae in sensus incurrunt, anteponamus iis, quae sensum effugiunt, licet validiora sint; et rerum invisibilium considerationem negligamus. VII. Inclinatio mentis ad abstracta.

Idola specus ea dicit, quae ex individui singulari natura et conditione proveniunt, sive in eius temperamento, sive in educatione et assuetudine fundamentum habeant. Potissimum inde exsurgunt: I. Quod peculiari scientiae, quam quisque adamat, reliquas facile mancipet et accommodet. II. Quod ingenia, quum alia quidem sint acuta et apta ad rerum notandas differentias, alia sublimia et idonea ad notandas similitudines, haud aegre in alterutrum labantur excessum. III. Quod sint, qui nimium in admirationem antiquitatis rapiantur, et qui penitus sint ad novitates effusi.

Idola fori, quae ex societate mutua hominum ingenerantur, potissimum ortum habere ait ex verborum fallacia, saepe ex captu vulgi pendentium. Atque id dupliciter contingere. Primum, quum nomina rerum, quae non sunt, adhibentur, ex. gr. *fortuna, casus,* hisque similia; deinde, quum nomina confusae significationis et male definita commiscentur.

Tandem idola theatri ea dicuntur, quae ex falsis dogmatis philosophiarum et praeposteris demonstrationum regulis emergant. Cui incommodo ut resistamus, duo proponit adiumenta: primum ut fundamento philosophiae in principiis naturae constituto, Rationalium simul et Empiristarum excessus caveantur; deinde ut inter pronuntiandi praefidentiam et acatalepsiam sive incomprehensibilitatem medium veluti teneatur iter [2].

183. Et de fontibus quidem hactenus. Nunc de errorum remediis quibusdam generalibus aliquid breviter recolendum est [3]. Quorum primum in animi circumspectione et prudenti quadam dubitatione situm esse diximus. Alterum in praeclara illa modestia reperietur, qua memores semper manemus, quam angustis limitibus vis humani ingenii, et praecipue vis propria unius hominis circum-

---

[1] Opus maius parte 1 c. 1 p. 2. Addit autem: „Munimen vero ad defensionem contra haec habere non possumus, nisi mandata et consilia Dei et Scripturae Sacrae et iuris canonici et sanctorum philosophorum et omnium sapientium antiquorum sequamur.“ L. c. c. 8 p. 11.

[2] Novum organum l. 1 § 39 sqq. [3] Hac de re cfr. Balmes, El Criterio.

scripta sit. Tertium est, ut veritatis simus amantissimi et tum etiam veritatem plurimum aestimemus, si nostris commodis vel cupiditatibus adversari videatur. Quartum denique sapientissime legimus in ferventi et humili precatione ad Deum esse positum, qua de re supra (n. 173)[1].

Haec praescripta servantem licet sine gravioris erroris periculo procedere, atque etiam ad altiora tendentem praeclarum illum finem consequi, qui philosophanti animo est constitutus.

184. **Modestia in inquisitione philosophica adhibenda.** Sunt qui, quum sentiant humani ingenii imbecillitatem videantque, se non posse scire omnia, spem omnem consequendae scientiae abiiciant, se nihil scire posse gloriantes. Neque desunt qui, quum sentiant humani ingenii vim et praestantiam videantque, se posse scire aliquid, Titanorum more altissima petant atque asseverent, se scire posse omnia. Sicut a desperatione illorum, ita ab horum insolentia diligenter cavendum est. Sicut enim homo ex natura sua est superior pecude, quae nihil scit, ita est inferior Deo, qui scit omnia. Et magis quidem est huic inferior quam illi superior. Unde nemini, qui videre velit, ignotum est, in rebus historicis et naturalibus paucissima esse, quae ab hominibus per scientiam historicam vel naturalem sciantur, quae ignorentur, esse plurima. Neque mirum esse potest, etiam in rebus philosophicis sive metaphysicis evenire, ut ea, quae homini propter finem sibi a Deo Creatore praestitutum scitu sint necessaria, cum certitudine cognosci possint, ut autem plurima eorum, quae curiositati potius quam necessitati inserviunt, investigationi incertae vel saltem minus certae relicta sint. At non ideo parvi habenda est philosophia, quia exigua sunt, quae homo sibi per industriam suam acquirere potest. Sicut enim is, qui minus habet, id quod habet, diligentiore cura administrare solet, quam is, qui divitiis abundat, ita etiam nobis diligentia eo maior ad res addiscendas adhibenda est, quo pauciores sunt res illae carissimae, quas ingenio et labore nobis acquirere possumus.

Neque ab hoc loco alienum est monere, non decere prudentem veritatis inquisitorem, ut veritatem certo cognitam relinquat propter dubitationem quamlibet, quam illico solvere argumento positivo non possit[2].

---

[1] Hanc rem multis prosequitur Storchenau, Instit. log. n. 39, 229, 239.

[2] Qua de re Bossuet: „Quand nous nous mettons à raisonner, nous devons d'abord poser comme principe indubitable que nous pouvons connaître très-

185. **Non est exspectanda in rebus omnibus certitudo eadem.** Certitudo, quum sit „firmitas virtutis cognoscitivae ad suum cognoscibile“ [1], tum ab entitate et intelligibilitate rerum pendet, tum a diverso modo, quo res ab intellectu nostro attinguntur. „Modus manifestandi veritatem in qualibet scientia debet esse conveniens ei, quod subiicitur sicut materia in illa scientia.“ [2] Quum autem triplex scientiae genus distingui soleat: physicae, mathematicae, metaphysicae, disciplinae physicae id sibi proprium habent, ut versentur in rebus materialibus, quae subsint legibus physicis. Hae autem leges non sunt absolute et ex conceptu immutabiles. Unde scientia physica quoad se minus certa est, quam reliquae, quas diximus, scientiae.

Scientia metaphysica et mathematica conveniunt in eo, quod in essentiis rerum versantur, ut hae subsunt legibus metaphysicis sive absolute immutabilibus. Quocirca quoad se scientia mathematica non maiorem certitudinem habet quam metaphysica. Si vero spectentur quoad nos, grandis est in certitudine differentia. Namque obiectum mathesis, quum sit quantitas, in eo genere est, ut imaginatione, quae est facultas sensitiva interna, apprehendi et intellectui intuenti exhiberi possit. Unde veritas mathematica est intelligibilis in materia sensibili sive potius imaginabili. Ex quo fit, ut haec veritas a nobis eo modo attingatur, qui est naturae nostrae omnino proportionatus. Res autem metaphysicae, etiamsi in se sunt omnium certissimae, quia tamen propter abstractionem omnia omittunt, quae a nobis imagine exhiberi et aspici quasi possunt, quoad nos ab ea certitudinis perfectione deficiunt, quae inest in rebus mathematicis.

Neque illud omittere volumus, inter varias scientiae physicae disciplinas haud exiguum certitudinis discrimen esse. Quo enim plures sunt res et quo magis diversae, quae in aliqua scientia considerandae sunt, et quo plures causae ad unum effectum producendum convenire debent, et quo plures ex his causis obscurae, eo difficilior est cognitio et certitudo infirmior. Ut autem haec prae-

---

certainement beaucoup de choses, dont toutefois nous n'entendons pas toutes les dépendances et toutes les suites. C'est pourquoi la première règle de notre logique, c'est qu'il ne faut jamais abandonner les vérités une fois connues, quelque difficulté qui survienne quand on veut les concilier; mais qu'il faut, au contraire, pour ainsi parler, tenir fortement les deux bouts de la chaîne, quoiqu'on ne voie pas toujours le milieu, par où l'enchaînement se continue.“ Traité du libre arbitre ch. 4.

[1] S. Thom., 3 dist. 26 q. 2 a 4. [2] S. Thom., in l. 1 ethic. lect. 3.

tereamus, maximum hoc loco discrimen ex diversitate principiorum, i. e. legum physicarum et legum moralium, nascitur. Inter has enim ordinis physici (vi vocis latiore) disciplinas aliae sunt, quae explicant res ex legibus physicis vi huius vocis pressius accepta, i. e. ex legibus, quae naturis rerum a Creatore insitae sunt, quae igitur mutari non possunt nisi per exceptionem rarissimam propter specialem interventum Creatoris. Quarum legum alias perfecte et cum certitudine, alias cum probabilitate tantum et imperfecte cognoscere possumus. Sed aliae inter eas disciplinas sunt, quae innituntur in hominum consuetudine et vitae humanae moribus, et accuratissimam particularium rerum notitiam requirunt. In his ergo certitudo non erit, nisi inferior illa, quam moralem vocant. Et quia haec materia moralis est varia et difformis, non habens omnimodam certitudinem, saepenumero oportet ostendere veritatem verisimiliter [1].

Quae quum ita sint, turpiter falluntur, qui in rebus omnibus eandem certitudinem exspectant. „In conditis, ut est apud S. Thomam, i. e. in his, quae fiunt per artem, non est similis modus operandi in omnibus, sed unusquisque artifex operatur in materia secundum modum ei convenientem, aliter quidem ex terra, aliter ex luto, aliter ex ferro." Similiter in scientiis diversis diversitas materiae attendenda est. Et „ad hominem disciplinatum, i. e. bene instructum, pertinet, ut tantum certitudinis quaerat in unaquaque materia, quantum natura rei patitur. Non enim potest esse tanta certitudo in materia variabili et contingenti, sicut in materia necessaria semper eodem modo se habente. Et ideo auditor bene disciplinatus non debet maiorem certitudinem requirere nec minore esse contentus, quam sit conveniens rei, de qua agitur. Propinquum enim peccatum esse videtur, si aliquis acceptet aliquem mathematicum persuasionibus rhetoricis utentem, et si expetat a rhetorico demonstrationes certas, quales debet proferre mathematicus" [2].

186. **Ad magistri alicuius auctoritatem** sese contulerunt ab initio omnes, quibus, ut in rebus philosophicis multum proficerent, serio erat in animo. „Sine dubio aliquis potest, ut monet Aquinas, per lumen rationis sibi inditum absque exterioris doctrinae adminiculo vel magisterio devenire in cognitionem multorum ignotorum." Et „quamvis modus in acquisitione scientiae per inventionem

---

[1] S. Thom., in l. 1 ethic. lect. 3. Cfr. Summ. theol. I. II. q. 96 a. 1 ad 3.
[2] S. Thom., in l. 1 ethic. lect. 3.

propriam sit perfectior ex parte recipientis scientiam, in quantum designatur habilior ad sciendum: tamen ex parte scientiam causantis est modus perfectior per doctrinam: quia docens, qui explicite totam scientiam novit, expeditius potest ad scientiam inducere, quam aliquis induci possit ex seipso, per hoc, quod cognovit scientiae principia in quadam communitate“ [1].

Potest autem duplici modo contingere, ut quis sese subdat docentis auctoritati. Uno modo sicut Pythagoraei (n. 25), apud quos ita sine ulla ratione vim habuisse dicitur magistri auctoritas, ut interrogatis satis fuerit dicere: αὐτὸς ἔφα. Atque hoc servitutis genus, quo quis propter solam hominis caecam reverentiam ad defendenda pertinaciter illius hominis placita adstringitur, sive vera sunt, sive falsa, est viro philosopho prorsus indignum[2]. Alio modo potest quis alteri sese subdere in iis, in quibus veritatem nondum exploratam habet, rationibus attendens, quibus, qui docet, sententiam probat, hancque admittere, aut his rationibus, quas intellexerit, permotus, aut saltem auctoritate ductus docentis, quamdiu rationes probatas non satis perspexerit; non quod ipse magistrum iudicaverit esse sapientem: id enim qui incipiunt, iudicare non possunt; statuere enim, quod sit sapiens, vel maxime videtur esse sapientis; sed quod fidat illis, quorum interest, ut sapientes instituantur magistri.

Et sapiens magister „non statim in principio suae doctrinae ei, qui instruitur, tradit rationes subtilium, de quibus instruere intendit, ... sed tradit ei quaedam, quorum rationes tunc, quum primo instruitur discipulus, nescit; sciet autem postea perfectus in scientia. Et ideo dicitur, quod o p o r t e t a d d i s c e n t e m c r e d e r e; et aliter ad perfectam scientiam pervenire non posset, nisi scilicet supponeret ea, quae sibi in principio traduntur, quorum rationes tunc capere non potest“ [3].

Dici autem vix potest, quanta generatim sit in auctoritate amplitudo et gravitas. Si quis vim et usum auctoritatis de medio tollere vellet, is non

---

[1] S. Thom., Quaest. disput. q. 11 de verit. a. 2. Cfr. Goudin, Log. initio.

[2] Qua de re S. Thomas: „Quamvis, inquit, universaliter, ratione pertinente ad omnes homines, veritas sit praeferenda amicis, specialiter tamen hoc oportet facere philosophos, qui sunt professores sapientiae, quae est cognitio veritatis. Iuxta hoc etiam est sententia Platonis, qui reprobans opinionem Socratis magistri sui dicit: Amicus quidem Socrates, sed magis amica veritas.“ (In l. 1 ethic. lect. 6.) Cfr. Roselli, Summ. philos. ad mentem S. Thomae, ed. nov. Bonon. 1857. Log. n. 79 sqq.

[3] S. Thom., Quaest. disput. q. 14 de verit. a. 10.

solum philosophiam, sed disciplinas omnes liberales atque ipsam scientiam naturalem efficacia et progrediendi facultate privaret. Quid enim de societate humana eveniret, si unicuique hodie a totius generis initiis proficiscendum esset? Disciplinae naturales maximam partem experimentis nituntur. Experimenta autem omnia unus et idem homo instituere quis potest? Itaque per plurima saecula homines innumerabiles requiruntur, qui vacent observationibus et experimentis, ut ex his principia scientiae naturalis inducantur. Simili ratione aliorum fide in omni indigemus scientia.

Quibus breviter indicatis intelligitur, quanta hodie circumspectione opus sit in admittenda alicuius magistri auctoritate. Quum enim perversis magistris abundet saeculum, discentibus curandum est, ut cum magna auctoritatis reverentia integram iudicandi potestatem coniungant. Et felices illi discipuli, qui magistrum nacti sunt, cuius auctoritati se tuto credere possint.

187. Quod autem de sequenda auctoritate magistri diximus, id etiam vim habet, si de colendis magnis philosophis temporis praeteriti agitur.

Ex una quidem parte omittenda sunt illa ingenii vincula, quibus, ut recte vituperat Storchenau, non quod ratio suadet, sed quod aliis placuit, sentire iubemur; quo fit, ut non veritas studiose inquiratur, sed aliorum sensa anxie explorentur, non indagentur firmiores rationes, non instituantur experimenta; sed in eorum locum auctoritas substituatur, argumentaque precaria undique conquirantur, quibus periclitanti sententiae, in quam iuratum sit, quoque modo succurratur; verbo denique, nihil novi moliminis suscipiatur, sed auctorum dicta pro Delphicis oraculis suscipiantur novitasque ipsa peccatum sit [1].

Ex altera autem parte gravior multo pernicies ab illa proprii ingenii fiducia timenda est, quae soli sibi fidit, cui nulla auctoritas sancta est, quae omnia delere vult, quae alii ante cogitatione effecerunt, ut nunc tandem oriatur „sol", ex quo universum genus humanum lumen emendicet. Cuius generis „solibus" inter se infensissimis nostrum saeculum scatet ut antea nullum.

Quae igitur homines veneratione digni per anteacta saecula in philosophia statuerunt, ea, modo sapienter agere velimus, in summo pretio habebimus; non tamen ita, ut vetera novis augere et perficere dubitemus.

Hoc pacto Scholasticos, quos vocant, Aristotelem secutos esse videmus non solum ut interpretes, sed ex illius fontibus iudicio proprio atque arbitrio, sane non sine aliqua cautione adhibita, hauserunt. Qua de re ipse fatetur Hauréau, Scholasticos Aristotelem ita esse interpretatos, ut eius philosophiam magnis gravissimisque augmentis ditaverint erroresque in ea latentes detexerint repulerintque [2]. Etsi vero recentiore aetate nonnulli ex philosophis catholicis atque ex ipsorum religiosorum ordinum magistris, nimio novarum rerum studio abrepti, viam regiam philosophiae Aristotelicae reliquerunt, tamen pars plurima eorum,

[1] Institut. log. n. 229.

[2] Histoire de la philosophie scolastique. Paris 1872. Init.

qui lumine religionis Christianae illustrati, rebus philosophicis navarunt operam, philosophiae antiquitus traditae et ab ingeniis plurimis per multa saecula excultae firmiter et constanter adhaeserunt.

188. Sed iam longius provecti sumus, quam proposita ratio postulabat. Quantopere a prudenti quoque directio magistri desideraretur, dicendum erat. Ut autem haec a magistro petita moderatio illam ferat, quae exspectatur, utilitatem, qui discunt, in audiendis lectionibus debent esse assidui. Quum intelligentia sequentium ab antecedentibus pendeat, nulla, si fieri potest, praelectio magistri negligenda est. Incredibile est, quantum una neglecta lectio in disciplinis praesertim philosophicis, in quibus quippe omnia cohaereant, saepe afferat detrimenti. In praevidendis deinde lectionibus debent esse diligentes. Ne videlicet ea, quae in praelectionibus proponentur, nova tibi et improvisa accidant, praelegisse iuvabit, quae explicatum iri arbitraris; et si qua legenti tibi occurrerint, quae nodum difficiliorem habere videantur, ea speciatim nota, ut mentem deinde inter ipsam lectionem ad istorum explicationem sollertius advertas. Et generatim in lectionibus seposita quavis alia cogitatione omnis ingenii vis et attentio in magistrum defigenda est. Postquam autem lectiones audierint, etiam in his repetendis diligentes esse debent; in quibus repetitionibus si quid erit, de quo ipsi dubitent, magistrum adeant vel amicum. Ex lectionibus ea, quae adnotatu digna sunt, in scripta referant; et postea maiore cum ordine digesta in compendium redigant, quae in posterum conservata velint. Atque horum compendiorum, quae discentium unusquisque secundum propriam indolem ipse sibi elucubraverit, semper utilitas est maxima, dum de aliis, quae typis impressa discentibus in manus traduntur, utrum utilia sint an nociva, saepe non sine ratione dubitatum est. Neque in tota hac studendi ratione, id quod supra monitum iam habemus, nimium fidant memoriae; sed omnia penitus intelligere curent, et intellecta sic examinent, ut ipsi sibi obiiciant, et quae obiecerint, solvant. Quod si qua solvere non possint, ea annotent ad interrogandum, recogitandum opportuniore tempore, vel etiam ad disputandum.

Et ordinata quidem de rebus philosophicis disputatio semper a scholae magistris summo in pretio est habita, de qua est nobis hoc loco praecipiendum accuratius.

189. **Disputatio scholastica** est ordinata inter duos concertatio, quorum alter statutae thesis veritatem tuetur, alter impugnat. Ex

parte igitur defendentis expositio apologetica est, elenctica autem ex arguentis parte.

Quantae utilitatis eius generis actio sit, si recto animo ineatur, rectaque peragatur ratione, nemo est, quin videat. In opinionum enim varietate haud raro accidit, ut res partim ignorentur, partim cognoscantur obscurius, neque satis attendatur, res alias definiendas esse certis limitibus, alias accuratius proponendas. In recte autem instituta concertatione id certo efficietur, ut notiones, quantum necesse sit, expendantur et illustrentur; ut rationes, quibus innitimur, aut vim suam ostendant manifestius, aut si quid habeant, quod satis firmum non sit, id aperiant. Multae etiam procedente disputatione quaestiones nasci solent, quibus ingenia cognitionis et scientiae cupida ad res penitius perscrutandas vehementer excitantur. Accedit, ut et ordinate cogitare discamus disputando et iudicare maturius, et sermonem instituere ad persuadendum appositum. Quum deinde in disputationis fervore in omnem sese partem mens vertere cogatur, ut, quid commode ad singula obiecta sit respondendum, inveniat, fieri non potest, quin ea etiam occurrant, quae secus vel nunquam vel nonnisi post longissimam meditationem mentem subiissent. „Nimiam tamen, ut sapienter monitum est apud Storchenau[1], disputandi libidinem non probo; ea enim non leve est promovendae scientiae impedimentum; homines non tam doctos quam scepticos efficit; generatque pertinax quoddam contradicendi studium, quo invalescente nulla doctrina tam absurda, tam impia est, quae non ab aliquibus cum aliqua vana victoriae specie propugnata sit.“

Quae autem modesti et verecundi sermonis praecepta sunt, eadem ad disputationem pertinebunt. Sit ergo hic sermo, ut dicit Tullius, in quo Socratici maxime excellunt, lenis minimeque pervicax; insit in eo lepos. Nec vero, tamquam in possessionem suam venerit, excludat alios[2]. Quodsi utendum fortasse et vocis contentione maiore et verborum gravitate acriore, id agendum, ut ira procul absit, cum qua nihil recte dici, nihil considerate potest. „Rectum est autem, inquit Tullius, etiam in illis contentionibus, quae cum inimicissimis fiunt, etiamsi nobis indigna audiamus, tamen gravitatem retinere, iracundiam pellere. Quae enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea nec constanter fieri possunt, neque iis, qui adsunt, probari. Deforme etiam est, de se ipsum praedicare, falsa praesertim, et cum irrisione audientium imitari militem gloriosum.“ [3]

Disputationis forma generatim potest esse multiplex. Quum enim homines quotidie colloquentes et inter se disputantes solutum omnino et liberum investigandi quaerendique modum sequantur, iam,

---

[1] Log. in fine. [2] Cic. l. 1 de off. c. 37. [3] L. c. c. 38.

si de re aliqua statuenda agitur diligentius, natura duce in ea fere methodo conveniunt, ut adversarium interrogationibus apte inter se excipientibus consulant, atque ita paulatim ad agnoscendam veritatem adducant. Quam disserendi rationem Socraticam vocant.

Sed nobis de ea disputandi methodo agendum est, quae argumentationem omnem per integram syllogismi vel enthymematis formam continenter deducit, et ideo definiri potest: actus syllogisticus unius ad alterum ad aliquod propositum ostendendum[1].

Disputatio igitur scholastica est quaedam de aliqua quaestione ad illustrandam veritatem instituta concertatio inter duos, quorum alter veritatem exponat atque defendat, alter eam impugnet, servata diligenter syllogismi forma. Haec disputandi ratio scholastica dicitur, quia per multa saecula in philosophorum scholis adhibebatur atque etiam theologorum.

„Et nihil hac methodo accommodatius ad disputationis finem, nihil opportunius ad colligendos disputationis fructus, et ad vitia praecavenda, quae in disputationem obrepere possunt; nihil necessarium magis. Crede mihi: multi, qui et voce et scripto et editis voluminibus putant se aliquam veritatem defendisse, vel aliquem adversarium confutasse, si adduci possint, ut quaecunque disputarunt, ad formam syllogisticam exigant, statim animadvertent, se eloquenter fortasse declamasse, erudite scripsisse, descripsisse eleganter, at vero simul se a scopo aberrasse, demonstrasse nihil, nihil refutasse, quinimmo ne clare percepisse quidem, quid sibi demonstrandum vel refutandum sit. Iterum crede mihi: si haec disceptandi ratio in rebus praesertim subtilioribus et implexis, vel in iis, quae ignem cupiditatum humanarum excitant, universim adhiberetur, quaestiones multae, quae hinc inde acri studio agitantur, servata pace quiescerent; multae nullo negotio solverentur; multae, quae solutae putantur, insolutae atque adeo insolubiles agnoscerentur; multi errores, simul atque orti sunt, extabescerent; irae, animi atque spiritus pertinaciter concertantium vix locum haberent.“[2]

---

[1] S. Thom., Opusc. 35, de fallaciis.

[2] Ita fere Tongiorgi, Instit. philos. Logic. n. 350. Idem professus Leibnizius: „On trouvera, plus souvent, qu'on ne pense (en examinant les paralogismes des auteurs), qu'ils ont péché contre les règles de la logique, et j'ai moi-même expérimenté quelquefois, en disputant même par écrit avec des personnes de bonne foi, qu'on n'a commencé à s'entendre que lorsqu'on a argumenté en forme pour débrouiller un chaos de raisonnements.“ Nouveaux essais sur l'entendement humain l. 4 c. 17.

Non opus esse videtur, descriptionem concertationis scholasticae copiosius explicare[1]; existimamus satius, regulas et normas bonae disputationis breviter indicare.

190. Aliquae distinguendi formulae. Quum disputantibus saepenumero accidat, ut veritatem falsitatemve alicuius propositionis debeant determinare distinguendo vim sive sensum terminorum, qui in propositione sunt adhibiti, commode tenentur certae illae dicendi formulae, quae in rebus philosophicis a distinguentibus adhiberi solent.

Vix ulla est distinguendi ratio frequentior quam ea, qua una pars formaliter esse dicitur. Quae vox latissime accepta idem significat atque proprie, vel rem consideratam in seipsa, in propria sua natura, secundum suum conceptum, omni impropria significatione omissa; non igitur improprie, non apparenter.

Quae autem huius vocis sit specialis potestas, variis ex correlativis, quibus opponitur, intelligi debet. Cuius rei haec exempla ponimus:

„Formaliter" — „accidentaliter". Homo formaliter sive essentialiter est animal, rationalis; accidentaliter est sanus, doctus.

„Formaliter" — „materialiter". Ebrius si quem occidit, materialiter, non formaliter homicidium committit; deest enim libertas in ipso actu, qui igitur imputari nequit. Bonus materialiter aliquis dicitur a pulchra forma, formaliter a virtute.

„Formaliter" — „realiter (identice)". Vis solis illuminandi et calefaciendi eadem est realiter, non formaliter. Iustitia Dei et sapientia realiter sunt unum idemque, non formaliter. Homo, qua liber, realiter est animal, non formaliter.

„Formaliter" — „virtualiter" — „eminenter". Dicitur de causis, prout continent perfectionem sui effectus. Calor formaliter est in igne, virtualiter in vino; perfectiones creaturarum eminenter sunt in Deo. „Deus totus oculus est, quia omnia videt, totus manus est, quia omnia operatur."

„Formaliter" — „aequivalenter". Duodecim menses non formaliter, sed aequivalenter sunt unus annus. Definitio et definitum non formaliter, sed aequivalenter sunt idem.

„Formaliter" — „efficienter (causaliter)". Medicina dicitur sana non formaliter, sed efficienter.

„Formaliter" — „dispositive". Otium non formaliter, sed dispositive est principium omnium vitiorum. Vulnus non formaliter, sed dispositive occidere dicitur aliquem.

„Formaliter" — „radicaliter (fundamentaliter)". Risibilitas formaliter a rationalitate distinguitur, non vero radicaliter; rationalitas enim radix et ratio est risibilitatis. Superbia non formaliter, sed radicaliter omnia vitia continet.

„Formaliter" — „arguitive (illative, connexive)". Ex fumo cognosco ignem non formaliter, sed arguitive seu per illationem.

---

[1] Cfr. H. Marcellii S. I., Ars disputandi. Colon. 1658.

„Formaliter" — „imputative". Qui furtum imperat, ipse est fur, non formaliter, sed imputative.

„Formaliter" — „finaliter". Beatitudo movet hominem non formaliter, sed finaliter, i. e. tamquam finis.

„Formaliter" — „obiective". Deus est spes nostra non formaliter, sed obiective.

„Formaliter" — „metaphorice (improprie)". Homo fortis dicitur leo metaphorice, non formaliter.

„Formaliter" — „exemplariter". Idea in mente pictoris non formaliter, sed exemplariter, i. e. tamquam exemplar solum imaginem producit.

„Formaliter" — „denominative". Totus homo denominative est sapiens ab anima formaliter sapiente. Res dicitur cognita denominative ab aliquo cognoscente, non formaliter ab aliqua proprietate rei insita.

„Formaliter" — „specificative". Medicus non formaliter, i. e. quia medicus est, sed specificative, quia ad speciem humanam pertinet, aegrotare, dormire dicitur. — Vix notandum est, aliquas ex his distinctionibus non multum inter se differre et propterea saepius inter se commutari.

Ex ceteris distinctionibus frequentius occurrunt, quae sequuntur:

„Absolute" sive „stricte" — „accommodative". Omnes omnino homines mortales sunt, i. e. absolute omnes; at neque omnes et singuli, neque omnes eadem ratione sunt peccatores; i. e. accommodative omnes.

„Absolute" — „comparative (respective, relative)". Homo mediocris fortunae absolute neque dives neque pauper est, sed comparatus cum ditissimis pauper dici potest et comparatus cum pauperrimis dives; i. e. dives comparative.

„Absolute" — „connotative". Deus dicitur Deus absolute, sed creator connotative; similiter infans et filius.

„Absolute" — „hypothetice". Absolute valet, quod semper, ubique, omni et nulla suppositione facta valet; hypothetice, quod nonnisi posita certa conditione verum est.

„Antecedenter" — „consequenter". Iudex antecedenter vult omnes vivere, consequenter ad crimen vult rei mortem.

„Distributive" — „collective". Non singuli milites distributive sunt exercitus, sed omnes collective.

„Entitative" — „connexive". Corpus entitative seu secundum suam naturam solam est incapax sentiendi, sed connexive, i. e. coniunctum cum anima, sentire potest.

„Entitative" — „terminative". Cognitio est entitative immanens, terminative transiens actio.

„Essentialiter" — „participative". Deus essentialiter est sapiens, creatura participative; Deus enim est summe sapiens et sapiens per essentiam.

„In actu signato" — „in actu exercito". In actu signato verbis, in actu exercito actionibus interdum loquimur. Qui tacet, non in actu signato, sed in actu exercito consentit.

„In sensu composito" — „in sensu diviso". In sensu diviso dormiens potest vigilare, caecus legere; at non in sensu composito.

„In signo priori" — „in signo posteriori". In signo priori est illud, quod, etsi tempore et natura simul est cum altero, tamen ante illud se-

cundum rectum ordinem cogitari debet; in signo posteriori, quod post alterum ponendum est. Etiam in Deo voluntas intellectum quasi supponit, sed quum intellectus divinus neque tempore, neque natura voluntatem praecedat, et tamen ante voluntatem cogitari debet, dicitur intellectus divinus poni in signo priori ad voluntatem et voluntas in signo posteriori ad intellectum.

„Moraliter" — „physice". Moraliter homo liber, physice brutum agit. Moraliter, non physice occidit, qui consilio, exhortatione alterum ad physicam necem impellit.

„Per se" — „per accidens". Per se, i. e. ex natura sua, necessario homo est mortalis; per accidens vero pius, doctus est[1].

„Realiter" — „virtualiter". Anima humana re vel realiter est una, virtute seu virtualiter est multiplex.

„Simpliciter" — „secundum quid". Simpliciter dicitur, quod sine addita restrictione neque ulla alia re subintellecta, sub omni vel sub principali respectu tale est, quale dicitur; secundum quid, quod addita restrictione, vel facta aliqua solum suppositione, sub aliquo solum respectu valet. Deus simpliciter est; creatura secundum quid. Adolescens prudens et serius dicitur non simpliciter vir, sed secundum quid. Homo paululum aegrotans est sanus simpliciter, aeger secundum quid.

„Subiective" — „connotative". Poenitentia est subiective bonum aliquid, connotative vero aliquid malum.

„Subiective" — „terminative". Creatio subiective, i. e. ex parte Dei, est infinita, terminative, i. e. ex parte rei creatae, est finita.

„Subiective" — „obiective". Felicitas beatorum non subiective, sed obiective est infinita. Similiter peccatum obiective, non subiective est malum infinitum.

Aliae distinctiones ex se satis clarae sunt v. g.:

„In sensu obvio" — „in sensu translato". „Secundum inchoationem" — „secundum perfectionem". „Intrinsecus" — „extrinsecus". „Implicite" — „explicite". „Intensive" — „extensive". „Adaequate" — „inadaequate". „In potentia" — „in actu".

---

[1] „Tribus modis (ut recte est apud S. Bonaventuram in l. 1 sent. dist. 30 a. 1 q. 2) unum de altero ‚secundum accidens' dici potest; primo, ut opponitur ei, quod secundum substantiam dicitur, et significat id, quod alteri inest; deinde, ut opponitur ei, quod dicitur ‚per se', et illud significat, quod per aliud est; tertio, ut opponitur ei, quod necessario inest subiecto, et id indicat, quod subiecto contingenter sive non necessario inest." „Omne illud, inquit S. Thomas, dicimus per accidens se habere ad aliquid, sine quo illud esse potest." (Quaest. disput. q. 7 de pot. a. 8 ad 6.) Et alio loco: „Quidquid inest unicuique per seipsum, per se dicitur de eo; quod vero non per seipsum inest alicui, per accidens dicitur; sicut quum dico: *Hoc ambulante coruscat;* non enim propter id, quod ambulat, coruscat, sed hoc dicitur secundum accidens. Si vero, quod praedicatur, insit subiecto per seipsum, per se inest, ut quum dicamus, quod *interfectum interiit;* manifestum est enim, quod propter id, quod illud interfectum est, interiit, et non est accidens, quod interfectus interierit." (In l. 1 anal. post. lect. 10.)

„In actu primo" — „in actu secundo". „In Fieri" — „in Facto esse". „Immediate" — „mediate". „Directe" — „indirecte". „Proxime" — „remote"[1].

191. **Disputationis scholasticae forma.** Quum res agatur inter duos, quorum unus conclusionem, quae in disputatione nomen thesis accipit, tueatur, alter impugnet, qui tuetur, nominatur defendens; qui impugnat, vocari solet arguens sive obiiciens. Et praeceptorum alia defendenti et obiicienti communia sunt, alia hunc vel illum solum respiciunt.

1. Praecepta communia quod attinet, utrumque quaestionem propositam penitus intellexisse oportet. Quare de huius quaestionis vi et ambitu ipsis disputantibus constet; argumenta eorumque pondus et efficaciam bene perspiciant; difficultates praecipuas, quae opponi possunt, et solutiones, quae afferri debent, omni ex parte noverint.

Ad aliena a re proposita ne deducantur; digressi autem pro rei necessitate quam primum ad rem, de qua agitur, redeant. Suam uterque sententiam breviter et clare proponat, ut quivis auditor facile disputantes intelligat. Hinc etiam alter alterius verba omnino fideliter, quantum fieri poterit, repetat iisque insistat.

Modus disputandi ne langueat; ne difficultati solutae ad taedium usque inhaereant easdem obiectiones iterum ac tertio et saepius tractantes. Neque ex altera parte rem in discrimen adductam eamque non solutam subito relinquant. Tota concertatio animi alacritatem, ingeniorum acumen atque promptitudinem cum omni modestia prae se ferat; alias timendum est, ne cum fervore omnem utilitatem amittat. Uterque disputantium auditorem animo suspensum tenebit et quasi ad propria castra alliciet, si alter fortiter et acute difficultates quasi sagittas quasdam in defendentem dirigat, quas alter secura dexteritate retundat atque in obiicientem ipsum retorqueat. Inerit iste vigor toti disputationi, quum, omissis sententiis longioribus atque complexis, brevi et simplici ut plurimum utantur syllogismo. Enthymema et dilemma et syllogismus conditionalis rarius sunt adhibenda. Rationes et explicationes frequentius addere vel postulare, et disputantes et auditores multum fatigare atque turbare solet; idcirco, quantum fieri poterit, ab ea interruptione abstinendum est.

192. 2. Defendentis est, thesim explicare atque certis argumentis defendere. Ea claritate et distinctione omnia proferat, ut ab audientibus facile intelligantur. Non enim rerum tantum, sed etiam auditorum ratio habenda est et reverentia.

Primo stans thesim probandam clara voce recitabit, deinde sedens „statum quaestionis", qui dicitur, distincte et distribute exponet, i. e. vim et ambitum rei demonstrandae circumscribet suisque quasi limitibus definiet; adversariorum

[1] Cfr. Ios. Z. Mellinii Lexicon veterum theologorum. Colon. 1855. — N. Signoriello, Lexicon peripateticum philosophico-theologicum. Neapol. 1881.

opiniones proferet, et, si qua alia sunt necessario monenda, breviter explicabit. Tum argumenta singula concinne atque perspicue ex ordine evolvet, quibus finitis addi solet: „Et sic videtur thesis probata".

Assurgens iam primam adversarii argumentationem excipit dicens: „Ita placuit argumentari"; deinde fideliter repetit, et in fine repetitae argumentationis dicit: „Resumo atque respondeo". Iterum sedens et argumento iterum repetito responsionem ad quodvis membrum adiungit. Atque per totam disputationem id defendenti observandum est, ut, postquam ab obiiciente argumentum probatum est, ipse illud ex toto prius repetat, quo interim illius consequentiam examinare, vim penetrare, responsionem praeparare possit. Et tum demum ad singula respondeat.

Potest autem vitium argumentationis reperiri vel in termino medio vel in alterutro extremorum. Si vitium latet in medio, distinguenda est maior secundum termini medii ambiguitatem. Deinde contradistinguenda minor, ita, ut negetur in minore ea pars, quae respondeat parti in maiore concessae. Tandem neganda consequentia.

Si autem vitium latet in extremo maiore vel minore, distinguenda erit praemissa, in qua inest extremum ambiguum, et concessa altera et concessa consequentia distinguetur consequens.

Si remanet alicuius termini ambiguitas, addetur huius termini subdistinctio.

Si quid negandum est, dici potest „nego", vel modestius „non apparet", vel „peto probationem".

Generatim defendenti, quum aliquam sumptionem distinguit, leges servandae sunt, quae hoc versiculo continentur:

Divide, defini, concede, negato, probato.

Divide videlicet vel distingue propositionis vim duplicem; defini vel explica utramque; concede propositionis partem veram; negato falsam; et probes breviter adiungens rationem, cur negaveris.

Quodsi argumentatio, ad quam respondendum est, duplici vitio infecta sit, responsio duplex dari potest hoc fere modo: Respondeo primo: negatur maior; respondeo secundo: Omissa maiore negatur (vel distinguitur) minor. Vel omnino ea pars omittatur sive transeat, quae cum thesi minus connectitur; et ea tantum negetur, quae ad argumentum praesens plus momenti habet.

Quum post datam solutionem urgetur argumentum per instantiam (n. 169), propositio, quae primo enuntiatur, subsumptum dicitur.

Si extra formam aliquid ab arguente interrogatur (quod raro et per exceptionem fieri potest), interrogationem, antequam respondeat, fideliter repetat, incipiendo: Quaeritur.

Si denique opponens in argumentatione sua aliquid supponat ut verum, certum, admissum, quod hoc modo supponi non potest, defendentis est, indicare hoc suppositum et negare. Quidquid autem ad rem non facit, sive falsum est sive verum, „transmitti" potest, tamquam ad alium locum spectans.

193. Obiicientis sive arguentis est, eas rationes exquirere, quibus thesis proposita efficacius impugnari possit[1].

---

[1] Rationes dubitandi nonnunquam facilius menti oppugnantis occurrent, si viderit axiomata, theoremata, maximas, quorum nonnulla supra (n. 157 sqq.) posuimus.

Perquisitis in omnem partem difficultatibus, argumentum breve et clarum ita proponat, ut eius conclusio sit thesis propositae contradictoria vel contraria. Poterit etiam, ipsa thesi praetermissa, vim alicuius argumenti impugnare. Semper tamen initio clare indicare debet, quam partem thesis vel quodnam argumentum in pugnam vocari velit. Suadendum quoque est, ne semper versetur obiectio in syllogismis conditionalibus (Stoicis), qui, quum haud raro in rerum superficie haereant, pulvinar sunt pigritiae. Adhibeantur autem syllogismi simplices (Aristotelici), qui, quum ex rerum visceribus causam sive terminum medium trahant, ad rem penitius perspiciendam mentem adigunt, et ipsam rei causam enucleatius patefaciunt[1].

Ad defendentis deinde responsa diligenter attendat arguens; argumenta, quibus occurri possit responsis, praevideat atque ita disponere conetur, ut defendentem, omnibus effugiis interclusis, ad solutionem claram et directam adigat. Quamobrem omnia per syllogismos proponat et maximo caveat opere, ne formam legitimam negligat; ne falsa, dubia, nondum probata pro certis et probatis proferat; videat etiam, ne argumentum a defendente retorqueri possit. Neque ad finem disputationis utile est, ut schedulam adhibeat; sed omnia, quantum fieri potest, sine scripto dicat ex tempore. Curet semper, ut accurate probet id, quod a defendente negatum est; et argumentum distinctione disiectum instauret. Itaque propositiones ex parte concessas, ex parte negatas, aut probet ex parte negata, aut etiam qua concessas contra thesim valere ostendat. Propositionem transmissam et non negatam tamquam veram usurpare poterit, et defendentem ad ulterius respondendum cogere. Si defendens negat disiunctionem, obiicienti licet petere, ut membrum in disiunctione omissum significet. Negata propositione universali exigere potest instantiam, ut videlicet defendens locum indicet, in quo propositio universalis vim non habeat. Neque frustra adhibetur interdum argumentum ad hominem, quo ex principiis sive veris sive falsis a defendente admissis conclusio thesi propositae contraria infertur. Si defendens negaverit consequentiam, obiicienti ostendendum est, syllogismum recte secundum omnia praecepta dispositum esse. Suppositum quoque, quod negatum sit, simili modo quam brevissime probandum est atque curandum, ut quantocius ad difficultatem propriam ab initio motam disputatio redeat. Atque haec huic loco satis sint. Illud tantum monitum volumus, ad eius generis disputationes, ut cum utilitate peragantur, praeparationem diligentem et operosam adhibendam esse.

194. Atque his rebus de tribus sciendi modis et de ipsa argumentatione et modo philosophandi expositis ad ipsam logicam veniendum est. In qua ea, quae in parte propaedeutica hactenus constituimus ducti ratione prudentiae et artis, proponenda erunt enucleatius ratione scientiae. Quae autem sit ratio terminorum atque propositionum, commodius multo nunc exponere posse nobis videmur, postquam in iis, quae hactenus sunt confirmata, aliquid

---

[1] „Das hypothetische Urtheil ist eine bequeme allgemeine Formel für die mannigfaltige Bewegung unseres Denkens, das zwischen seinem Ausgange und seinem Ziele die mannigfaltigsten Wege einschlägt." CHRIST. SIGWART, Beiträge zur Lehre vom hypothetischen Urtheil. 1879.

iam de argumentatione dictum est, ad quam tum propositiones tum termini ut partes sive elementa referuntur. Nunc enim, quae sit ratio harum partium, quatenus sunt partes, multo clarius et accommodatius dici poterit, quum ipsum totum iam aliquo modo cognitum sit, cuius illae sunt partes[1]. Neque haec ratio est unica, ob quam hoc loco tractationem de argumentatione non omnino omittendam esse ducebamus. His enim, quae de argumentatione diximus, statutis et intellectis, qui pergunt ad ulteriora, iam nunc ex usu et exercitatione disputationis philosophicae illum uberem fructum trahere possunt, qui inde exspectandus est.

---

[1] Hac de re Aquinas: „Pars aliqua dupliciter potest cognosci: uno modo absolute, secundum quod in se est; et sic nihil prohibet prius cognoscere partes quam totum, ut *lapides* quam domum. Alio modo, secundum quod sunt partes huius totius; et sic necesse est, quod prius cognoscamus totum quam partem. Prius enim cognoscimus domum quadam confusa cognitione, quam distinguamus singulas partes eius." S. Thom., Summ. theol. I. q. 85 a. 3.

LIBER SECUNDUS.

DOCTRINA DIALECTICA
SIVE
LOGICA SCHOLASTICA.

---

195. **Logica homini naturalis est.** Quum homini a natura datum non sit, ut res omnes directe, nec ulla alia re interveniente intueatur atque perspiciat, vis quaedam ei collata est, qua a rebus sensu perceptis proficiscens ex uno cognito atque intellecto ad aliud intelligendum procedere possit, et ita ad earum rerum cognitionem progredi, quarum notitia humanae naturae convenit. Itaque homo λόγῳ sive ratione instructus est, qua διαλέγεσθαι, i. e. colloqui secum vel cum aliis possit sive de veritate discurrere. Quae facultas λογική sive διαλεκτική homini plane naturalis est.

Iam vero ea est humanae naturae imbecillitas, ut in nullo fere vivendi genere ad perfectionem plenam et sibi congruentem pervenire possit, nisi arte et industria iuvetur.

„Et inde est, quod ad actus humanos faciliter et ordinate perficiendos diversae artes deserviunt. Nihil enim aliud ars esse videtur, quam certa ordinatio rationis, qua per determinata media ad debitum finem actus humani perveniunt. Ratio autem non solum dirigere potest inferiorum partium actus, sed etiam actus sui directiva est. Hoc enim est proprium intellectivae partis, ut in se ipsa reflectatur. Nam intellectus intelligit seipsum et similiter ratio de suo actu ratiocinari potest. Sicut igitur ex hoc, quod ratio de actu *manus* ratiocinatur, adinventa est ars aedificatoria vel fabrilis, per quas homo faciliter et ordinate huius actus exercere potest; eadem ratione ars quaedam necessaria est, quae sit directiva ipsius actus rationis; per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinate et faciliter et sine errore procedat“ [1].

Non mirum igitur, antiquitus iam eiusmodi artem inventam esse, qua ratio sciendi cupida ad recte discurrendum instituatur

---

[1] S. Thom. in l. 1 anal. post. lect. 1.

perficiaturque. Quae logicae vel dialecticae nomine insignitur et in vestibulo quasi philosophiae tradi solet. „Necessitas, inquit S. Thomas, requirit, ut in addiscendo incipiamus a logica, licet non sit facilior aliis scientiis, quia aliae scientiae ab ipsa dependent."

196. **Logicae descriptio.** Logicam recte dicunt esse institutionem rationis ad veritatem assequendam. A S. Thoma definita est, ut sit: ars et scientia, quae est directiva ipsius actus rationis, per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinate et facile et sine errore procedat.

B. Albertus Magnus dixit, logicam esse sapientiam contemplativam, quae doceat, qualiter et per quae deveniatur per notum ad ignoti notitiam. Ab aliis dicta est: ars et scientia, qua actus rationis ad verum ex ordine, sine errore, facile assequendum diriguntur. Ab aliis: scientia legum, quibus cogitata et sermones nostri moderandi sunt in veritate nobis aliisque demonstranda (Ubaghs). Ab aliis: institutio rationis ad recte iudicandum (Tongiorgi); vel: ars dirigendi cogitationes nostras ad verum.

Logicae igitur officium est, ut ratio ad recte iudicandum et ad inveniendam veritatem dirigatur. Ex quo manifesto apparet, logicae finem in eo situm esse, ut ratio in perscrutandis veritatibus ordinate procedat et expedite et sine errandi periculo [1].

Obiectum logicae id dicimus, quod ipsi tanquam materia, in qua versetur et quam tractet, subiicitur, vel quod logicae considerandum obiicitur; id autem operationes mentis sunt, quatenus secundum ordinem rationis certis regulis ad manifestandam veritatem dirigi possunt.

Quapropter a Seneca et Quintiliano logica vocata est „rationalis philosophia". „Ratio enim, ut est apud Aquinatem, de suo actu ratiocinari potest, et haec est ars logica, i. e. rationalis scientia, quae non solum rationalis est ex hoc, quod est secundum rationem, quod est omnibus artibus commune, sed etiam in hoc, quod est circa ipsam artem rationis sicut circa propriam materiam."

Sicut igitur psychologia, ita etiam logica in contemplandis operationibus facultatibusque animae occupatur, praesertim attendens ad intellectum, qui assequendae veritatis instrumentum est praecipuum. Materiale obiectum sive materia, in qua versantur logica et psychologia, eadem est, sed obiecta formalia penitus diversa sunt. Logica enim rectum usum considerat facultatum, psychologia naturam.

[1] Inter officium et finem id interest, ut in officio, quid fieri, in fine, propter quam rem debeat fieri, consideretur.

Neque sine ratione logicae rationem artis attribuerunt, tradenti quippe regulas, quibus ordo in actibus mentis et in investigatione veritatis constituatur. Neque errant, qui logicam scientiam esse dicunt. Quum enim necesse est, regulas omnes, quas ponit, certis et propriis argumentis demonstrat. Utrum autem logica annumeretur scientiae speculativae an practicae, a notione pendet, quae voci speculationis et praxis subiicitur.

197. Logicam ad scientiam quamlibet perfecte comparandam esse necessariam, facile ostenditur. Nam is tantum perfecte scientiam habet, qui se bene in sua scientia processisse scit. Id autem nemo scire potest, nisi qui noverit, quomodo procedendum sit, i. e., quo modo sit definiendum, dividendum, argumentandum.

„Nec vero sine hac philosophorum disciplina, ut est apud Tullium, genus et speciem cuiusque rei cernere, neque eam definiendo explicare nec tribuere in partes possumus; nec iudicare, quae vera, quae falsa sint, neque cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere.“ [1] Quam ob rem Aristotelici logicam organum dicunt esse eo, quod omnium disciplinarum commune instrumentum sit, vel potius ceteris disciplinis omnibus instrumenta sciendi suppeditet [2]. Et S. Augustinus logicam artem artium appellat, qua aperta cetera aperiantur, et qua clausa cetera claudantur. Neque minus ad rem accommodate S. Thomas: „Videtur esse ars artium, quia in actu rationis nos dirigit, a quo omnes artes procedunt“. Logica nos rationem cogitandi docet, et in cogitando adhibendam discretionem. Quae ingenii in cogitando cultio, quum etiam rerum mathematicarum tractatione haud parum effici possit, melius tamen obtinetur per logicam, quae universalior est et ad ipsas cogitandi formas mentem discentis dirigit [3].

Quamobrem merito in logicae laudem trahuntur haec Hugonis a S. Victore: „Maxime me movet et dignum quaestione videtur, unde hoc accidit, quod duo pari ingenio et aequali studio uni lectioni intendunt, nec tamen simili effectu eius intelligentiam consequuntur. Alter cito, quod quaerit, apprehendit, alter diu laborat et parum proficit. Sed sciendum est, quod in quolibet negotio duo sunt necessaria: opus videlicet et ratio operis, quae ita sibi connexa sunt, ut alterum sine altero aut inutile sit aut minus efficax. Verum-

---

[1] Orat. 4, 16.

[2] Cfr. Arist. l. 1 top. c. 13, 105 a, 21; c. 18, 108 b, 32; l. 8 c. 14, 163 b, 11. Probl. l. 30 c. 5, 955 b, 36. Quibus ex locis deducta esse videtur inscriptio „organi“, qua primus Andronicus Rhodius collectos de rebus logicis libros Aristotelis insignivit.

[3] Hac de re haud inepte Hegel: „Die philosophische Propädeutik habe insbesondere die formelle Bildung und Uebung des Denkens zu leisten; sie vermöge dies nur durch gänzliche Entfernung vom Phantastischen, durch Bestimmtheit der Begriffe und einen consequenten methodischen Gang; sie vermöge es aber in einem höheren Masse als die Mathematik, weil sie nicht wie diese einen sinnlichen Inhalt habe.“ Opp. tom. XVII. p. 355.

tamen melior, ut dicitur, prudentia est fortitudine, quia et pondera aliquando, quae viribus movere non possumus, arte levamus. Sic nimirum est in omni studio; qui sine discretione operatur, laborat quidem, sed non proficit, et quasi aëra verberans, vires in ventum fundit."[1]

198. Logicae Aristoteles (n. 31) inventor esse existimatur[2]. Qui enim ante Aristotelem fuerunt, regulas definiendi, dividendi, argumentandi tradebant occasione data; praecipue in rebus mathematicis. Sed Aristoteles primus praecepta logicae a rebus separavit separatasque maiore cum diligentia in ordinem composuit. A quo multa praeclare scripta nobis sunt tradita.

Aristoteles in libro περὶ κατηγοριῶν res ipsas generibus illustrat, quum eae sint obiectum remotum, circa quod logica versari debeat. Cui libro in schola ille praemitti solet, qui non habet Aristotelem auctorem, sed Porphyrium, et „Isagoge" appellatur, quia de quinque praedicabilibus tractans, revera aptissima disciplinae logicae exordia praebet (n. 34). Haec igitur ad apprehensionem pertinent. Deinde Aristoteles in libro, quem περὶ ἑρμηνείας scripsit, de propositione et iudicio praecipit. In iis, quae vocantur ἀναλυτικὰ πρότερα, de syllogismo secundum formam agitur; sed ἀναλυτικὰ ὕστερα syllogismum (demonstrativum) spectant secundum materiam. In libris octo, quae sunt τοπικά, de probabilitate dicitur et rebus dialecticis. De fallaciis est liber περὶ σοφιστικῶν ἐλέγχων.

Quae autem ab Aristotele de rebus logicis praecepta sunt, usque ad hunc diem ab omnibus sapientibus summam laudem sunt consecuta. Ut enim est apud Trendelenburg, „Aristoteles, inquit, adeo in logica auctor est, ut, quae invenit, in stabilem philosophiae possessionem verterit. Quae exposuit, ea, quoniam non dies commentitus est, nec dies delebit; valuerunt per duo millia annorum; agnoscuntur, suspiciuntur vel ab iis hodie philosophis, qui ab Aristotelis logica quam longissime recessisse videantur. Haec igitur sunt, quae tamquam rata et certa gymnasiis commendentur. Ut in geometria Euclides, sic in logicis Aristoteles saeculorum vicissitudines ita superavit, ut uterque exemplar sit, in quod intueantur et aequales et posteri. Qui geometriae elementa petit,

---

[1] Erudit. didascal. l. 5 c. 5.

[2] Et ipse quidem Aristoteles ante se artem syllogisticam excultam non fuisse testatur: „Nam eorum, inquit, qui in litigiosis disputationibus quaestum faciebant, institutio quaedam erat similis Gorgiae tractationi. Alii enim rationes rhetoricas, alii vero ad interrogandum comparatas tradebant ediscendas, in quas utrique putabant mutuos sermones plerumque intercidere. Idcirco celeriter quidem, sed citra artem discipulos suos docebant; non enim artem, sed quae ab arte efficiuntur, tradendo putabant se recte instituere. . . . At de rhetoricis quidem multa et antiqua dicta exstabant: De syllogismis vero conficiendis nihil aliud habebamus omnino antea, quod diceremus, sed per exercitationem quaerendo multum temporis laboravimus." De sophist. elench. c. 34, 183 b, 38.

ad EUCLIDIS et evidentiam et elegantiam, qui logices, ad ARISTOTELIS et subtilitatem et simplicitatem redire iubeatur.“ [1]

Ut vero intellectum est, quantam vim haberet accurata et facta quodammodo oratio logica, tum etiam magistri artis logicae [2] exstiterunt plurimi. Qua de re alibi diximus (n. 32 sqq.).

Sed logica, quae ab ARISTOTELE tradebatur, magis statutis regulis ad veritatis demonstrationem continebatur. Ex quo tempore autem ipsa veracitas rationis nostrae in dubium est vocata et vis omnis realis cognitionum nostrarum obiectiva fluctuare coepit, ex logica antiquitus tradita inquisitiones illae, quae ad stabiliendam veritatem etiam materialem cognitionum nostrarum pertinent, extractae in unam partem separatam arte et industria componi solent, cui parti nomen „logicae criticae“ est inditum. Quam criticam aliqui logicam materialem vocant, logicam illam veterem et usitatam appellantes formalem. Haec critica, quae, ut vim obiectivam cognitionis nostrae statuat, naturam cognitionis diligenter et ordinatim perquirit, etiam noëtica ab aliquibus nominatur. Verum haec vox latius patet; noëtica enim, quae est de cognitione doctrinae, ad logicam partim spectat, partim ad psychologiam.

199. **Logicae divisio.** Sicut artem omnem in docentem et utentem distinguunt, ita inter logicam docentem et utentem distinguere moris est, quarum prior praecepta et regulas tradit, quae recte cogitandi modum definiunt; altera, quam utentem vocant, in certo habitu rationis sive in acquisita facilitate mentis est sita, qua operationes mentis secundum normam rectam diriguntur.

Dividunt logicam, qui eius originem attendunt, in naturalem et artificialem. Naturalis est, ad quam homines sola natura duce et consuetudine vitae pervenire solent et quae hominibus in ordinariis vitae conditionibus constitutis satis esse potest. Artificialis naturalem perficit; ab hac igitur distinguitur ut perfectum ab imperfecto, eaque ab accurata mentis reflexione suos ipsius actus contemplantis proficiscitur.

Neque desunt, qui logicam inventricem et iudicatricem distinguant. Quum enim logica in inveniendo vero versetur, atque

---

[1] Elem. log. ARIST. p. VI.

[2] Illa vox „logica“ non ab ARISTOTELE, sed ab eius commentatoribus et a Stoicis ad notionem generaliorem evecta est. Ipse ARISTOTELES id logicum vocat, quod deductiones spectat trahendas ex conceptibus universalibus. Dialecticum vocat id, quod ad artem inquirendi et inveniendi pertinet et faciendi conclusiones ex statutis axiomatis, quae saltem sint probabilia (ἔνδοξα). Analyticum vocat, quod ad resolvendos discursus in elementa prima ordinatum est.

etiam in iudicio de vero, quod inventum iam est, recte dixit Boëthius logicam in se continere et inveniendi et iudicandi peritiam[1]. Et Tullius: „Quum omnis ratio disserendi duas habeat partes, unam inveniendi, alteram iudicandi, utriusque princeps, ut mihi quidem videtur, Aristoteles fuit.“[2]

A Scholasticis logicam divisam habemus in minorem et maiorem. Quarum prior doctrinam logicam ad usum incipientium accommodatam proponit. Logica maior ex his iisdem rebus ea, quae graviora sunt vel difficiliora, arte subtiliore perquirit, et per quaestiones multas accuratius disponit ad studendum vel disputandum. Quam logicam maiorem sive quaestionariam nos retinemus; sed eam propter errores nostri temporis dividimus in partes tres, ita ut liber primus contineat criticam sive theoriam cognitionis; alter contineat quaestiones de ipsis praeceptis logicis, praetermissis tamen iis, quae sunt de relatione conceptuum nostrorum ad ipsas res; has enim quaestiones proponemus in libro tertio, qui est de ipsis conceptibus obiectivis rite constituendis et ordinandis per categorias; quam logicam realem sive conceptualem nuncupare liceat.

200. **Dialectica.** Ex nomine suo dialectica est disserendi et disputandi ars et scientia.

Principio apud philosophos mos erat, de rebus agere per colloquia, sive per interrogationes responsionesve. Atque ita ipso usu orta est dialectica sive ars disputandi, qua aliquid aut probemus aut reprobemus per interrogata et responsa. Et Socrates quidem artem hanc ad statuendas rerum definitiones adhibuit; Plato per dialecticam res secundum ideas sive species recte dividendas curavit. Aristoteles autem, quum definitioni et divisioni adderet demonstrationem ut praecipuum sciendi instrumentum, dialecticam adhiberi voluit ad quaerendas de re proposita in utramque partem rationes probabiles, quibus animus ad inveniendam per demonstrationes veritatem disponeretur et in inventa veritate confirmaretur. Unde apud Aristotelem ea pars logicae est, quae proba-

---

[1] In Cic. topic. c. 1.

[2] Haec logicae divisio apud antiquos Peripateticos circumferebatur, ut refert Boethius: „Omnis ratio disserendi, inquit, quam logicen Peripatetici veteres appellavere, in duas distribuitur partes, unam inveniendi, alteram iudicandi. Et ea quidem pars, quae iudicium purgat atque instruit, ab illis analytice vocata, a nobis potest resolutoria nuncupari. Ea vero, quae inveniendi facultatem subministrat, a Graecis topice, a nobis localis dicitur.“ (De differentiis topicis l. 1.) Cuius rei mentionem facit Aquinas: „In speculativis alia rationalis scientia est dialectica, quae ordinatur ad inquisitionem inventivam, et alia scientia demonstrativa, quae est veritatis determinativa.“ (Summ. theol. II. II. q. 51 a. 2 ad 3.) „In speculativis demonstrativa scientia dicitur iudicativa, in quantum per resolutionem in prima principia intelligibilia de veritate inquisitorum iudicatur.“ (Ibid. q. 53 a. 4.)

bilia sectatur et apparentes contradictiones colligit et locos indicat, unde argumenta trahi possint. A Stoicis autem res hoc nomine indicata omissa est, sed nomen retentum. Quum enim philosopho curam omnem rerum probabilium interdicerent, nomen dialecticae ad significandam artem demonstrationis translatum est. Ex quo paulatim mos invaluit, ut logica integra hoc nomine insigniretur. A nostrae aetatis philosophis voce dialecticae vim admodum diversam tributam videmus. Quorum plures hoc nomen ad eas mentis operationes trahunt, quae a processu syllogistico diversae sunt.

Nobis hoc loco „dialectica" idem est atque logica Aristotelis integra ad usum scholae disposita pro incipientibus.

Logica haec formalis dicitur, non quod cogitationes nostrae formae sint vanae, sed quia in hac parte logicae magis ad rectam cogitandi formam attendimus. Is autem, qui recte secundum normas logicas cogitaverit, cum hac formali rectitudine simul materialem cognitionis veritatem consequetur.

Rem si spectes, dialecticam dicere debes corpus regularum ad scientiae normam compositarum, quibus intellectus humanus adducatur, ut in suis operationibus rectum ordinem ponat. Contemplatur igitur operationes intellectivas; unde hae obiectum materiale dialecticae esse recte dicuntur. In his autem operationibus solum ordinem considerat, quem ratio in operationibus suis secundum rectitudinis normam ponere debet; unde hic ordo obiectum formale dialecticae constituit.

201. Si tres mentis operationes attendimus, in dialectica tres partes insunt: apprehensiva, enuntiativa, discursiva. Nam triplici cognitionis gradu mens humana ad eam rerum notitiam pervenit, quae facultati humanae naturae respondet. Primo enim mens per simplicem quasi visum res apprehendit sine ullo assensu dissensuve. Deinde aliquid esse vel fieri experiens, id esse vel fieri affirmat vel negat eo, quod iudicis instar decernit, rem ita esse, sicut est cognita, id quod in iudiciis nostris facere solemus. Per complura tandem discurrendo ex multis rebus inter se collatis ratiocinando diversum quid ab his rebus inferre potest. Et intendimus quidem bene apprehendere, quia intendimus bene iudicare; et intendimus bene iudicare, quia intendimus bene ratiocinari. Et iterum bene ratiocinari intendimus, quia intendimus bene iudicare; et bene iudicare intendimus, quia intendimus bene apprehendere. Incipientes igitur ab imperfecta apprehensione per iudicia ad ratiocinandum usque progredimur, inde per iudicia iterum ad apprehensionem perfectam regressuri. Unde ratiocinium est cardo operationum mentalium atque obiectum primarium dialecticae.

Hanc divisionem antiquitus traditam habemus. „Oportet logicae partes, inquit Aquinas, accipere secundum diversitatem actuum rationis. Sunt autem rationis tres actus, quorum primi duo sunt rationis, secundum quod est intellectus quidam. Una enim actio intellectus est intelligentia indivisibilium sive incomplexorum, secundum quam concipit, quid sit res. Et haec operatio a quibusdam dicitur informatio intellectus (sive imaginatio per intellectum). Et ad hanc operationem ordinatur doctrina, quam tradit Aristoteles in libro praedicamentorum. Secunda vero operatio intellectus est compositio vel divisio intellectus, in qua est iam verum vel falsum. Et huic rationis actui deservit doctrina, quam tradit Aristoteles in libro perihermenias. Tertius vero actus rationis est secundum id, quod est proprium rationis, scilicet discurrere ab uno in aliud, ut per id, quod est notum, deveniat in cognitionem ignoti. Et huic actui deserviunt reliqui libri logicae.“ [1]

Et rectam esse hanc, quam indicavimus, divisionem, ex consideratione obiecti primarii, in quo explicando logice potissimum versatur, praeclare comprobari potest. Quod obiectum in ratiocinio, i. e. in illa mentis operatione situm est, qua mens ex una veritate cognita aliam deducens tandem ad eam, quam pro humanae naturae indole assequi potest, cognitionem reapse pervenit. Ratiocinium consequentia constituitur, consequentia ex iudiciis nascitur, iudicium ex compositis apprehensionibus oritur. Et consimiliter argumentatio, quae ratiocinium verbis exprimit, propositionibus constat, quibus iudicia enuntiantur; propositiones tandem in terminos resolvuntur, qui apprehensionum signa sunt.

Quoniam autem scientia ut plurimum ex argumentationum serie et dispositione efficitur, videtur esse necessarium, ut in logica formali etiam doceatur, quae sit in disponendis his ratiocinationibus recta via et ratio. Unde factum est, ut multi tribus, quas diximus, disputationibus addant quartam, quae dicitur de methodo.

De qua etiam Aristoteles videtur dixisse in libro, quem μεθοδικά inscripsit [2], qui tamen liber amissus est. Verum permulta ab Aristotele ad hanc rem quae spectant, occasione data praecepta sunt, quae a Scholasticis medii aevi ea diligentia tractabantur, ut fere nihil, quod ad absolutam de methodo doctrinam requiratur, in operibus logicis Scholasticorum desideretur; quamquam hi, quum sese in interpretandis libris Aristotelis continerent, de methodo ut speciali parte logicae non disputarunt. Etiamsi Scholastici, ut recte Sanseverino [3], pronuntiata methodologica Stagiritae in unum corpus non congesserunt, nihil tamen iis magis cordi fuit, quam ut ea in medium proferrent diligenterque explicarent.

Atque his omnibus finis imponendus est per disputationem quintam, in qua ea colligentur, quae a Peripateticis passim de dialecticae effectu dicta sunt.

---

[1] In l. 1 anal. post. lect. 1.
[2] Cuius mentionem fecit l. 1 rhetor. c. 2.
[3] Logicae prolegomena p. 210.

Itaque dialectica absolvetur disputationibus quinque, quarum prima, altera, tertia de tribus mentis operationibus ex ordine tractant, quarta de methodica operationum mentalium dispositione agit, quinta de dialecticae praecipit fine seu termino, quae est assecutio veritatis per certitudinem et evidentiam.

CAPUT PRIMUM.

De iis, quae ad primam mentis operationem spectant.

202. **Terminus quid sit.** Absolutis pro indole incipientium instrumentis sciendi tribus et perspecta utcumque argumentationis totius structura, iam ad simplicia argumentationis elementa diligentius perscrutanda redeundum est. Quae elementa termini nuncupari solent eo, quod discursus et iudicia in ea ultimo resolvuntur. Terminus igitur id est, in quod quaelibet resolutio mentalis ultimo desinit, et a quo omnis constructio mentalis incipit. Ita uniuscuiusque sententiae subiectum et praedicatum termini sunt. Subiectum id est, quod praedicationi subiicitur; est enim praedicato inferius. Praedicatum est, quod de rebus sibi inferioribus sive subiectis edicitur.

Terminus semper aut simplex quiddam est aut consideratur ut elementum, quod ratione totius sententiae simplex est, velut quum dico: *Deo servire regnare est.*

Terminus aut internus sive mentalis est, aut externus sive vocalis sive scriptus. Et primo de terminis mentalibus agendum est, ex quibus termini externi vim suam et significationem accipiunt.

Sunt, qui terminum internum distinguant duplicem: terminum mentis et terminum phantasiae. Quibus si terminum externum sive vocis addis, generatim tres habes, sicut etiam triplex „verbum" in loquente distinguitur, „scilicet id, quod per intellectum concipitur, ad quod significandum verbum exterius profertur, et hoc est verbum cordis sine voce prolatum; item exemplar interioris verbi, et hoc dicitur verbum interius, quod habet imaginem vocis; et verbum exterius expressum, quod dicitur verbum vocis" [1]. Est autem in phantasia imago duplex, una, quae est imago rei voce significatae. Et praeter hanc est imago vocis ipsius. Antequam enim vocem ore formemus, phantasiae imago proferendae vocis obversari debet. Quae imago vocis proprie „verbum phantasiae" vocari solet.

Secundum hanc distinctionem nonnulli generatim distinguunt inter terminum „ultimatum" et „non ultimatum". Terminus non ultimatus ad vocem sive vocabulum refertur, terminus ultimatus ad rem voce conceptam.

---

[1] S. Thom., Quaest. disput. q. 4 de verit. a. 1.

SECTIO PRIMA.

De termino mente concepto.

§ 1.

De indole termini mentalis.

203. **Terminus mentalis** est conceptus simplici apprehensione effectus, vel si mavis, effectus eo, quod mens obiectum percipit omissa omni affirmatione et negatione. (Quid nomine conceptus veniat et apprehensionis, supra (n. 94) satis indicatum est.)

Id quod terminus mentalis (conceptus) menti repraesentat, perceptionis sive conceptus obiectum dicitur. Obiecti determinatio, qua id menti innotescit, nota (τεκμήριον) vocatur. Eo igitur res omnis cognoscitur, quod aliquae ex obiecti notis menti manifestantur. Res quatenus secundum eas solas notas consideratur, quibus hic et nunc a mente percipitur, vocatur obiectum formale conceptus; quatenus vero non solum secundum aliquas notas a mente perceptas consideratur, sed, ut est in se cum omnibus suis affectionibus, obiectum materiale conceptus constituit.

Termino vel conceptu apprehensivo non enuntiatur quidquam cum assensione. „Sicut in *voce* incomplexa non invenitur veritas et falsitas, ita nec in hac operatione intellectus: et ideo sicut vox incomplexa propter hoc, quod non est in ea veritas et falsitas, non conceditur nec negatur, ita secundum hanc operationem intellectus non assentit vel dissentit.“ [1]

Conceptu effertur rei essentia (ἡ κατὰ λόγον οὐσία) sive notarum essentialium complexio. Essentia inest in rebus singularibus[2] et ea complectitur, quae sunt radix communis omnium eorum, quae in rerum natura typum certum, definitum, immutabilem, permanentem rerum tum quoad Esse tum quoad Agere constituunt, et per se in natura finaliter intenta sunt.

Essentia ab Aristotele etiam vocata est εἶδος vel μορφή τὸ τί ἔστιν vel τὸ τί ἦν εἶναι[3].

---

[1] S. Thom., 3 dist. 23 q. 2 a. 2.

[2] Εἴδη μὲν οὖν εἶναι ἢ ἕν τι παρὰ τὰ πολλὰ οὐκ ἀνάγκη . . . εἶναι μέντοι ἓν κατὰ πολλῶν ἀληθὲς εἰπεῖν ἀνάγκη. (L. 1 anal. post. c. 11, 77 a, 5.) Ἐν τοῖς εἴδεσι τοῖς αἰσθητοῖς τὰ νοητά ἐστιν. (L. 3 de anal. post. c. 8, 432 a, 5.)

[3] Id igitur, quod ad quaestionem τί ἦν εἶναι respondetur, praeposito articulo τό, τὸ τί ἦν εἶναι substantivi naturam induit pariter atque in formula τὸ τί ἐστιν. Et quoniam εἶναι cum dativo praedicati notionem substantialem signi-

Vocatur quoque ἐνέργεια vel ἐντελέχεια vel τὸ οὗ ἕνεκα vel ὁρισμός.

„Conceptus" igitur per se primo ad significandum „Esse", et quidem „Esse completum et substantiale" refertur. Quia autem „Fieri" et quodlibet „Esse incompletum" (ut est Esse partis) et „accidentale" est aliqua illius Esse perfecti imitatio, consequens est, ut etiam hoc ad modum illius concipi, i. e. conceptu significari possit. Et distingui potest conceptus vi vocis pressiore et latiore.

Simili modo „essentia" per se substantiam rei spectat. Sed de cuiuslibet alīus rei essentia quaestio institui potest vi illius vocis translata, velut de essentia *trianguli, motus localis, nigredinis, activitatis;* vel de essentia *Aethiopis, Caucasici, musici, philosophi*[1].

Scholion 1. Varia est et ambigua apud scriptores vocis „essentiae" vel „substantiae" significatio. Intelligunt vel substratum sive subiectum (τὴν ὕλην, τὸ ὑποκείμενον), vel causam formalem rei, vel id, quod conceptu exprimitur et definitione (μορφήν, εἶδος), vel id, quod ex materia et forma compositum est (τὸ σύνολον, τὸ ἐξ ἀμφοῖν), vel rem individuam (τόδε τι), vel ideam universalem (τὸ γένος, τὸ εἶδος). Quamobrem, qui vocem recte intelligere velit, ad contextum orationis attendere debet.

Scholion 2. Conceptu „complexionem" notarum singularum efferri diximus. Nam conceptus quam plurimi in notas simplices resolvi possunt. Neque tamen inde sequitur, conceptus omnes ex additis inter se notis sive elementis ortos esse. Qua in re quum multi ex recentioribus philosophis vehementer erraverunt, tum praecipue Condillac (n. 67), qui mentem humanam putavit, quum ipsi se offerat obiectum compositum, primo elementa simplicia considerare, atque ita notiones simplices elementorum successive inter se additas efficere compositum[2], ita ut conceptus simili fere modo oriantur ex notionibus simplicibus, sicut a multis corpora naturalia putantur oriri ex compositis inter se atomis. Cum hoc consentiunt nonnulli nostrae aetatis Materialistae[3], qui haec statuunt, ut regulas Atomismi mechanici in ipsam logicam invehere possint. Sed id contra

---

ficat, ea res, de cuius natura substantiali agitur, ut plurimum casu dativo formulae τί ἦν εἶναι adiungitur, veluti τὸ τί ἦν εἶναι ἑκάστῳ (l. 6 metaph. c. 4, 1029 b, 13). Quae sit τοῦ τί ἦν εἶναι notio, Aristoteles multis locis explicat. Cfr. Bonitzii Indic. Aristot. 764 b, 10 sqq.

[1] Cfr. Arist. l. 7 met. c. 4, 1029 b.

[2] La logique part. 1 c. 2—4 p. 16 sqq.

[3] „Que l'opération s'appelle perception extérieure, acte de conscience, souvenir, induction, conception pure, toujours notre opération est un bloc dont les molécules sont des sensations et des images jointes à des images, agglutinées en groupes partiels qui s'évoquent mutuellement." Ita Taine (de l'intelligence t. 2 p. 217). Et addit: „Un couple s'est formé par l'aggrégation de deux molécules; à celui-là s'est attaché un autre couple, à leur tout un autre tout et ainsi de suite." In eadem sententia haeret praeter multos alios W. Wundt, Logik. Stuttgart 1880.

experientiam est. Qui enim concipit *„hominem"*, non prius concipit ens, per se, compositum, vita et sensu praeditum, rationalitate distinctum, ut his inter se additis conceptum hominis efficiat; sed primo concipit *„hominem"*, quem conceptum si libet in elementa illa resolvere potest. „Prius, ut est apud Aquinatem, cognoscimus hominem confusa quadam cognitione, quam sciamus distinguere omnia, quae sunt de hominis ratione." [1]

204. In conceptu distinguere solent ea, quae ad entis constitutionem pertinent et essentialia simpliciter vocari solent, et attributa, sive quae vocantur propria, quae essentiam necessario consequuntur [2]. Praeterea rebus aliqua inesse possunt, sine quibus res esse potest, quae accidentia contingentia (vel communia) vocari solent [3].

Scholion. Non est ergo satis dicere, id, quod nonnullis [4] placet, ea esse essentialia, quibus omissis iam conceptus rei alius sit atque antea, vel quae alicui rei secundum conceptum nostrum conveniant. Non enim essentialia per se a nostro concipiendi modo pendent, sed conceptus noster ab essentialibus.

Neque minus ambigua est illa definitio, qua essentialia dicunt esse ea, quae in re permaneant [5]. Quae quidem definitio recte intelligi potest; omnis enim natura, quum sit sui conservatrix, cum speciali quadam tenacitate essentialia sua sibi servat; non est tamen definito clarior (n. 142).

Neque ad rem accommodatior est illa, quam Stuart Mill (n. 85) posuit, qui essentialia ea esse dicit, in quibus similitudo maxima vel affinitas naturalis fundata sit.

Nec melius Schelling (n. 72) essentialia dicit esse ideas obiectivas, quae ex parte rerum nostris conceptibus respondeant, et inter unum „Esse absolutum" et res, quae nobis appareant individuales, quodammodo interiaceant.

Hegel conceptibus nostris motionem quandam dialecticam affingit, quibus ipsum „Esse" rerum producatur; et contentus est dicere, complexum essentialium id ipsum esse atque conceptus nostros [6].

Ulrici (n. 82) conceptu contineri dicit essentialia sive illud unum, quod multis commune sit [7].

---

[1] S. Thom., Summ. theol. I. q. 85 a. 3 ad 3.

[2] Haec Aristoteles vocat συμβεβηκότα καθ' αὑτό (l. 5 met. c. 30, 1025 a, 30).

[3] Cfr. Aristot. l. 1 de coel. c. 9, 278 a, 3 et l. 4 metaph. c. 29, 1024 b, 29.

[4] Inter quos Drobisch, N. D. d. Log. § 31.

[5] Ita H. Ritter, Log. edit. 2. p. 67.

[6] „Der Begriff ist die höhere Einheit und die Wahrheit des Seins und des Wesens als die für sich seiende substantielle Macht, daher als das Freie und die Wahrheit der Substanz." Logik. 1834. II. p. 5; Encyclop. § 158 sqq.

[7] „Der Begriff bezeichnet seinem Inhalte nach ganz allgemein dasjenige, welches (sei es als Prädicat, Merkmal, oder als Kraft, Thätigkeit, Substanz) einer Vielheit unterschiedlicher Objecte gemeinsam ist; also das Eine, Gleiche, allen Gemeine, das diese Vielheit unterschiedlicher Objecte (seien sie blosse Bestimmtheiten oder selbständige Dinge, reelle oder bloss vorgestellte Objecte) als ihnen gemeinsam, unbeschadet ihrer Unterschiedenheit, Sonderung und Selb-

Beneke (n. 76) dicit, conceptum esse repraesentationem rei fortiorem, quae non analysi sive abstractione, sed synthesi orta sit sive compositione elementorum similium[1]. Is contra Hegel recte quidem et graviter docet, conceptum non motioni aequiparandum esse, sed potius motionis effectui; nec per se fieri posse, ut conceptu ipsum Esse obiectivum producatur. Sed ultra progressus turpiter erravit Beneke, quum ordinem omnem et convenientiam, quae per se et necessario sit inter nostros conceptus et rerum realitates, negaret[2].

Neque satis accurate Schleiermacher in ipso conceptu partem sensitivam et intellectivam distinguit. Illam dicit esse imaginem communem sive phantasma mutabile et rei elasticae haud absimile; hanc agnoscit effectum mentis, qui cum formis rerum conveniat. Est enim phantasma in homine comes quidem naturalis conceptus, a conceptu tamen diversum est.

Et recte intelligi potest, si quis Ritterum (n. 75) secutus, conceptum dicere velit esse formam cogitandi, qua repraesentetur id, quod sit causa interna sive fundamentum omnium, quae in rebus appareant[3], vel, ut Trendelenburg rem exponit[4], conceptum esse illam cogitandi formam, qua per imaginem quandam spiritualem essentia rerum obiective exhibeatur.

205. Comprehensio et extensio conceptus. Collectio illarum notarum, quas conceptus rei in se comprehendit, complexus vel comprehensio conceptus appellatur[5]. A qua comprehensione distinguitur ambitus vel extensio conceptus[6], quae est maior minorve numerus subiectorum, quibus aliquis conceptus applicari potest. Ita conceptus *hominis* comprehendit notas has: ens, subsistens, corporeum, vivens, animal, rationale; extenditur autem ad inferiora sive subiecta tot, quot humana individua existunt. Quoniam autem, quo maior notarum numerus in aliquo conceptu latet, eo minor est numerus inferiorum seu subiectorum, ad quae terminus

---

ständigkeit verbindet, um- und zusammenfasst, sie aber nicht in sich enthält, sondern nur unter sich begreift." (Compendium der Logik, ed. 2. p. 249.) „Begreifen heisst, etwas in seiner Allgemeinheit und Nothwendigkeit erkennen." (Ibid. p. 260.)

[1] „Die gleichen Bestandtheile fliessen ineinander und verbinden sich zu Einem Akte." System der Logik. Berlin 1842. I. p. 38 sqq.

[2] L. c. II. p. 233 sqq.

[3] „Die Form des Denkens, welche den bleibenden Grund der Erscheinung darstellt." (Logik, edit. 2. p. 50, 56.) „Wenn nun der Verstand das einzelne Ding als den bleibenden Grund vieler Erscheinungen zu denken strebt, so wird sein Gedanke eine Form annehmen müssen, in welcher die Bedeutung vieler Erscheinungen zusammengefasst oder begriffen wird. Einen jeden Gedanken, welcher dazu bestimmt ist, die Bedeutung vieler Erscheinungen zu begreifen, nennen wir einen Begriff." (System der Logik und Metaphysik. II. p. 13.)

[4] Logische Untersuchungen. II. Sect. 14 et 15.

[5] Inhalt; ἐνυπάρχειν ἐν τῷ λόγῳ τῷ τί ἐστι λέγοντι. Arist. l. 1 anal. post. c. 4, 73 a, 36.

[6] Umfang, sphaera.

extendi potest, iam comprehensionem esse in ratione inversa extensionis patet. Ita in conceptu substantiae comprehensio minor est quam in conceptu hominis. Et conceptus, cuius extensio maior est respectu eorum, quae complectitur (περιέχει), vocatur superior (πρότερον φύσει), et inferior particeps esse (μετέχειν) dicitur superioris.

Scholion. Non desunt inter recentis aetatis logicos [1], qui ostendere conentur, secundum quam proportionem mathematicam crescente conceptus comprehensione decrescat extensio et contra. Quae tamen res ab aliis [2] vituperata est et reiecta. Namque totus ille calculus, quamvis ad delectanda ingenia mathematica et etiam acuenda utilis sit, a fine tamen logicae omnino alienus est. Quid enim iuvat logicum, quod comprehensionem conceptus fingat esse numerum notarum, comprehensionem specierum dicat esse numerum unitate maiorem quam generis? quod extensionem ducat esse numerum specierum infimarum, et horum numerorum inquirat proportionem arithmeticam? Accedit, quod calculus iste subdivisionem specierum coordinatarum eandem esse ponit usque ad species quasdam, quae dicuntur esse infimae. Quae res in rerum natura vix unquam reperitur. Restat igitur, ut systemata artificialia fingantur, quibus calculus iste commode applicari possit.

§ 2.

De terminorum mentalium distributione.

206. Partitiones ex ratione obiecti. Terminorum mentalium distributio aut ex consideratis obiectis trahitur, aut ex modo originis procedit, aut ex perfectione ipsius repraesentationis, aut ex instituta inter complures conceptus comparatione.

I. Ex obiecti consideratione multae oriuntur conceptuum partitiones. Ita sunt conceptus aut simplices sive incomplexi, aut compositi sive complexi. Praeterea sunt conceptus, qui ex se aliquid significant, aut ex adiunctione tantum alterius; sunt concreti aut abstracti; sunt reales aut logici; sunt connexi aut disparati; explicativi aut restrictivi; absoluti aut connotativi; collectivi aut distributivi; singulares aut particulares aut universales; praedicamentales aut transcendentales. Quas tamen distributiones, quum terminis mentalibus et externis communes sint, hoc loco omittimus, de iis postea dicturi commodius. Nunc in enumerandis iis divisionibus pergendum est, quae magis terminos internos sive mentales respiciunt.

207. II. **Partitiones ratione originis.** Conceptus explicitus et implicitus. Explicitus rem ipsam directe exhibet pro-

---

[1] Cfr. Drobisch, N. D. d. L. p. 220.

[2] Ueberweg, System der Logik § 54.

priis notis apprehensam. Implicitus rem indirecte indicat interveniente aliqua relatione necessaria, qua cum alterius conceptus obiecto coniuncta est; ita conceptus *filii patris* conceptum implicat, *legis* implicat *legislatoris, creaturae creatoris.*

Conceptus intuitivus et abstractivus. Intuitivus est, quo rem cognoscimus secundum imaginem vel speciem propriam, i. e. eam, quam res ipsa immediate cognoscenti imprimere solet; vel est conceptus, quo res existens immediate obiicitur menti, ut est in se. Conceptus abstractivus est, quo rem cognoscimus interveniente specie alīus rei; quum scilicet res ipsa per se aspectui intellectus obiective praesens non est[1]. Ita negationes cognoscimus secundum formas, quae negantur; et Deum cognoscimus per analogiam rerum ab ipso creatarum.

Scholion 1. Nonnulli conceptum intuitivum proprium vocant, et abstractivum improprium vel alienum, extraneum, analogum (i. e. haustum ex rebus similibus). Quia vero vox illa „proprius" ambigua est — proprius enim etiam „communi" opponitur, vel „vago", vel „universali" (unde etiam conceptus abstractivus „proprius" esse potest, quatenus rem ita exhibet, ut eam ab omni alia re distinguere possimus) — ideo ex his multi conceptum intuitivum vocant proprium ex propriis, vel stricte proprium; conceptum autem abstractivum, si non est vagus sive communis, vocant conceptum proprium ex communibus vel ex analogis.

Scholion 2. Alii conceptum intuitivum pressius definiunt conceptum, quo obiectum percipitur, ut est actu praesens. Hic igitur conceptus intuitivus vi vocis arctius accepta actum cuiusdam visionis includit. „Illa, inquit Aquinas, videri dicuntur, quae per se ipsa movent intellectum vel sensum ad sui cognitionem."[2] Et quia sola singularia visioni obiici possunt, conceptus intuitivi non sunt nisi singularium. Si igitur ad hanc vim vox restringitur, non habemus conceptum intuitivum eorum, quae aliquando vidimus et nunc recordamur. Neque sunt conceptus intuitivi illi, quos in disciplinis naturalibus, ut in zoologia, discendo formamus de animalibus, quae nunquam vidimus.

Scholion 3. Cartesiani distinguunt conceptus innatos, intuitivos, factitios. Sed conceptus innati nulli sunt, quia omnes conceptus nostros interveniente experientia externa vel interna acquirimus. Conceptus intuitivos eos esse dicunt, quos ex aliis praecognitis non formamus, sed per experientiam immediate acquirimus. Conceptus factitios eos omnes dicunt, quos ex conceptibus habitis per compositionem vel abstractionem vel analogiam formamus; in quo genere sunt conceptus arbitrarii (velut *montis aurei*) atque etiam discursivi, ad quos formandos mens per discursum sive ratiocinium pervenit, ut est conceptus *angeli.*

Scholion 4. Alii recentioris aetatis philosophi distinguunt conceptus intuitivos et factitios. His conceptus factitius ille est, quem mens ipsa sibi

---

[1] Cfr. Kleutgen, Philosophie der Vorzeit. Edit. 2. n. 39 sqq.

[2] Summ. theol. II. II. q. 1 a. 4. Et alio loco: „Scientia visionis addit supra simplicem notitiam aliquid, quod est extra genus notitiae, scilicet existentiam rei." Quaest. disput. de ideis a. 5 ad 8.

format aut multos conceptus intuitivos coniungendo aut per abstractionem. Ut cognitio sit intuitiva, requiritur, ut feratur in rem realiter praesentem et ut fiat specie propria, i. e. propria ipsius obiecti imagine menti impressa. Deinde conceptus factitius iterum distinguitur duplex: arbitrarius et abstractivus. Arbitrarius est, quum ad arbitrium elementa componuntur, velut quum quis *equum volantem* vel *montem aureum* sibi repraesentat. Arbitrarius quidem est; sed tamen consociabilitatem illarum, ex quibus fit, notarum supponit. Quodsi quando de *circulo quadrato,* vel de *Deo corporeo,* vel de aliis eius generis absurditatibus incidit mentio, illa elementa aut non recte cogitantur, aut ficte et simulate tantum coniunguntur. Abstractivus vel discursivus ille est conceptus, qui ope discursus formatur vel similitudinis, vel negationis, vel abstractionis.

Scholion 5. Etiam conceptus quidditativi haud raro incidit mentio. Quidditativus, si vocem proprie accipias, ille conceptus est, qui a propria obiecti imagine nascitur ut intuitivus, et insuper praedicata rei essentialia ad ultimam usque differentiam imagine clara, distincta, positiva ita penetrat, ut res ab omni alia etiam simillima distingui possit. Sin vocem late accipias, omnem conceptum, qui quidditatem rei significat, quidditativum dices, vel definitionem omnem, quae, quid res sit, aliqua ratione explicat. Sed haec potius notitia quidditatis dicenda est.

208. **Partitiones petitae ex perfectione repraesentationis.** Conceptus directus aut reflexus. Prior est, qui sine ulla reflexione apprehenditur; reflexus, cuius vividam quasi conscientiam mens sibi per attentionem sive reflexionem ontologicam (n. 106) acquisivit. Interdum conceptum reflexum illum vocant, in quo intervenit reflexio psychologica, i. e. reflexio ad propriam mentis activitatem.

Conceptus clarus aut obscurus. Clarus est, quum rem repraesentatam illico manifestat, sive quum res ita menti repraesentatur, ut ea facile ab omni alia re discerni possit; secus conceptus obscurus erit. (Cfr. n. 57.)

Scholion. Sunt, qui putent, notiones nostras non in se esse posse positivas, determinatas, claras, nisi propter relationem factam ad notiones alias, quae ab illa notione diversae sint[1]. Quibus concedendum est, nos in habendis notionibus claris et determinatis multum quidem iuvari propter istam relationem vel oppositionem. Certum tamen est, notiones nostras etiam ante omnem relationem, comparationem, oppositionem positivas, claras, determinatas esse posse[2].

---

[1] Ita inter alios Ulrici: „Nur weil Roth eben als Roth zugleich nicht Blau, nicht Gelb etc. ist, nur darum ist es diese bestimmte Farbe, die wir Roth nennen; — ohne den Unterschied von Blau etc. wäre es ohne alle Bestimmtheit, nur Farbe — überhaupt, ein schlechthin Unbestimmtes, von dem wir nichts wissen würden, weil, wie gezeigt, die Farbe als Farbe nur durch die Unterschiedenheit der Farben uns zum Bewusstsein kommt. Ist die Bestimmtheit als solche nur der gesetzte Unterschied, und hat oder erhält also etwas eine Bestimmtheit nur durch seine Unterschiedenheit von anderem, so ist es auch nur dadurch positiv etwas.“ Compendium der Logik, ed. 2. p. 60.

[2] Cfr. hac de re Sigwart, Log. tom. I. p. 279.

Conceptus clarus est aut distinctus aut indistinctus aut confusus. Distincte concipimus rem, quum eam non solum ab omni alia re distinguere possumus, sed etiam notas aliquas indicare, quibus ab aliis rebus differt. Distinctus igitur est conceptus, quum omnia repraesentat, quae formaliter in obiecto continentur. Ob defectum distinctionis conceptus indistinctus dicitur, si de re simplici agitur, quae non habet multas notas; confusus, si sunt quidem notae multae, quae tamen a mente non distinguuntur ut multae.

Conceptus distinctus conceptibus claris earum notarum constat, quibus obiectum discernitur. Unde conceptus quidem clarus esse potest, qui distinctus non est; neque tamen ullus conceptus distinctus esse potest, quin clarus sit [1].

Scholion. Obscuritas et confusio multis ex causis oritur: ab imbecillitate luminis intellectualis, ab imperfectione sensuum horumque minus accurata ad res ipsas applicatione, ex manca et inchoata tantum rerum contemplatione; deinde ex animi inconstantia mobilitateque, a memoriae debilitate atque a phantasiae levitate immo fecunditate vel etiam importunitate, qua imaginibus res vestire vult, quae ab omni imagine phantastica abhorrent. Quibus accedunt vocabulorum significationes apud diversos homines diversae, rei propositae amplitudo, subtilitas, similitudo, quae cum aliis rebus facile confundi possit; multa alia.

Fugiendum est igitur in rebus contemplandis levis illa praecipitantia, qua homo omnia uno obtutu exhauriri posse opinatur. Adhibenda contra est attentio et accurata singularum notarum investigatio. Comparanda res est cum aliis rebus similibus, quas iam distincte percepimus. Neque frustra media externa, ut sunt certa methodus, scriptio, figurarum sensibilium usurpatio, ad comparandos conceptus claros et distinctos adhibentur.

209. Conceptus distinctus aut completus est aut incompletus. Completus est, quo notas omnes, quibus una res ab aliis discernitur, distinguimus; incompletus, si non omnes vel saltem si non omnes distincte. Conceptus igitur completus est conceptus totius. Incompletus est alicuius partis componentis totum. Ita conceptus repraesentans *animam* est conceptus incompletus hominis. Vel est conceptus totius ita, ut eius alia pars exhibeatur distincte, alia confuse.

Conceptus completus est aut adaequatus aut inadaequatus.

Sed haec divisio ab aliis aliter intelligitur. Aliqui adaequationem conceptuum ad intellectum repraesentantem referunt; apud quos conceptus ad-

---

[1] Ex recentioribus nonnulli claritatem et distinctionem conceptuum una voce „aspectabilitatis“ solent comprehendere; id tamen minus recte; nam aspectabilitas per se non ad intellectum, sed ad sensum refertur.

aequatus ille est, cuius obiectum capacitatem intellectus explet, ut est conceptus entis vel veritatis in communi. Verum vix non semper adaequatio conceptuum ad obiecta repraesentata refertur; quod si fit, aliqui conceptus omnes completos adaequatos vocant, incompletos inadaequatos. Alii illos tantum conceptus completos dicunt esse adaequatos, qui rem totam non solum quoad notas essentiales, sed etiam quoad notas integrales, i. e. eas exhibent, quae naturaliter ad integritatem alicuius rei pertinent. Quae quidem opiniones non falsae, tamen minus utiles esse videntur, unde aliam huius divisionis descriptionem praeferendam esse ducimus.

Conceptus adaequatus ille est, qui alicuius rei notas omnes et singulas distincte exhibet ita, ut hae notae ab intellectu humano ulterius resolvi non possint; quod si non fit, conceptus erit inadaequatus.

Conceptus adaequatus aut est apprehensivus tantum aut etiam comprehensivus. Comprehensivus totam obiecti intelligibilitatem ita exhaurit, ut non solum extensive rei toti adaequetur (id quod conceptu adaequato fit, qui pure apprehensivus est), verum etiam intensive omnes perfectionis gradus, relationes omnes, quidquid aliqua ratione cum re cohaereat, clara repraesentatione manifestat. Itaque conceptus comprehensivus rem totam repraesentat totaliter. Cuius generis repraesentationes solum in intellectu, qui absolutus plane et infinitus sit, inesse posse, res manifesta est.

210. **IV. Partitiones ex comparatione inter complures conceptus profectae.** Conceptus connexi et disparati. Connexi vel associati (pertinentes) sunt, quorum alius alium necessario aut includit aut excludit, ut sunt *pater* et *filius, lux* et *tenebrae.* Disparati (impertinentes) sunt, qui neque deductione neque repugnantia inter se referuntur, ut *sapiens* et *niger, iustitia* et *doctrina.*

Scholion 1. Nexus, cuius facta est mentio, aut obiectivus est, aut subiectivus, prout coniungit aut conceptuum obiecta aut obiectorum perceptiones. Nexus obiectivus constituitur similitudine, oppositione, causalitate, rebus eius generis aliis. Nexus solum subiectivus est, si perceptiones fuerunt simultaneae, vel inter se exceperunt, vel fuerunt habitae in conditionibus similibus, vel similem dissimilemve effectum in percipiente produxerunt, vel si alia eiusmodi habuerunt locum.

Scholion 2. Conceptus connexi possunt inter se pendentes esse, ut *culpa* et *poena, causa* et *effectus, conceptus* et *vocabulum;* inter se subordinati, ut *homo* et *animal;* inter se coordinati, ut *homo* et *animal brutum.*

Si sunt coordinati, esse possunt disiuncti, ut *rubrum* et *caeruleum, sonus* et *strepitus;* correlati, ut *mons* et *vallis, terra marique.*

Conceptus identici aut diversi sunt, prout aut iisdem, aut diversis notis constant.

Identitas diversitasque, si ipsos conceptus afficit, interna dicitur; si autem in rebus reperitur, ad quos conceptus referuntur, externa est vel obiectiva. Ita conceptus *hominis* et *animalis rationalis* sunt conceptus intrinsecus identici; *animalis* et *albedinis* intrinsecus diversi sunt. Conceptus *lapidis* et conceptus *viventis* obiective diversi sunt. Conceptus *albi* et *frigidi* intrinsecus quidem diversi sunt; si tamen ad unam rem, quae alba simul est et frigida, ut est *nix,* referuntur, obiective identici sunt; sub diversis enim formis exhibent rem eandem.

Scholion 1. Conceptuum identitas diversitasve interna, si omnes notas respicit, totalis dicitur; si ad aliquas tantum notas refertur, partialis est. Ex quo sequitur, esse posse conceptus, qui ex parte intrinsecus identici sint, ex parte intrinsecus diversi, velut *homo* et *animal.* Quodsi uterque conceptus partem habet, quae eadem est in utroque, et praeterea partem, quae est extra alterum, conceptus vocantur contigui (contingentes) sive interferentes, velut *domus antiqua* et *domus pulchra,* vel *aurum* et *pecunia;* est enim res, quae et *pecunia* est et *aurum;* et res, quae est pecunia, non tamen aurum; et res, quae est aurum, non tamen pecunia.

Scholion 2. Itaque conceptus sunt obiective identici ex toto, quum uterque rem unam eandemque exprimit, et ad hanc rem exprimendam ita restrictus est, ut ad aliam sese non extendat, ut SOCRATES et SOPHRONISCI filius. Sunt obiective identici ex parte, quum alteruter non solum alterius obiectum exhibet, sed ad alia praeterea obiecta extenditur, ut *animal* et *vivens.* Unde iterum efficitur, ut conceptus esse possint, qui secundum alteram suae extensionis partem sint obiective identici, secundum alteram partem diversi.

Scholion 3. Conceptus, quibus idem diversa ratione exprimitur, nonnunquam aequipollentes vocantur; verba, quibus idem conceptus exhibetur, synonyma dicuntur.

Conceptus sunt aut sociabiles aut repugnantes. Sociabiles sive consentientes sunt, qui secundum id, quod exprimunt, uni eidemque naturae convenire atque in unum conceptum coniungi possunt; repugnantes autem sive insociabiles, qui exprimunt obiecta, quorum unum vel directe vel indirecte continet negationem alterius sive ex parte sive ex toto; quae igitur ita inter se sunt opposita, ut in conceptum unum coniungi non possint.

Conceptuum sociabilitas et insociabilitas in oppositione rerum conceptibus exhibitarum fundamenta habet. Ea autem opposita sunt, quae in una eademque re singulari sub eodem respectu simul esse non possunt, ut *scientia* et *non-scientia; scientia* et *ignorantia; scientia* et *error; scientia* et *scibile.*

Scholion 1. Oppositio generatim accepta duplex est: incomplexa, quae est rerum vel conceptuum; et complexa, quae est iudiciorum. Oppositio incomplexa seu simplex est peculiaris pugna inter duo. Quae pugna nihil aliud significat quam illas res simul esse non posse. Res enim omnes contemplantes et inter se comparantes, facile videmus, aut res inter se pugnare, ut

calidum et *frigidum,* aut amicas esse, ut *animal* et *rationale,* aut inter se indifferentes esse, ut *durum* et *viride.* Et iterum oppositio simplex duplex esse potest. Positiva est, quae est inter duo entia; negativa est, quae est inter ens et non-ens. Si oppositio positiva intercedit inter duas res absolutas, appellatur contraria; si inter duas res relativas, dicitur relativa. Si oppositio negativa est inter ens et non-ens simpliciter, vocatur contradictoria; si inter ens et non-ens secundum quid, est privativa [1]. Sed hac de re mox diligentius dicendum erit.

211. Conceptus repugnantes aut sunt contradictorii, aut privativi, aut contrarii, aut relativi. Quae distributio ex diversitate oppositionis nata est; opposita enim in genera quattuor divisa esse vidimus: contradictoria, privativa, contraria, relativa.

Contradictoria sunt, quorum unum negationem alterius significat, ut *ens* et *non-ens;* vel nota quaevis realis positiva (forma) et eius negatio, ut *videns* et *non-videns, homo* et *non-homo.* Ut sit contradictio, idem concipi et negari debet eodem plane modo, quo concipitur. Unde patet, alterutrum ex contradictoriis necessario verum esse de subiecto quolibet, alterum falsum; inter contradictoria igitur medium esse non posse [2].

Privativa sunt, quorum unum significat defectum sive privationem alterius, ut *ens subiecto debitum,* et *entis in eo subiecto negatio;* vel nota quaevis realis positiva (forma) et eius negatio, quatenus haec in subiecto reperitur, quod ad notam illam habendam aptum et destinatum est, ut *videns* et *caecum.* Dum in negatione pura (specifica) a determinati subiecti connotatione praescinditur, in privatione connotatio subiecti apti et destinati includitur. Ita *mortuum,* vel *caecum,* vel *surdum* esse — qui sunt conceptus privativi — lapidibus attribui non potest; potest tamen attribui animalibus, quia haec ad vitam habendam et ad visum et auditum apta et a natura destinata sunt. Inter privativa medium esse posse intelligitur. Etsi enim alterutrum ex privativis proprio subiecto et determinato necessario inest, alia tamen subiecta multa esse possunt, quibus nec forma nec privatio attribui possit.

Scholion. Vox illa „negatio" generice accipi potest et etiam specifice. Negatio in communi vel pro genere accepta est quaelibet formae a subiecto

---

[1] Ἀντικεῖσθαι μὲν οὖν κατάφασιν ἀποφάσει λέγω ἀντιφατικῶς τὴν τὸ καθόλου σημαίνουσαν τῷ αὐτῷ ὅτι οὐ καθόλου, οἷον πᾶς ἄνθρωπος λευκός — οὐ πᾶς ἄνθρωπος λευκός, οὐδεὶς ἄνθρωπος λευκός — ἔστι τις ἄνθρωπος λευκός· ἐναντίως δὲ τὴν τοῦ καθόλου κατάφασιν καὶ τὴν τοῦ καθόλου ἀπόφασιν, οἷον πᾶς ἄνθρωπος λευκός — οὐδεὶς ἄνθρωπος λευκός, πᾶς ἄνθρωπος δίκαιος — οὐδεὶς ἄνθρωπος δίκαιος· διὸ ταύτας μὲν οὐχ οἷόν τε ἅμα ἀληθεῖς εἶναι. Arist., De interpr. c. 7, 17 b, 16.

[2] Ἀντιφάσεως μὲν οὐδέν ἐστι μεταξύ, τῶν δὲ ἐναντίων ἐνδέχεται. Arist. l. 10 met. c. 4, 1055 b, 1.

absentia, et haec in privationem dividitur et negationem specifice acceptam, prout absentia formae significatur aut in subiecto apto, aut aptitudine subiecti omissa. Oppositio, quam diximus contradictoriam, est inter affirmationem et negationem genericam, non vero specificam.

Contraria sunt illa positiva, quae sub eodem genere posita maxime distant: vel clarius, quae sub eodem genere posita maxime distant et ab eodem subiecto inter se expellunt. Dicuntur positiva, in quo contraria a privativis et contradictoriis distinguuntur, quorum alterutrum negativum est. Dicuntur posita sub eodem genere sive proximo, ut *nigredo, albedo* sub genere *coloris;* sive remoto, ut *sapientia* et *pietas* sub genere *habitus.* Dicuntur maxime distare differentia entitatis et societatis, quatenus secundum gradum suum intensum in eodem subiecto naturaliter sociari non possunt. Dicuntur denique inter se expellere, quia alterutrum excluditur a subiecto, quod altero imbutum est [1].

Relativa sunt, quae ex respectu ad aliud denominationem trahunt, ut *similia, inaequalia, causa* et *effectus, pater* et *filius.* Manifestum est, relativa inter se includi, poni, tolli; nec potest unum relativum esse vel concipi sine altero.

Quibus ex dictis perspicitur, omnium maximam oppositionem (si formaliter spectetur ipsa oppositio) esse contradictoriam. Contradictoria enim nec medium habent, neque in ullo genere vel subiecto convenire possunt, nec ulla ratione inter se includunt. Opposita autem, quae indicavimus alia, aut medium habent, aut in eodem genere vel subiecto conveniunt, aut aliqua ratione inter se includuntur [2].

---

[1] Τὰ πλεῖστον ἀλλήλων διεστηκότα τῶν ἐν τῷ αὐτῷ γένει ἐναντία ὁρίζονται. (Arist., Categ. c. 6, 6 a, 17.) Notat Trendelenburg, multos in contrariis definiendis minus subtiles esse; „eas enim, inquit, notiones esse contrarias statuunt, quarum altera alteram non modo tollat, sed in alterius locum novi aliquid substituat. Quale hoc novum sit, multi neglegunt, nec tamen nihil interest. Albo nigrum contrarium esse dixeris; si albo colore sublato, quemvis alium posueris, velut canum, vix contrarium esse concedes. Cautius hac de re Aristoteles." (Cfr. l. 5 metaph. c. 10, 1018 a, 25; de interpret. c. 14, 23 a, 27.) „Exempla Aristoteles et vitiorum et virtutum definitione aptissima praebet. Vitia, quippe quae in affectuum vel defectu vel excessu posita sint, inter se contraria sunt, si ex aberrandi modo genus acceperis. Vitia rursus virtuti contraria, si id, quod debeat fieri, spectaveris." Elem. log. Aristotelicae ad § 10—13.

[2] Hac de re praeclare disputat S. Thomas in opusculo XXXVII. de quattuor oppositis, cuius haec sunt capita: 1° quod contradictio est maxima oppositio et quod eam immediate sequitur oppositio privativa; 2° quod oppositio contraria a contradictoria magis distet quam privativa; 3° quod oppositio relativa minimum habet de contradictione; 4° quomodo diversi modi transmutationum oppositiones praedictas sequantur; 5° quomodo ex contrario fiat contrarium.

212. **Harum partitionum symbolum geometricum.** Quas modo indicavimus partitiones, quum ab aliis alia specie proponantur, re tamen omnibus fere communes sunt. Solent quoque claritatis gratia proponi figuris geometricis iisque aliis pro diverso proponendi modo.

Aliqui (inter quos J. L. Vives n. 52) has partitiones ad extensionem referunt, et ratione extensionis conceptus dicunt aut inter se subordinari aut etiam coordinari posse aut plane disparatos esse. Conceptus aequipollentes sive reciproci eandem extensionis sphaeram habent; quodsi iisdem plane notis constant, identici sunt. Conceptus, qui sub sphaera eiusdem conceptus superioris maxime inter se distant, illi sunt, quos contrarie oppositos vocant. Possunt quoque conceptus secundum extensionem interferentes esse, i. e. partim coïncidere, partim diversi esse, velut quum dico: *rubra* et *pulchra*. Reliqua ex supradictis satis colligi possunt. Neque inepte rem his figuris geometricis illustrant.

Figura conceptuum inter se subordinatorum a *(animal)* et h *(homo)* haec est:




Figura conceptuum inter se coordinatorum a (animal) et p (planta) sub v (vivente):




Figura conceptuum aequipollentium a et α:




Figura oppositionis contrariae A Z:




Figura oppositionis contradictoriae A et Non-A:




Figura conceptuum interferentium (partim identicorum, partim diversorum) a b et b c:






Figura conceptuum disiunctorum velut inter Graecos (g), Lacedaemoniorum (l) et Atheniensium (a):



Alii (Wundt) ad repraesentandum conceptum lineam (a g) adhibent:



In qua linea identitas significatur proportione a g : a g; subordinatio a b : a g; superordinatio a g : a b.

Coordinationem quod spectat, pro eius varietate varia adhibetur significatio.

Disiunctio exhiberi potest a b : e f; correlatio b c : e f; contrarietas a b : f g; contiguitas b c : c d; interferentia b d : c e.

Dependentia, quae inter conceptus esse potest, adiunctis aliis lineis (a m et a n) exprimi potest, quas inter se quoad situm certo modo pendere ponitur [1].

SECTIO ALTERA.

De terminorum internorum signis sive de terminis externis.

213. **Terminus externus** est signum illud, quo terminum mente conceptum aliis manifestamus. Quia enim homo ex naturae instituto cum aliis hominibus simul vitam degere debet, conceptiones

[1] Log. I. p. 124. — Errant illi logicae Aristotelicae osores (quorum princeps ille Vives), quod, spernentes Aristotelis praecepta, in eiusmodi descriptionibus geometricis vim omnem et salutem scientiae collocant. Habent tamen ista symbola aliquid utilitatis; quapropter ea non neglexrimus.

suas cum his non communicare non potest. Quod praecipue fit voce ore prolata, atque etiam verbis scriptis. Itaque significatio quasi vita vocis et anima est. De terminis externis disputantes exponamus oportet, quae sit eorum natura, quae divisio, qui usus. Prius autem, quid sit signum, videndum est, quam de natura terminorum dicere possimus.

§ 1.

De signo.

214. **Signum quid sit.** Signum vi vocis latissime accepta omne illud dicitur, quod ipsum alterius rei cognitionem infert, sive quod ipsum potentiae cognoscitivae aliquid a seipso diversum repraesentat. Itaque etiam illud dici potest esse signum, quo aliqua alia res cognoscitur, neque tamen ipsum a cognoscente prius cognitum est; quod vocare solent „signum quo"; in quo genere est species sive imago illa, qua potentia cognoscitiva ad cognoscendum determinatur; quae inest in hac potentia, neque tamen cognoscitur. Sed usitatior potestas vocis est, qua signum dicitur id, quod prius cognitum ducit in cognitionem alterius, quod „signum quod" vocare solent. Hoc modo signum est id, quod, quum seipsum potentiae cognoscitivae manifestat, efficit, ut praeter seipsum alia etiam res cognoscatur. Ita *ranarum vocibus* pluviam significari dicunt; *vestigium* est signum animalis; in *floribus* signum veris cernitur; *fumus* signum ignis esse solet. Signum igitur semper notius signato esse debet. In multis autem huius generis rebus plurimum pendet ab aestimatione hominum.

Restrictius nonnulli dicunt, id signum esse, quod proxime (i. e. ex re, quam in se repraesentat) infert cognitionem alterius rei gravioris et dissimilis, ita ut speciali ratione attendatur huius rei existentia vel praesens, vel praeterita, vel futura. Hoc modo ad rationem signi non satis est, ut adducamur quocumque modo in alterius rei notitiam, sed requiritur, ut id fiat repraesentando, ut signum habeat in se minus momentum quam signatum, ut sit signato sub aliquo respectu dissimile.

Ex dictis intelligitur, cur ratio signi non reperiatur in *magistro* inducente discipulum in cognitionem doctrinae, neque in *luce* manifestante corpora, neque in *praemissis* conclusionem manifestantibus, in *ovo* uno repraesentante ovum alterum.

Et omnis significatio in aliquo nexu fundatur, qui rem significantem cum re significata coniungit. Unde id, quod significatur, semper aliqua ratione aliud esse debet atque id, quod significat. Tria in signi ordine distinguuntur: terminus significans, terminus significatus, nexus, unde vis significandi trahitur. Et ipsum signum

necessario habet respectum duplicem: ad rem, et ad intellectum. Ad rem refertur signum tamquam ad terminum, quem manifestat; ad intellectum tamquam ad terminum, cui manifestat.

Quodsi nomen signi ad vim propriam restringatur, illud tantum signum dicitur, quod ad significandam rem aliquam est ordinatum. Quae ordinatio aut ex aliqua hominum conventione deducitur, aut ex nexu naturali sive ex instituto naturae. Ex aliqua conventione *pharus* rationem signi habet pro nautis; atque etiam *ramus* domui appositus signum vini venalis esse potest. Ex naturae quasi instituto *dolor* est signum morbi aut vulneris, *singultus gallinae* est pullis signum praesentis pabuli.

215. Signorum partitio. Signi notione indicata de diversitate signorum dicendum est.

Signum formale et instrumentale. Si nexus, quo signum rem significat, in similitudine consistit vel imagine, signum formale dicitur. Signum autem, quod in alterius cognitionem ducit interveniente alia qualibet praeter similitudinem connexione, dicunt instrumentale.

Ita *pictura* est signum formale sui prototypi; et *fumus* signum instrumentale est ignis.

Manifestum autem est, signum formale non opus esse, ut semper prius noscatur quam obiectum significatum; sed esse posse, ut res significata cognoscatur ipso signo interveniente, ut „medio“ vel etiam in ipso signo. Ita species sensibilis in oculo existens est signum formale rei externae; neque tamen prius cognita in cognitionem rei externae adducit. Signa autem instrumentalia semper prius cognita esse debent, ut in cognitionem alterius inducere possint.

Signum pure formale et formale obiectivum; alii brevius distinguunt signum formale (signum quo) et obiectivum (signum ex quo). Prius est rei similitudo vel imago, quae in cognitionem rei ducit, neque tamen ipsa directe cognoscitur. Posterius est illa rei similitudo sive imago, quae prius cognita ducit in rei cognitionem.

Signum naturale et arbitrarium. Naturalia signa vocamus, quae naturali nexu et quasi ex naturae instituto rem aliam patefaciunt; sicut *fumus* ignem significat, et *vultus irati* affectionem mentis. Arbitraria autem signa sunt, quae ex sola hominum conventione vel consuetudine vim significandi sunt nacta.

Signum suppositivum personale et manifestativum impersonale. Manifestativum est signum, quod rei alicuius existentiam manifestat; suppositivum est, quod non solum ducit in

cognitionem alicuius rei (id enim est signum manifestativum), sed quod loco ipsius rei substituitur, ut eius quasi vices gerat.

Ita *statua regis* manifestat victoriam, et pro rege supponitur; honoratur enim statua, quia rex ipse praesens esse non potest. Similiter *claves urbis victori delatae* cladem manifestant, et supponunt pro urbis deditione; quum enim tota urbs in manu victoris poni non possit, ponuntur claves. Vocabula denique sunt signa manifestativa conceptuum, suppositiva rerum. Quum enim rem ipsam, de qua dicere volumus, ante oculos ponere non valeamus, vocabula substituimus. Sunt autem vocabula signa cogitationum manifestativa, quia loquentem ex probatis vocabulis cognoscimus habere has cogitationes vel hos conceptus; quamquam ut plurimum non de conceptu subiectivo loquentis agitur, sed de conceptis rebus.

Sunt praeterea aliae signorum divisiones (ut practicum et theoreticum, certum et probabile, commemorativum, demonstrativum, prognosticum), quae facile ex ipsis dicendi formulis intelliguntur.

Scholion. His dictis facile perspicitur, conceptus ipsos, quum efficiant, ut res cognoscantur, idque eo efficiant, quod res repraesentent, rerum signa habenda esse. Et quoniam vim significandi a natura habent determinatam, signa sunt naturalia. Unde fit, ut apud omnes homines conceptus plane iidem reperiantur, sicut essentiae rerum sunt eaedem. Sunt autem signa formalia: ea enim obiecta menti manifestant, quibus ipsi conceptus sunt similes. Non autem sunt formalia obiectiva, sed pure formalia. Quoties enim homo natura duce obiecta cognoscit, obtutus mentis non figitur in ipsos conceptus cognoscendos prius, sed intervenientibus conceptibus tamquam mediis, res ipsae immediate menti obiiciuntur. Itaque in rerum notitiam inducunt mentem non sistendo seipsos tamquam obiecta, sed dirigendo mentem in rem obiectam.

Et „terminus“ universe definiri potest: signum rei mente conceptae. „Terminus internus“ sive conceptus: signum formale rei mente perceptae. „Terminus vocalis“: vox ex hominum arbitrio significans terminum mentalem et rem termino mentali expressam.

§ 2.

De vocabulis.

216. Vocabulum quid sit. Quum plurima sint signa, quibus affectiones animi forinsecus manifestari possint: gestus, nutus, tremitus, pallor, rubor, aspectus oculorum, risus, fletus, suspiria, huius generis alia, principatum tamen in conceptionibus nostris significandis omnes homines tribuerunt loquelae, i. e. vocibus sive

vocabulis. „Nihil est aliud loqui ad alterum quam conceptum mentis alteri manifestare.“ [1]

Vox ab ARISTOTELE definita est: sonus ab ore animalis prolatus cum imaginatione quadam[2].

Vocabulum est sonus ab ore hominis prolatus, quo is notiones mentis manifestare intendit. Id igitur, quod voci ore prolatae rationem formalem vocabuli tribuit, est mentis cogitatio. „Verbum, quod foris sonat, signum est verbi, quod intus latet, cui magis competit verbi nomen; nam illud, quod profertur carnis ore, vox verbi est, verbumque et ipsum dicitur propter illud, a quo, ut foris appareat, assumptum est.“ [3] Id quod ore profertur, est quasi vocis materia. Et a natura quidem homini data est vocis modulatio, qua commodius cogitationes suas manifestare possit. Quae modulatio multiplici linguae, labiorum, palati, dentium positione conformationeve efficitur. His oris formationibus vocem modificantibus ii soni constituuntur, quos consonantes dicimus; et iisdem formationibus sonus simplex ita mutatur, ut vocalium, quas dicimus, varietas oriatur. Organi motione unica syllabam proferimus; quae est unius vocalis sive simplicis sive compositae cum consonis complexio, vel etiam solus sonus vocalis (cum spiritu leni, quem dicunt) distincte prolatus.

Itaque hominis proprium est, ut vocabulis utatur, seu loquatur. Nam etsi quaedam animalia locutionem humanam imitentur, tamen non intelligunt, quod dicunt, sed arte condocefacta sunt, ut eas voces proferant. Eae voces, quae sunt signa cuiusdam tristitiae vel delectationis vel similium affectionum sensualium, etiam a bestiis eduntur, quippe quae affectiones suas sensuales sentire possint, et inter se significare certis vocibus naturalibus, sicut leo rugitu, canis latratu, quorum loco nos „interiectiones“ habemus. Verum locutio humana ad abstractas illas rerum relationes significandas ordinata est, quae nullo sensu attingi possunt, ut est ratio *honestatis, iustitiae, veritatis* et aliorum huiusmodi, quae sermone significari possunt [4].

217. Vocabula sunt signa arbitraria sive conventionalia. Etsi enim facultas loquendi homini a natura data est, et per indolem naturalem homo hac facultate utitur, nulla est tamen vocabulorum cum certis notionibus naturalis connexio. Quod tanta apud varias gentes declaratur linguarum diversitate, quae non esset, si vocabula certis conceptibus naturaliter necterentur. Relatio haec certa inter singula vocabula notionesque singulas, quo pacto primitus inducta sit, viri doctissimi inquirunt. Certum tamen est, eam

[1] S. THOM., Summ. theol. I. q. 107 a. 1. [2] L. 2 de an. c. 8, 420 b, 5.
[3] S. AUGUST. l. 15 de Trinit. c. 11. [4] S. THOM. in l. 1 polit. lect. 1.

ab hominum voluntate pendere institutoque. Quoniam autem generatim, quae sunt ab hominum arbitrio, non sine aliqua lege et consilio fiunt, connexio ista ita ab hominum arbitrio pendebat, ut homines in evolvendis et mutandis linguis certis quibusdam legibus ducerentur.

Necessitas vocabulorum apud homines res est apertissima. „Si homo esset naturaliter animal solitarium, sufficerent sibi animae passiones, quibus ipsis rebus conformaretur, ut earum notitiam in se haberet; sed quia homo est animal naturaliter politicum et sociale, necesse fuit, quod conceptiones unius hominis innotescerent aliis, quod fit per vocem: et ideo necesse fuit, esse voces significativas ad hoc, quod homines invicem conviverent.“ [1] Atque ex hoc vocabulorum fine primario perspicuum est, in adhibendis vocabulis usum communem spectandum esse et vim vocabulis usu affixam servandam; eos autem, qui ab hoc usu recedant, male abuti vocabulis atque magnam confusionem efficere posse.

Vocabulorum igitur praecipuae partes in eo sunt, ut in commercio inter homines adhibeantur. Verum non solum ad alios, sed etiam ad nos ipsos referuntur. Quum enim a pueritia suam cuilibet vocabulo notionem adiungere assueverimus, nexus hic notionem inter atque vocabulum, quamvis arbitrarius sit, procedente tamen tempore per consuetudinem ita invalescit, ut propemodum naturali par sit. Ex quo fit, ut fere nunquam et ne taciti quidem cogitationes in mente volvamus nisi adhibitis vocabulis et ut saepe memoriae prius vocabula occurrant quam conceptus ipsi. Atque ita in vocabulis praeclarum cogitationum nostrarum vehiculum habemus.

218. Vocabula per se significant conceptus non audientium, sed loquentium. Quum experientia teste diversi sint in diversis hominibus pro diversa cognitione de una eademque re conceptus vel etiam sub eodem vocabulo diversae a diversis concipiantur res, necesse est, ut eadem vox ab aliis pronuntiata aliam etiam vim habeat et significationem [2]. Ita puer in metallo, quod *aurum* appellari audit, nihil observat praeter fulgentem quemdam flavum colorem; alius praeterea maiorem gravitatem specificam, tertius malleabilitatem et ductilitatem et in aqua regia solubilitatem et eius generis plura. Qui omnes data occasione hanc vocem *aurum* pronuntiant. Ex quo evidens est, in cuiuslibet ore eodem vocabulo

---

[1] S. Thom. in l. 1 periherm. lect. 2.

[2] Cfr. Storchenau, Institut. logic. n. 81.

alium tegi conceptum et exprimi multum discrepantem. A pueris res quaelibet, quae simili colore imbuta ipsis occurrit, aurum vocitari solet. Si igitur veram vocabulorum vim et significationem ad aliorum sensa recte assequenda velis constituere, noli ea ex tuis ipsius conceptibus interpretari; sed ea ex scribentis vel loquentis mente intelligenda sunt. Aliud plane voce Dei vel religionis intelligit Christianus; aliud, qui Pantheismi errore est irretitus; aliud, qui Materialismo deditus solas corporis voluptates sectatur.

Verum haec res, ut recte prosequitur Storchenau, multis nonnunquam difficultatibus obsepta est; atque id ideo potissimum, quia ideae nostrae, dum aliorum vel scripta legimus, vel sermones audimus, nobis id non advertentibus, subrepunt efficiuntque, ut aliorum sensa in nostram sententiam non sine magna iniquitate convertamus. Inde evenit id, quod saepenumero legimus, ut multi in antiquis philosophorum scriptis ea ad praeconceptam suam opinionem stabiliendam inveniant, de quibus ne levissima quidem suspicio in mentem illis venit. Ita Hegeliani errores suos apud omnes fere philosophos Graecos iam vident. Curandum igitur, ut animo ab omnibus praeiudiciis vacuo ad sermones audiendos vel legendos libros accedamus, neque alios vocabulis conceptus subiiciamus atque eos, quos auctorem ipsum in mente habuisse rebus omnibus perpensis verisimillimum est (n. 179).

219. Ad vocabulorum vim et ortum quod spectat, iam erant antiquitus, qui non hominum beneplacitum, sed similitudinem vel nexum naturalem soni cum re significata rationem esse ducerent, qua voces ad significandas res certas adhibitae essent. Epicuraei dixerunt, initio homines ex tellure progenitos et penitus elingues fuisse, postea sonos, quos aliunde percepissent, imitatos esse; tandem casu in ordinatos prorupisse eosque paulatim commodi delectationisque causa perpolivisse et multiplicasse[1]. Alii, ut refert Herodotus, primos homines naturali quadam lingua et vocabulis ipsam rerum naturam exprimentibus usos esse arbitrati sunt, quam linguam etiam nunc infantes adhibituros dixerunt, si ab omni ceterorum hominum commercio remoti educarentur.

Ex revelatione divina constat, homines primos „de facto" a Deo adiutos esse, ut rebus nomina imponerent. Qua autem ratione homines ad formanda vocabula venissent, si soli suae naturae relicti, omni praeternaturali magisterio caruissent („de iure"), disputationi virorum doctorum relinqui posse videtur[2].

---

[1] Cfr. Lucretii libros de nat. rerum l. 5.

[2] Hac de re memoratu dignum est, quod profert Aug. Schleicher: „Der Bau aller Sprachen, inquit, weist darauf hin, dass seine älteste Form im Wesentlichen dieselbe war, die sich bei einigen Sprachen einfachsten Baues (z. B. beim Chinesischen) erhalten hat. Das, wovon alle Sprachen ihren Ausgang genom-

Scholion. Triplex distinguitur genus linguarum secundum diversitatem rationis grammaticae: monosyllabarum, agglutinantium, inflectentium, quae omnes in eo conveniunt, quod ideas quasdam primarias primitivis vocabulis (radicibus) expressas habent; differunt vero eo, quod harum idearum multiplices modificationes et inter se relationes aliae aliter significant; et monosyllabae quidem (Sinensis, Coreana, et fere omnes Indiae trans Gangem) verborum collocatione, adiectione vocabulorum explicantium, particulis, sono id efficiunt; agglutinantes (ad quod genus pertinent linguae Finico-Tataricae) praeter illos modos aliqua aliarum radicum ad principalem agglutinatione utuntur, unde „terminationes" (Endungen) quae dicuntur, ortae sunt; inflectentes (ad quas pertinent stirpes Indo-Germanica et Semitica) litterarum radicalium, imprimis vocalium, immutationem adhibent.

Initio linguae omnes videntur fuisse monosyllabae. Huius autem, quae nunc inter cognatas eiusdem originis linguas reperitur, diversitatis causae praecipuae fuerunt hae: 1° naturalis quaedam et quasi organica evolutio, qua fiebat, ut diversa elementa sive radices paulatim concrescerent; 2° sonorum litterarumque immutatio, qua fiebat, ut tum propter loquendi usum et commoditatem, tum propter oblivionem, quaenam fuerit affixorum primitiva significatio, litterae vel abiicerentur, vel mutarentur; 3° multiplex in dialectos divisio, in qua alii aliam eiusdem vocis significationem, vel etiam eiusdem significationis aliud vocabulum (synonymum) assumebant. Accedebat diversarum dialectorum evolutio diversissima et corruptio.

---

men haben, waren Bedeutungslaute, einfache Lautbilder für Anschauungen, Vorstellungen, Begriffe, die in jeder Beziehung, d. h. als jede grammatische Form, fungiren konnten, ohne dass für diese Functionen ein lautlicher Ausdruck, sozusagen ein Organ vorhanden war. Auf dieser urältesten Stufe sprachlichen Lebens gibt es also, lautlich unterschieden, weder Verba noch Nomina, weder Conjugation noch Declination. Die älteste Form für die Worte, die jetzt im Deutschen That, gethan, thue, Thäter, thätig lauten, war zur Entstehungszeit der indogermanischen Ursprache dha, denn dieses dha (setzen, thun bedeutend; altindisch dha, altbaktrisch dha, griechisch θε, litauisch und slavisch de, gotisch da, hochdeutsch ta) ergibt sich als die gemeinsame Wurzel aller jener Worte. In etwas späterer Entwicklungsstufe des Indogermanischen setzte man, um bestimmte Beziehungen auszudrücken, die Wurzeln, die damals noch als Worte fungirten, auch zweimal, fügte ihnen ein anderes Wort, eine andere Wurzel bei; doch war jedes dieser Elemente noch selbständig. Um z. B. die erste Person des Praesens zu bezeichnen, sagte man dha dha mi, aus welchem im spätern Lebensverlauf der Sprache durch Verschmelzung der Elemente zu einem Ganzen und durch die hinzutretende Veränderungsfähigkeit der Wurzeln dhadhâmi (altindisch dádhâmi, altbaktrisch dadhâmi, griechisch τίθημι, althochdeutsch tôm, tuom, tëtâmi, neuhochdeutsch thue) hervorging. In jenem ältesten dha ruhten die verschiedenen grammatischen Beziehungen, die Verbale und Nominale, sammt ihren Modificationen, noch ungeschieden und unentwickelt, wie solches sich bis jetzt bei den Sprachen beobachten lässt, die auf der Stufe einfachster Entwicklung stehen geblieben sind. Ebenso, wie mit dem zufällig gewählten Beispiele, verhält es sich aber mit allen Worten des Indogermanischen." Aug. Schleicher, Die Darwin'sche Theorie und die Sprachwissenschaft. Weimar 1863. S. 21—23.

220. **Quid primo significetur vocabulis dictis et scriptis.** Unumquodque vocabulum tres menti audientis legentisve repraesentationes ingerit: primam sui ipsius, ut quum quis dicit: *Cicero est vox trium syllabarum;* alteram rei, quam significat; tertiam conceptus, qui loquentis menti inhaeret. Primam significandi vim materialem dicunt, alteram tertiamque formalem. Et omissa materiali ad solam formalem hoc loco animum advertimus.

Vocabula primo conceptus mentis significant, deinde res his conceptibus exhibitas[1]. Ex natura enim sua destinata sunt ad exprimendas notiones internas, ut hae cum aliis hominibus communicari possint. Quoniam autem vocabulum a dicente ad exprimendum conceptum adhibetur, quatenus hic signum rei est et ad rem significatam fertur, iam ultimus limes significationis vocabuli in re ipsa cernitur, et attentio audientis ex vocabulo ad rem ipsam immediate convertitur. Quantum igitur ad executionem, prius significatur intellectio; quantum ad intentionem dicentis, ipsa res est, quae primo significatur. Rem significare non possumus, nisi quatenus similitudo rei vicaria in mente nostra invenitur; unde rem ipsam significaturi, similitudinem illam proxime exprimimus. Interdum accidit, ut ipsam mentem subiectivam (vel etiam rem cum ipsa mente) aperire dicendo intendamus. Quod si fit, ipsae intellectiones sunt res quaedam significandae.

Quibus dictis apparet, quam verum illud sit: „Modus intelligendi est modus loquendi."

221. Scriptura sive scriptio significat vocabulum orale, ad quod supplendum inventa est, atque etiam res ipsas cum mente loquentis indicat. „Quia homo utitur etiam intellectuali cognitione, quae abstrahit ab hic et nunc, consequitur ipsum sollicitudo non solum de praesentibus secundum locum et tempus, sed etiam de his, quae distant loco et futura sunt tempore. Unde ut homo conceptiones suas etiam his, qui distant secundum locum, et his, qui venturi sunt in futuro tempore, manifestaret, necessarius fuit usus scripturae."[2] De scriptura haec sunt constituenda: 1° Omnis scriptura est signum instrumentale, non formale, quia scriptura ipsa prius cognosci debet, quam aliud significet. 2° Omnis scriptura significat ad placitum, non naturaliter. 3° Scriptura, quam

---

[1] „Vox significat immediate conceptum intellectus, quo mediante significat rem." (S. Thom., Quaest. disput. de personis div. a. 5.) „Intentio intellecta est similitudo concepta, quam voces exteriores significant." (Summ. c. gent. l. 4 c. 2.)

[2] S. Thom. in l. 1 periherm. lect. 2.

adhibere solemus, quae fit per litteras vocum, immediate significat voces, et his intervenientibus res et intellectiones. 4° Signa numerorum, quae vocantur cifrae Indicae sive Arabicae, pro consuetudine vel placito legentis significant vel immediate res, i. e. ipsos numeros obiectivos, vel significant prius voces et ex vocibus res.

Scholion 1. Primitus scriptura omnis ideographica fuisse videtur, i. e. per se non exhibens voces, sed immediate ipsas ideas; quae exhibebantur vel rerum similitudinibus (in scriptura figurata) vel signis analogis (in scriptura symbolica). Deinde phonetica sive phonographica est orta, quae ad exprimenda certa vocabula erat conformata; et primo quidem vocabulis integris certa signa attributa sunt; postea syllabis; demum singulis litteris, quae scriptura vocatur alphabetica. Et tria potissimum genera scripturarum olim numerabantur: Sinense, Asiaticum (in Asiae partibus occidentalibus), hieroglyphicum; ex quorum ultimo proxime hieraticus (liturgicus) et demoticus (epistolographicus) scribendi modus profectus est; et ex his iterum varia scribendi genera apud gentes Semiticas et Europaeas originem traxerunt.

Scholion 2. Ex dictis intelligitur, „loqui" nihil aliud esse atque ordinare conceptus suos ad alicuius intelligentiam. Neque requiritur, ut in eo, ad quem fit locutio, nova efficiatur scientia, vel ut conceptus mediante signo ad audientem dirigatur. Haec solent fieri in locutione nostra; neque tamen necesse est dicere, ea esse de conceptu omnis locutionis. Unde possumus etiam ad Deum loqui dirigendo mentem nostram ad ipsum laudantes vel invocantes. Neque est opus, ut adhibeamus signa externa; neque Deus nova ex locutione nostra audit. — Pariter possumus loqui cum nobis ipsis, quum consiliando, inquirendo, accusando conceptus nostros ad nostram ipsorum intelligentiam dirigimus.

222. **Vocum varietas et vocabulorum diversitas.** Generatim voces distribuere solent: a) in voces vanas, quae neque ex natura sua neque ex hominum more quidquam significant; b) in voces, quae ex natura sua aliquid significant, ut sunt *gemitus, risus;* c) in voces conventionales sive vocabula; quorum alia per se sola significant, et categorematica dicuntur, ut sunt substantiva, verba, adiectiva, participia; alia ex se solis significationem satis perfectam non habent, sed aliorum vocabulorum significationem modificant, et syncategorematica appellantur, ut sunt voces *omnis, nullus, aliquis,* casus obliqui, adverbia, atque etiam praepositiones et coniunctiones, quae sunt magis „colligationes partium orationis significantes habitudinem unius ad aliam, quam orationis partes; sicut *clavi* et alia huiusmodi non sunt partes navis, sed partium navis coniunctiones" [1].

Vocabulorum diversitas potissimum ex munere attenditur, quod in oratione obeunt. Et praecipuae quidem orationis partes nomen et verbum sunt.

---

[1] S. Thom. in l. 1 periherm. lect. 1.

Nomen ab Aristotele definitur: vox ex instituto significativa sine tempore, cuius nulla pars significat separata.

Nomen enim unam rem cogitatam (vel saltem in una quadam collectione cogitatam) significat quasi per se existentem, non autem per modum actionis vel passionis, in quibus inest ratio temporis (saltem secundum consuetum concipiendi modum). Potest quidem tempus significari nomine, ut *anno, die, hora;* potest etiam connotari nomine illud tempus, quo quid fit, ut *prandio, coena.* Non autem potest nomen consignificare tempus, i. e. ita rem significare, ut ipse significandi modus inducat rationem temporis sive praeteriti, sive praesentis, sive futuri. Ex quo fit, ut nomen per tempora coniugatione variari neque possit neque postulet.

Quodsi nulla pars nominis separata significare quidquam dicitur, id respectu ipsius nominis totius intelligendum est.

De cetero, ut vocabulum proprie et stricte rationem nominis habeat, requiritur, ut non sit indefinitum, sive ut sit determinatum vel finitum; *„non-homo“* enim a perfecta nominis ratione deficit, quum indefinite tantum seu infinitanter, ut aiunt, significet. Requiritur quoque, ut sit rectum, et cum verbo simul orationem veram vel falsam faciat; obliquum enim potius „casus nominis“ quam ipsum nomen dicendum est.

Scholion 1. A dialecticis dividitur nomen solius naturae, nomen solius suppositi (velut: *ego, tu*), nomen naturae et suppositi [1].

Scholion 2. Apud grammaticos definitur substantivum, ut sit vox, quae significat in modum per se stantis. Substantivum dividi solet in concretum et abstractum [2]. Dividitur quoque in proprium et commune. Nomen commune aut est appellativum, velut *homo,* aut materiale, velut *aurum.* Nomine appellativo res naturae significatae multiplicatur et consideratur secundum individua. Nomine materiali res naturae significatae consideratur secundum multitudinem partium eandem naturam habentium, vel in collectione partium, quae singulae rei collectiones sunt. Unde *omnes homines* dicimus, sed non *omnia aura.*

223. Verbum a Stagirita definitur: vox significativa ex instituto, quae insuper cum tempore significat, et est semper signum eorum, quae de alio dicuntur; id quod aliis verbis dixeris: vox ex consensu aliquid significans cum varietate temporis et cum praedicati nota. Intelligitur igitur vox, quae non naturaliter, sed ex hominum institutione significationem suam habet et tempus consignificat. Verbum enim actionem sive actualitatem indicat non solum ut rem (id quod nomine fit, velut quum quis nomine *cursus* actionem currendi significat), sed quatenus secundum nostrum concipiendi modum actualitas illa in aliqua differentia temporis grammaticalis exercetur, quatenus videlicet aut nunc

---

[1] S. Thom., Opusc. 44 tract. 6 c. 1.

[2] Hac de re praeclare S. Thom. loc. cit. tract. 1 c. 4.

fit, aut ante facta est, aut post futura erit; id, quod nulli nomini convenit[1]. Attribuitur praeterea verbo, ut sit signum praedicati dumtaxat, i. e. ut significet cum praedicati nota sive ut sit signum eorum, quae alicui attribuuntur. Verbum enim adhibemus ad conceptus consociandos intervenientibus iudiciis, quibus praedicatum in subiecto inesse edicimus. Dum igitur nomen signum suppositivum rerum, manifestativum conceptuum est, verbum suppositive significat duorum conceptuum identitatem obiectivam, ut ea est obiectum alicuius actus animi relatione ad tempus adiecta. Ubi primum verbum non habet locum praedicati, quod de aliquo edicitur, rationem verbi amittit, et fit quodammodo nomen, sive aliquid, quod etiam loco nominis poni potest, id quod v. g. in participio videmus, quod et praedicatum et subiectum esse potest[2].

Scholion 1. Addere solent, ut vox sit finita, et talis, cuius nulla pars separata significet; ut excludantur praedicata infinita, velut *non-agit,* et orationes; quae res per se satis facile intelligitur.

Quodsi rationem „verbi“ accipere velis pressius, addere debes, ut vox sit recta, ut excludantur omnia tempora et modi praeter praesens indicativi; nam hoc solum directe et simpliciter identitatem enuntiat inter subiectum et praedicatum.

Si vero rem arctissime constringere velis, soli verbo substantivo ratio verbi logici convenit. Nam verbum substantivum *(sum, est, sunt)* actum essendi significat, verba autem adiectiva actum movendi sive operandi; quae igitur aequivalent verbo substantivo et nomini. Sed solo actu essendi identificatur praedicatum cum subiecto.

Scholion 2. Recte docent logici, omni verbo significari actionem sive motum. Etsi enim sunt verba, quae, rem significatam quod attinet, quietem significant, nullum tamen verbum est, quin secundum modum significandi (ad quem solum animadvertere debet logicus) indicet aliquid ut transiens respectu habito ad tempus praesens, praeteritum, futurum; velut quum dico: *Animal quiescit.*

Scholion 3. Errant, qui verbum definiri volunt vocem, qua significetur affirmatio (ita Arnauld, Condillac, Galluppi, alii). Nam affirmatio iudicium quoddam est, quod ex verbo et subiecto coalescit.

Ambigue dicunt, qui verbum definiunt vocem, qua actio vel passio significetur. Actio enim duplici ratione significari potest, primo ut res in abstracto; atque id nomine fit, non verbo ut verbo; deinde formaliter ut actio in tempore exercita eo modo, quo supra diximus, atque id tantum verbo fit, ut verbum est.

Scholion 4. Primus Plato distinctionem inter ὄνομα et ῥῆμα posuit eo more, quem postea secuti sunt grammatici[3]. Apud quem ὄνομα ens perdurans significat, ῥῆμα autem actionem vel statum mutabilem. His addidit Aristoteles

[1] Sylv. Maurus, Log. brev. c. 31.
[2] S. Thom. in l. 1 periherm. lect. 5.
[3] Theaet. p. 206 D; cfr. Cratyl. p. 399 B et Soph. p. 261 E sqq.

σύνδεσμον, quo quamlibet particulam significat, quae sit φωνὴ ἄσημος, velut μέν, ἤτοι, δή [1]. A Stoicis ut vocabulorum genus speciale additum est ἄρθρον, quo articulus vel pronomen significatur, et πανδέκτης sive adverbium (ἐπίρρημα); ὄνομα autem in κύριον et προσηγορίαν sive nomen proprium et appellativum distinguunt. Vox σύνδεσμος ad significandam coniunctionem et praepositionem initio adhibebatur [2].

Illa autem distribuendi ratio, secundum quam octo partes orationis distinguere solent, tempore philosophiae Alexandrinae orta esse videtur [3].

Nomina et verba, ut sunt propositionis partes, a logicis terminos vocari iam diximus; sunt enim id, in quod resolvitur propositio tamquam in subiectum et praedicatum. Verum de his commodius dicetur post, ubi de propositionis indole agendum erit.

§ 3.

De terminorum externorum partitionibus.

224. **Partitiones secundum vim significandi.** Partitiones terminorum aut ad modum referri possunt, quo terminus externus significandum terminum internum spectat, aut etiam ad ipsum obiectum significandum. Partitiones autem, quae priore modo, i. e. secundum vim significandi attenduntur, ex se potius terminos externos spectant. Sunt fere hae:

Terminus aut significans aut inanis dicitur, prout aut aliquid revera indicat, aut nihil significat nisi rem aperte repugnantem; velut *circulus quadratus* vel *culter lamina manubrioque carens;* quem conceptum formare sibi quis videri possit, dum revera eius obiecti conceptus nullus sit; hunc conceptum post Wolffium „fallacem“ vel „ideam deceptricem“ appellant.

Terminus aut fixus aut vagus distinguitur, ut fixus constantem habeat significationem, vagus modo hanc rem indicet, modo aliam ad dicentis arbitrium. Ita vox *naturae* modo essentiam rei

---

[1] De interpret. c. 1, 2, 3.

[2] Cfr. Diog. l. VII. 57. Priscillianus rem ita refert: „Partes igitur orationis secundum dialecticos duae: nomen et verbum, quia hae solae etiam per se coniunctae plenam faciunt orationem; alias autem partes syncategorematica, hoc est, consignificantia appellabant; secundum Stoicos vero quinque sunt eius partes: nomen, appellatio, verbum, pronomen sive articulus, coniunctio.“

[3] Priscillianus octo partes orationis ab Apollonio Dyscolo didicisse se fatetur: „Σύνδεσμος sive coniunctio a praepositione distinguebatur, quam πρόθεσιν vocabant; ὄνομα distinguebant et ἀντωνυμίαν sive pronomen; inter verbum et nomen interponebatur μετοχή sive participium; nominibus annumerabantur adiectiva et numeralia.“

significat, modo totum hunc mundum aspectabilem, modo omnium rerum auctorem.

Terminus aut univocus aut aequivocus aut analogus esse potest; sed de his separatim dicendum erit.

225. **Speciatim agitur de termino univoco et aequivoco.** Quum complura singillatim sumpta inter se et cum terminis, quibus exprimuntur, comparantur, ea aut idem nomen habent et eandem naturam, velut *homo,* qui praedicatur de *Petro,* et *homo,* qui praedicatur de *Paulo,* et dicuntur univoca (synonyma); aut habent diversum nomen et diversam naturam, velut *planta* et *philosophia,* et vocantur heteronyma; aut habent idem nomen et diversam naturam, velut *canis,* qui intelligitur *animal,* et *canis,* qui intelligitur *sidus,* et dicuntur aequivoca (homonyma); aut habent eandem naturam et diversum nomen, velut *vestis* et *indumentum,* et vocantur polyonyma; aut habent idem nomen et naturam partim eandem partim diversam, velut *pes* animalis, et *pes* mensae, et dicuntur analoga; aut habent eandem naturam, nomen autem partim idem, partim diversum, velut *sapiens* et eius *sapientia*, et dicuntur paronyma.

Ex his, praetermissis reliquis, praecipue ad univoca, aequivoca, analoga attendendum est; quae primarie de ipsis rebus significatis dicuntur, et secundarie tantum de vocabulis significantibus.

Sunt res univocae, quarum et nomen commune est, et ratio nomine significata plane est eadem. Ipsa res significata dicitur „univoca univocata“, nomen autem „univocum univocans“.

Sunt res aequivocae, quarum solum nomen commune est, sed ratio nomine significata deprehenditur diversa; velut quum quis dicitur *devorare* panem, et *devorare* libros Aristotelis; vel quum quis iudicium vocat *sanum,* libellum dicit *aureolum,* hominem nominat *architectum sceleris.*

Aequivocatio omnis aut casu inducta est, ita ut res diversae idem nomen habeant sine ulla ratione; aut a consilio, ita ut res diversae eodem nomine vocentur propter aliquam rationem. Prioris generis exempla habes *taurum* animal et montem *Taurum; Tartarum* infernum, et *Tartarum* hominem ex Tartaria oriundum. Alterius generis aequivocum est, quum quis filium memoriae causa nomine avi appellat, vel spe ductus futurae fortitudinis *Caesarem;* vel quum idem nomen imponitur rebus multis propter aliquam habitudinem vel proportionem, quae in rebus ipsis invenitur, ut *risus hominis* et *risus prati, sanus* homo et *sanus* cibus. Quae

ultima ab analogis non distinguuntur. Analoga enim, id quod mox videbimus, plane idem sunt atque „aequivoca a consilio cum fundamento in re“.

Scholion 1. Saepissime etiam in philosophia accidit, ut vocabula propter rerum analogiam a significatione propria ad significationem minus propriam transferantur. Ita vox *substantia*, quae proprie significat rem per se subsistentem, transfertur ad significandum omne illud, quod in re aliqua essentialiter inest, sicut dicimus, definitionem significare rei substantiam. Et vox *natura*, quae proprie indicat „principium motus vel quietis in iis, in quibus per se inest, et non secundum accidens“, transfertur ad significandum omne id, quod intellectu quocunque modo capi potest [1].

Scholion 2. Neque hoc loco omittendum est, terminum etiam ex errore et varia hominum opinandi libertate aequivocum fieri posse, quum ad unam quidem rem indicandam sumitur, revera tamen apud alios alias res significat, idque ob falsam de natura rei significandae opinionem, qua illi, qui vocabulum adhibent, imbuti sunt; cuius generis sunt voces: *Deus, veritas, virtus, religio.* Dei enim nomen ab idololatris ligno et ferro tribuitur, a Pantheistis toti mundo aspectabili, ab iis, qui hodie „liberales“ dicuntur, ipsi homini vel hominibus in rem publicam congregatis.

226. **De termino univoco et analogo.** Univocus, ut ex dictis manifestum est, ille terminus vocatur, qui applicari potest compluribus rebus secundum eundem conceptum et modo essentialiter eodem. Aequivocus est, qui applicari quidem potest rebus compluribus, sed secundum conceptum plane diversum. Analogus est, qui compluribus secundum eundem conceptum applicari potest, sed modo essentialiter diverso [2]. Ita *frons* terminus univocus est, si dicitur de fronte Petri et de fronte Pauli; analogus, si de fronte hominis agitur et de fronte exercitus; terminus aequivocus, si de fronde arboris et de fronte animalis.

Analogia apud philosophos proportio quaedam est et comparatio inter ea, quae sub eodem nomine rationes diversas quidem habent, sed proportione vel comparatione conveniunt. Unde analoga media quasi esse apparet inter univoca et aequivoca.

Sicut univocatio, ita etiam analogia proxime res spectat ac deinde terminos. Res igitur analogae sunt, quarum nomen idem est, id autem, quod nomine significatur, partim idem est, partim diversum. Et terminus analogus est, qui aliquid significat, quod compluribus quidem commune est, sed diversa ratione; vel qui complura significat propter aliquem ordinem vel similitudinem ipsorum. Aequivocatio in solis terminis est.

---

[1] S. Thom., 2 dist. 37 q. 1 a. 1. [2] S. Thom. in l. 4 metaph. lect. 1.

Scholion 1. Duo sunt de analogis axiomata: Analoga per se sumpta stant pro famosiore significato. — In analogis et aequivocis talia sunt subiecta, qualia permittuntur a praedicatis.

Scholion 2. Univoca et analoga dicuntur esse physice, si speciem rerum respiciunt; metaphysice, si ad attributa generica referuntur; logice, si ad actum mentis cogitantis attenditur. Ita *animal,* si de Petro et cane dicitur, est terminus metaphysice univocus; si dicitur de Petro et Paulo, est physice univocus; quae autem a me sciuntur, dicuntur „scita" termino logice univoco.

227. **Terminus est analogus aut secundum attributionem, aut secundum proportionem, aut secundum proportionalitatem.** Analogia quaelibet potest quidem dici proportionis esse, quum in quadam variarum rerum inter se habitudine fundetur. Sed haec habitudo et proportionem sive similitudinem excedere potest, et a proportione propria deficere.

Analogus secundum proportionem est terminus, qui significat complura secundum similitudinem sive convenientiam in aliqua nota. Ita *Nero* et *Taicosama* crudelitate similes sunt, et crudelitas praedicatur de utroque univoce; hinc si Taicosamam dicis esse Neronem, „Nero" terminus analogus est secundum proportionem. *Ridere* et *Virere* illa satisfactione, quam in contemplante procreant, inter se similia sunt; si igitur Virere vocas Ridere, habes iterum terminum secundum proportionem analogum. Ita „cito transire" dicitur „volare", intellectus „oculus mentis".

Analogus secundum attributionem est terminus, qui complura significat secundum identitatem notae, qui iis vero attribuitur propter aliquem nexum realem sive causalem, etsi modo essentialiter diverso. Ita *Nero* et *pugio* ad eandem plane crudelitatis notam referuntur, sed modo essentialiter diverso; nam Nero est subiectum crudelitatis, pugio est instrumentum, quo homo crudelis utitur. Hinc „crudelis" praedicatur de utroque secundum analogiam attributionis. Similiter vinum vocatur *fervidum* sive *calidum,* quia in bibente fervorem vel calorem efficit. Et homo et cibus et medicina et color vultus *sana* dicuntur, non quia ad aliquam inter has res similitudinem attenditur (id quod in analogia proportionis contingit), sed quia ad unam eandemque sanitatem referuntur, quae ipsis vere attribuitur, etsi modo essentialiter diverso. Animal enim sanum est ut sanitatis subiectum, cibus est sanus, quia sanitatem conservat, medicina, quia restituit, color, quia manifestat[1].

---

[1] Arist. l. 7 (al. 6) metaph. c. 4; et l. 11 (al. 10) c. 3; et l. 1 ethic. c. 6.

Scholion 1. Haud raro in terminis analogis analogia utraque simul locum habet. Ita tempestas dicitur *tristis,* tum quia animos hominum ad tristitiam inclinat (quae est analogia attributionis), tum quia cum homine tristi aliquam similitudinem habet. Et pomum *sanum* dicitur, tum quia comestum sanitati prodest, tum quia propter suam integritatem cum animali sano similitudinem habet.

Et saepenumero in usu eiusdem vocis univocatio esse potest, et duplex, de qua diximus, analogia. Cuius res exemplum sit sanitas. Sana dicuntur *animalia* diversae etiam speciei et *plantae* per univocationem; dicuntur *nutrimenta, medicinae, color vultus* propter nexum realem, quem habent cum sanitate animalis, per analogiam attributionis; dicuntur *armamenta navis, respublica, vox, iudicium, genus dicendi* propter similitudinem, quam habent cum animali sano, per analogiam proportionis.

Scholion 2. Omne analogum secundum attributionem unam formam significat, quae primo in una ex rebus significatis inest (in analogato principali), unde reliqua deinde nomen accipiunt (analogata secundaria), quem ordinem indicare solent vocibus: „dici per prius", „dici per posterius".

Scholion 3. Alii analogiam attributionis et proportionis distinguunt, prout rebus attribuuntur relationes diversae ad unum terminum, aut relatio una ad diversos terminos. Priore modo omnia *sana* respiciunt eundem terminum, sanitatem, sed diversas habent relationes; *animal* relationem subiecti, *color vultus* relationem effectus et signi, *cibus* relationem causae. Altero modo *pes montis, scamni, animalis* eandem habent relationem fulcri, sed ad diversos terminos; nam pes montis fulcit montem, pes animalis animal. Prioris generis analoga habent eandem rationem secundum terminum, diversas secundum relationes. Alterius generis analoga habent eandem rationem secundum relationem, diversam secundum terminos.

Ad prioris generis analogiam accedit, quae est apud mathematicos proportio arithmetica ($4-3 = 8-7$), in qua excessus sive differentia habet locum termini, in quo est identitas.

Ad alterius generis analogiam accedit, quae est apud mathematicos proportio geometrica ($4 : 2 = 8 : 4$), in qua est paritas sive identitas relationum.

Prioris generis analoga definiuntur, ut sint analoga, quorum conceptus communis, ratio autem conceptui respondens eadem sit secundum terminum, diversa autem secundum relationes ad terminum.

Alterius generis definiuntur analoga, quorum conceptus communis, ratio autem conceptui respondens eadem sit secundum relationes, diversa autem secundum terminos.

Scholion 4. Analogia secundum attributionem esse potest attributionis internae et externae[1]. Interna est, quum una eademque nota diverso modo ad inferiora descendit, ita ut inferioribus proprie et intrinsecus insit. Ita conceptus *entis* analogus est Deo et creaturis, substantiae et accidentibus. Externa est, quum una nota unius rei propria est intrinsecus, unde variis respectibus induta ad res alias transfertur. Ita *animal* interne et proprie *sanum* est, unde sanitas ad complura analogata secundaria descendit, quatenus haec ad animalis sanitatem varia ratione referuntur.

---

[1] Cfr. Suarez, Disp. metaphys. d. 28 s. 3 n. 14.

Et magna est inter hos duos attributionis modos differentia. Quum enim analogia interna est, nomen ad analogata secunda ita descendit, ut his proprium fiat, immo ad essentiam pertineat; unde fit, ut analogatum secundum definiri possit omisso analogato primario. Quae fieri non possunt, quum analogia externa est.

Analogus secundum proportionalitatem est terminus, qui complura significat, quae quidem similitudinem sive convenientiam in aliqua nota non habent in seipsis, referuntur tamen ad ea, quae similia sunt. Ita *homo* et *pratum* referuntur ad *risum* et *viriditatem*, quae sunt inter se similia. Dum igitur viriditas risus dicitur per analogiam proportionis, *pratum ridere* dicunt per analogiam proportionalitatis. Similiter agrum aridum et animam aliquid vehementer appetentem dicunt *sitire*.

228. Haec triplex analogiae diversitas variis argumentis confirmari potest. Analogum enim est id, quod complura propter aliquam ipsorum habitudinem significat. Quae habitudo aut a causa proficiscitur, aut a similitudine, aut ab aliqua proportionum aequalitate. Analogum a causa sive analogum attributionis est id, quod complura propter ordinem ad unum significat, quod eorum causa est sive efficiens, sive finalis, sive materialis. Analogum a similitudine sive analogum proportionis est, quod complura propter similitudinem unius ad alterum significat. Analogum proportionalitatis est, quod complura propter quandam significatorum proportionalitatem significat.

Aliis etiam verbis ut idem dicamus: Analoga sunt ea, quae sub eodem nomine essentiam habent aliquo modo eandem, simpliciter tamen diversam. Sed triplici modo species quaedam identitatis esse potest. Identitas enim essentiae aut propria est, et diversitas in sola attribuendi ratione invenitur; aut impropria est, quae in similitudine est sita; atque haec iterum aut similitudo propria est et interna, aut in sola proportionalitate cernitur.

Vel etiam hoc modo: Analogia generatim aut est complurium ad unum tertium, aut est alterutrius ad alterum (sive complurium inter se), aut complurium ad diversa. Si est complurium ad unum, inde oritur, quod complura illa huic uni attribuuntur quasi et addicuntur, et ab hoc uno, quod „analogum principale“ dicitur, aliis denominatio quaedam attribuitur sive interna sive externa. Si est alterius ad alterum, nisi ex similitudine nasci non potest, et nomen proportionis retinet. Si est complurium ad diversa, quaedam in proportionibus aequalitas cernitur, sive attenditur similis habitudo, qua res duae ad alias res duas referuntur, et ea est analogia, quam proportionalitatis vocant.

Scholion 1. Verum hac in re multum pendet ab eo, quod quis in rebus attendere velit. Sunt, qui rem paulo aliter considerent. Qui primo distinguunt analogiam plurium ad unum tertium, et analogiam unius ad alterum. Prior inest in *animali, medicina,* quatenus referuntur ad sanitatem. Altera est in substantia et accidente, quatenus accidens ad substantiam respectum habet [1]. Vel etiam est in *animali sano* et in *cibo sano,* quatenus cibus sanus refertur ad animal sanum.

Haec deinde analogia unius ad alterum iterum duplex esse dicitur, proportionis (vel, ut alii dicunt, attributionis) et proportionalitatis; proportionis, si, quae inter se sunt analoga, habent proportionem certam et commensurabilem; proportionalitatis, si nihil habent nisi aequalitatem duarum inter se proportionum.

Scholion 2. Analogiae distributio quum pro diverso considerationis principio diversa esse possit, revera hac de re ingens apud philosophos occurrit opinionum varietas, quarum quae sit optima, vel aliis deterior, difficile dictu est. Nos eam distributionem praetulimus, ad quam reliquae omnes facilius reduci possunt.

Nonnulli eam, quam nos attributionis vocamus, analogiam proportionis nominant, et eam, quam nos proportionis diximus, ad proportionalitatis analogiam trahunt.

Alii analogiam proportionis et proportionalitatis confundentes, duplicem analogiam ita agnoscunt, ut attributionis dicant, quum compluribus nomen commune convenit eadem quidem vi et significatione acceptum, sed diversa ratione; proportionis, quum compluribus nomen convenit acceptum vi simili tantum.

Alii analogiam proportionis et attributionis sub uno nomine attributionis comprehendunt, et proportionalitatem vocant proportionem.

Alii analogiam attributionis et proportionis uno nomine analogiae proportionis comprehendentes, analogiam proportionis et proportionalitatis distinguunt. Qui analogiam generatim in iis rebus esse dicunt, quarum haec se habet ad illam, sicut alia ad aliam; hoc autem duobus modis accipi posse: aut inde, quod aliqua duo habent diversas habitudines ad unam, sicut „sanus" de vultu habitudinem signi sanitatis habet, de medicina habitudinem causae; aut inde, quod est eadem proportio duorum ad diversa, sicut tranquillitatis ad mare, et serenitatis ad aëra. Tranquillitas enim est quies maris, et serenitas est quies aëris [2]. Et alii alio modo.

Quodsi quis hanc dicendi diversitatem reprehendere velit, quod ingentem parere possit confusionem, is non reprehendat nos, qui eam in commoditatem legentium, quos hac de re monitos esse oportet, breviter indicavimus, sed eos vituperet, qui eam introduxerunt.

SECTIO TERTIA.

De partitionibus, quae terminis externis et mentalibus communes sunt.

229. Partitiones ex ratione obiecti petitae. Alias partitiones esse diximus, quae ex consideratione obiectorum proficiscantur; quae ex aequo fere terminos externos et internos attingunt. Sunt autem hae:

[1] S. Thom., Summ. c. gent. l. 2 c. 34. [2] S. Thom. in l. 5 met. lect. 6.

Terminus positivus et negativus. Prior est, qui rem obiectam aliquam in se significat, velut *homo, aliquid, scientia, visio, fertilitas, lux.* Alter est, qui non rem, sed rei absentiam significat, velut *non-homo, nihil, ignorantia, caecitas, sterilitas, tenebrae;* qui termini etiamsi non exprimunt rem, referuntur tamen ad res, quarum absentiam significant.

Scholion. Potest esse, ut terminus voce sive secundum modum significandi sit negativus, et tamen vi sive secundum rem significatam sit positivus, cuiusmodi sunt *infinitum, increatum, innocens, immortale, immediatum* (ἄμεσον), *impassibile* (ἀπαθές), *securum*[1]. Fieri etiam potest, ut terminus voce sit positivus, et vi negativus, velut *corruptibile, peccatum.*

Neque omittendum est, particulam negativam in terminis negativis interdum non modo negationem significare (v. g. *impar*), sed privationem *(immemor)*, vel etiam oppositionem *(impium).*

Praeterea terminus negativus etiam infinitus dicitur vel potius indefinitus. Generatim enim negationem fieri posse dicunt aut infinitanter aut neganter, prout afficit aut subiectum *(non-homo currit)* aut verbum „esse" latens in verbo *(homo non currit).* Termino negativo aufertur determinatio; unde hic terminus non est putandus aequivalere termino opposito (*non-amor* non est odium). „Non-homo" dicitur a negatione hominis, quae aequaliter dicitur de ente et non-ente; *chimaera* est non-homo; *equus* est non-homo[2].

Terminus categorematicus (enuntiabilis) et syncategorematicus (coënuntiabilis). Priorem supra (n. 222) diximus per se significare, i. e. ex se solum aliquid ita efferre, ut sine consortio alterius esse possit propositionis subiectum vel praedicatum; alterum autem eum esse, qui non significet, nisi alteri adiungatur ac propterea per se solus subiectum vel praedicatum esse non possit.

Adiectiva, si formaliter concipiuntur ut adiectiva, sunt termini syncategorematici; sed ut plurimum in iis subintelligitur aliquod nomen substantivum; si enim dico: *Homo est albus,* dicere volo: subiectum habens albedinem.

230. Terminus concretus et abstractus. Abstractus est, qui determinationem aliquam (formam vulgo dicunt) vel eius carentiam remoto subiecto exprimit, ut *albedo, sapientia, caecitas;* concretus est, qui ipsum subiectum ut determinatione aliqua vel eius carentia affectum significat, ut *albus, sapiens, caecus.*

Quod quo melius intelligatur, recordandum est, intellectum abstrahere posse naturam a conditionibus individuantibus et materialibus; deinde etiam, in eadem re concepta complura, quae reipsa secreta non sunt, secernere posse, ita ut attributum ab attributo secernat; tertio tandem, abstrahere posse formam

---

[1] Cfr. Trendelenburg, Logische Untersuchungen, edit. 3. t. II. p. 282.

[2] S. Thom. in l. 1 periherm. lect. 4.

a subiecto. Cuius triplicis abstractionis exemplum habes: *Petrus* et *homo in communi; rationale* et *risibile; homo in communi* et *humanitas*. Et haec tertia abstractionis species hoc loco attenditur. Rem, quae aliqua determinatione afficitur, determinationis subiectum dicimus, determinationem ipsam subiecti formam nominamus. Quae dicendi ratio metaphorica est. In rebus enim artefactis forma id est, quo aliqua materia, sive *lignum*, sive *lapis*, sive aliud quidpiam, ad certum quoddam artificium determinatur (n. 100).

Scholion 1. Ex dictis intelligitur, cur omnis denominatio rei concretae ab aliqua trahatur forma. Denominatio enim, quum subiectum denominatum aliqua ratione determinet, necessario ab aliqua determinatione tracta est.

Scholion 2. Concretum varium esse potest, prout determinatio, de qua agitur, vario modo a subiecto distinguitur. Ita *homo maculatus* est concretum physicum ratione macularum; *homo a me visus* vel *cognitus* est concretum logicum ratione meae cognitionis; *homo individuus* est concretum metaphysicum attenta humanitate. Hoc igitur modo concretum triplex distingui potest.

Scholion 3. Terminus concretus duplici ratione potest intelligi. Reduplicative (vel formaliter) sumitur, quum praedicatum, quod de subiecto concreto edicitur, in subiecto concreto expressum est, velut quum quis *philosophum philosophari* dicit. Specificative (vel denominative) intelligitur, quum id, quod in praedicato de subiecto edicitur, subiecto quidem competit, sed non ratione eius, quod in subiecto expressum est, velut quum quis *philosophum dormire* vel *cantare* dicit.

231. Terminus intentionis primae (terminus realis) et intentionis secundae (terminus logicus). Prior rem significat, ut subest operationi primae intellectus nostri, qui rem contemplatur secundum ea, quae illi competunt in seipsa. Posterior rem significat, ut subest operationi secundae intellectus nostri considerantis relationes, quas res, ut sunt in mente, habent ad res, ut sunt in se. Terminus realis rem notat secundum praedicata, quae ei independenter ab intellectu sunt propria; terminus logicus rem designat secundum essendi modum, quem habet a mente et in mente, ut sunt *genus, differentia, subiectum, praedicatum, consequens, antecedens*. Terminus realis dicitur primae intentionis, quia id significat, in quod intellectus directa et primaria intentione ferri potest; terminus autem logicus secundae intentionis, quia id significat, in quod intellectus ferri non potest, nisi addita altera operatione, qua super terminum realem, ut est in mente, reflectitur. Itaque „prima intellecta sunt res extra animam, in quae primo intellectus intelligendo fertur. Secunda autem intellecta dicuntur intentiones consequentes modum intelligendi; hoc enim secundo intellectus intelligit, in quantum reflectitur supra seipsum, intelligens se intelligere et modum, quo intelligit.“ [1]

[1] S. Thom., Quaest. disput. q. 7 de pot. a. 9; cfr. ibid. a. 6 et a. 7.

Terminus connexus et disparatus. Alteri connexus est terminus, si alterum infert vel excludit, ut *homo* respectu animalis, *tenebrae* respectu luminis, *pater* respectu filii.

232. Terminus complexus et incomplexus. Generatim logice incomplexa sunt, quae simplici actu apprehenduntur et una definitione exprimuntur; complexa autem, quae ex aliqua compositione mentis fiunt neque una unius entis definitione comprehenduntur. Quocirca terminus complexus est, cuius partes separatim significationem completam habent, et tamen significatio termini totalis ex significatione partium resultare debet; cuiusmodi est: *homo doctus;* non vero *do-mus* vel *fur-fur.* Deinde requiritur, ut partes non sint disparatae, sed una determinet alteram; unde non esset terminus complexus, si quis vel uno tractu pronuntiaret: *homo pileus calcei.* Incomplexus est terminus ille, quo unica essentia repraesentatur, quamvis ea fortasse in multas notas resolvi possit, qui igitur ex multis significationibus completis non coalescit; in quo genere est conceptus *hominis, philosophiae, reipublicae, viventis sensitivi mortalis.* Quae terminorum divisio eo fundatur, quod essentiae omnes indivisibiles sunt. Termini complexi pars illa, quae rem significat, „principalis“ dicitur; quae rei affectionem, „incidens“.

Dices fortassis, non satis apparere, qua ratione unica essentia, quae ex genere et differentia composita sit, ut *homo,* terminus simplex dici possit. Huic dubio satisfit, si observas, differentiam addi generi non ut diversum quid, sed ut implicite in genere contentum, „sicut determinatum continetur in indeterminato, ut *albus* in colorato; et non hoc modo advenit differentia generi, ut diversa essentia ab eo existens, sicut advenit album homini“ [1].

Scholion 1. Alia a recentioribus terminorum sive conceptuum in simplices et compositos distributio proponi solet; quae ex exhibitione notarum tracta est. Conceptum simplicem dicunt, qui compluribus notis non constituitur, unde neque in complures notas resolvi potest; ut est conceptus *entis,* vel *possibilitatis.* Compositum dicunt, qui complures notas exhibet, sive haec notarum pluralitas aperta est (velut in *philosopho homine)*, sive occulta (velut in *homine*). Qui ita dividunt, Lockium (n. 60) secuti esse videntur, distinguentem ideas in simplices et complexas, ita ut simplicem diceret, in qua ne mente quidem multa discernere liceret, cuiusmodi essent ideae *colorum, odorum, sonorum, gaudii, tristitiae;* complexam autem, in qua notas multas distinguere liceret, velut *aedificii, hominis, solis.*

Scholion 2. Neque desunt, qui utrumque distinguendi genus hoc modo componere velint. Terminus alius est complexus voce et non re, quum complures voces unam rem significant, ut Marcus, Tullius, Cicero. Alius re et non voce, quum una vox complures res significat, ut *philosophus,* qui est homo

[1] S. Thom. in l. 7 metaph. lect. 12.

habitu philosophiae praeditus. Alius re et voce, ut *homo probus*. Alius denique neque voce, neque re, sed ipso conceptu, quum una vox unum aliquid significat, quod in complures conceptus resolvi potest, ut *homo*, qui conceptus resolvi potest in conceptum rationalitatis, animalitatis, viventis, substantiae, entis. Itaque etiam terminus incomplexus triplex erit: voce et non re, ut *poëta;* incomplexus re et non voce, ut *animal rationale;* incomplexus voce et re, sed non conceptu, ut *homo* [1].

Scholion 3. Terminorum compositio vario modo oriri potest. Primo, quum unus conceptus alteri, ut hunc interne compleat determinetve, attribuitur, velut *homo bonus, male agere, voluntas patris, accusare furti* (vel tantum obiectum adiungitur, ut *instruere pueros, instructio puerorum*). Secundo, quum unus alteri additur, ut determinatio externa, sive quoad spatium, sive quoad tempus, sive quoad conditiones alias: causales, modales, finales, instrumentales [2]; quod variis vocabulorum casibus grammaticalibus atque etiam praepositionibus exterius significatur. Et praepositiones plurimae (sicut etiam casus varii) primitus conditiones ad spatium spectantes significasse videntur [3].

233. Terminus explicativus et restrictivus. Prior est ille terminus incidens, qui principali secundum totam eius extensionem proprius est; explicat enim aliquid, quod in conceptu principali implicitum est. Si autem incidens principali non competit, nisi secundum aliquam extensionis partem, restrictivus vel determinativus dicitur, quia significationem termini principalis ad partem tantum illius extensionis coarctat, quam ille ex se habet. Quum ergo de *Deo bono* dico, vel de *spiritu immortali*, terminum explicativum adhibeo; si de *homine docto*, terminus restrictivus est, quia conceptum hominis ad homines illos restringo, qui docti sunt.

Terminus absolutus et connotativus. Prior est, qui rem significat ex se stantem, vel saltem per modum ex se stantis. Connotativus est, qui simul connotat sive indicat aliud quid, cui id, quod significatur, inhaeret vel adiacet. Termini connotativi sunt: *album, sapiens, vivens, corporeum, ligneum, artifex, pictor;* termini absoluti: *homo, humanitas, albedo, caecitas, amabilitas*. Proprium est igitur termini connotativi, ut rem per modum adiacentis vel inhaerentis efferat. Et repraesentat duo: formam et subiectum, illam clare et in obliquo, hoc obscure et in recto; quamobrem aliud significat et de alio dicitur; formam significat et de subiecto dicitur.

Scholion 1. Multa nomina, quae a grammaticis pro substantivis habentur, sunt logicis connotativa sive adiectiva, velut *philosophus, pater, dominus*.

---

[1] A. Lepidi, O. P., Elementa philos. christ. Paris 1875. Vol. 1 p. 110.

[2] Cfr. Wundt, Log. I. p. 132.

[3] Cfr. Pott, Etymologische Forschungen, edit. 1. I. p. 19 sqq.; G. Curtius, Ueber die localistische Casustheorie. Meissen 1863. Hac de re celebris est illa inter Localistas et Causalistas controversia.

Scholion 2. In nominibus connotativis distingui potest significatum materiale et formale. Materiale est subiectum, in quo inest forma nomine indicata. Formale est idem subiectum, ut ea forma determinatum est. In his vocibus: *dux, grammaticus,* significatum materiale est aliquis homo; significatum formale est homo ut dux, ut grammaticus. In qua re praeter essentiam hominis vel subiecti indicatur forma accidentalis.

Scholion 3. Nomen absolutum, quod ab individualitate abstractum est, formam ipsam significat ut in concreto habitam. Ita terminus: *homo,* vel *Deus* resolvitur in hunc: „*habens humanitatem*", vel „*habens divinitatem*". Et hoc modo nomen absolutum significat subiectum secundum propriam formam sive essentiam.

Scholion 4. Ea est distinctio inter subiectiva et connotativa, ut subiectiva sint subiecta, connotativa penes connotata. Ita *poenitentia* subiective bona esse dicitur, connotative autem mala; connotat enim peccatum commissum, quod est malum, etsi bonum est, peccati habere poenitentiam.

Terminus collectivus et distributivus. Collectivus est, qui complura simul accepta exhibet, ut *agmen* vel *exercitus.* Distributivus autem complura ut disiuncta repraesentat, ita ut singulis seorsum acceptis attribui possit, ut *miles.* Fieri autem potest, ut idem terminus sub diverso respectu sit collectivus et distributivus. Ita nomen *populi,* quo collectio hominum ordinata significatur, adhibetur distributive, quum diversas gentes populos vocamus.

234. Terminus singularis, particularis, universalis. Singularis obiectum ita determinatum exprimit, ut omnes eius determinationes simul acceptae multis convenire non possint; cuius generis obiectum individuum dici solet, quatenus dividi non potest in plura talia, quale ipsum est.

Quidquid in rerum natura sensibus percipimus, individuum vel singulare est. Individuum, i. e. rationem singularitatis definiunt: id quod de uno tantum dicitur; vel: id, quod non est aptum praedicari de pluribus. „Singulare ex hoc ipso, quod est singulare, est divisum ab omnibus aliis; unde omne nomen impositum ad significandum aliquod singulare est incommunicabile et re et ratione; non enim potest in apprehensionem cadere pluralitas huius individui." [1]

Scholion 1. Hoc loco individuum determinatum attendimus, quod unam quandam rem distincte significat. Potest individuum etiam vagum accipi, quum quis confuse dumtaxat aliquid singulare significaturus de aliquo individuo dicit.

---

[1] S. Thom., Summ. theol. I. q. 13 a. 9.

Scholion 2. Generatim terminus singularis esse potest tripliciter: aut ex significatione, ut *Petrus, Plato;* aut ex demonstratione, ut *iste homo, haec arbor;* aut ex suppositione, quum pro conditionum circumstantia unum tantum individuum admittitur, velut quum de *matre generis humani* agitur, vel de *proditore Christi.*

Scholion 3. Individuum generatim acceptum aliud est atque suppositum; nam individuum etiam in accidentibus reperitur, suppositum autem in solis substantiis. Saepe tamen individui nomen ad substantiam individuam restringitur.

Et ratio substantiae primo reperitur in individuis substantialibus, a quibus intellectus abstrahens sibi notionem substantiae universalis comparat [1], unde substantia individua ab Aristotele dicta est substantia prima. Si substantiae primae, inquit, non essent, nec quidquam aliud esse posset, quoniam cetera omnia aut de iis dicuntur, aut in iis insunt.

Scholion 4. Si de individuis substantiae materialis agitur et speciatim de individuis humanis, numerari solent notae quaedam sensibiles, quibus individua cognoscere cognitione propria atque inter se discernere solemus, quas idcirco notas individuantes vocant et hoc versiculo complectuntur:

Forma, figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen.
Haec ea sunt septem, quae non habet unus et alter.

Et huiusmodi notas attendens dixit Porphyrius (n. 34), individuum id esse, quod ex proprietatibus consistat, quarum collectio in nullo alio reperiatur.

In isto autem versiculo voce figurae dispositionem partium et membrorum significant, voce formae qualitatem quamlibet figurae inhaerentem. — Potest quidem nomen per se ad rem singularem pertinens, velut *Petri,* de multis proferri secundum communionem vocis, non tamen secundum ullam communem rationem significatam; nam isto nomine homines significantur, qui omnino alias individualitates habent; unde vox aequivoca est.

235. Terminus universalis id exprimit, quod in individuis a mente abstrahente inventum est identicum, et apprehenditur ut unum. Quare exhibet unum aliquid, quod totum in compluribus individuis multiplicatum inesse et de compluribus singulatim praedicari potest.

Eo igitur notio universalis et collectiva conveniunt, quod ambae quandam unitatem habent. Eo differunt, quod in notione universali unitas est principium multitudinis; namque secundum unam formam internam, quae tota in unoquoque subiecto distributive accepto inest, constituuntur complura. Contra in notione collectiva multitudo est principium unitatis; namque complura simul accepta unum constituunt sive unam formam externam, quae in unoquoque subiecto non inest nisi secundum aliquam sui partem.

---

[1] Πρότερα δ'ἐστὶ καὶ γνωριμώτερα διχῶς· οὐ γὰρ ταὐτὸν πρότερον τῇ φύσει καὶ πρὸς ἡμᾶς πρότερον, οὐδὲ γνωριμώτερον καὶ ἡμῖν γνωριμώτερον. Λέγω δὲ πρὸς ἡμᾶς μὲν πρότερα καὶ γνωριμώτερα τὰ ἐγγύτερον τῆς αἰσθήσεως, ἁπλῶς δὲ πρότερα καὶ γνωριμώτερα τὰ πορρώτερον. Ἔστι δὲ πορρωτάτω μὲν τὰ καθόλου μάλιστα, ἐγγυτάτω δὲ τὰ καθ' ἕκαστα. Arist. l. 1 analyt. post. c. 2, 71 b, 33.

Terminus particularis individuum indeterminate significat, vel est terminus universalis ad unam partem suae extensionis eamque indeterminatam coarctatus, velut quum de *aliquo homine* agitur [1].

Scholion 1. Solent quoque terminos distinguere in singulares et communes. Terminus communis est, qui de compluribus singillatim et secundum eandem significationem dicitur. Qui immediate comprehensionem termini universalis significat, mediate autem ad ea etiam individua refertur, quae extensionem termini universalis constituunt. Si ad unum refertur, singularis fit, si ad omnia singillatim, universalis, si ad partem tantum, particularis. Quodsi nulla ratione quoad extensionem determinatur, indefinitus dicitur.

Scholion 2. Universalitas vi vocis latissime patente triplex distingui potest: 1° Universalitas perfecta et proprie dicta sive univocatio, quam solam intelligere solent, quum de universalibus agitur; 2° universalitas minus perfecta, quae analogia constituitur; 3° universalitas apparens tantum in vocibus, quae est aequivocatio.

Scholion 3. Ex dictis satis apparet, discrimen, quod est inter notionem universalem et collectivam, firmiter retinendum esse; quod discrimen a nonnullis (eorum, qui Nominalismo adhaerent) ignoratum est. Qua de re Leibnizius vehementer in Nizolium (n. 52) est invectus [2], qui dixerat: *Omnis homo est animal,* idem plane esse atque: *Omnes homines sunt animalia,* hominibus collective acceptis. Contra quem Leibnizius recte exposuit, si iam notio universalis non esset „totum distributivum“, sed collectivum, de omni scientia demonstrativa actum esse neque quidquam praeter solam inductionem esse reliquum. „Sed ea ratione, inquit, prorsus evertuntur scientiae, et Sceptici vicere.“

Scholion 4. Notio universalis non solum a notione collectiva, sed etiam a notione, quam vocant typicam, est distinguenda, quae est notio rei singularis ab actuali existentia ipsius rei seiuncta, sive rei, ut possibilis est. Res enim quaelibet, ut est possibilis, putari potest esse typus, secundum quem res innumerabiles eiusdem naturae existere possint. Sed eiusmodi typus, quum possibilitate constituatur, per se existentiae actuali opponitur. At notio universalis non per se existentiae actuali opponitur, sed singularitati. In quo magna differentia perspicitur. Existentia enim est id, quo essentia actu est, singularitas autem id, quo essentia una est et incommunicabilis. Universale, ut recte observat S. Bonaventura, quantum est de se, indifferenter se habet ad

---

[1] Recentioris aetatis philosophi non *aliquis homo* dicunt, sed *aliqui homines.* Hac de re F. A. Lange: „Es wäre von grossem Interesse, genau zu wissen, wann und wie das inductive und durchaus dem modernen Geiste entsprechende ‚*Einige*‘ und ‚*Mindestens einige*‘ statt des scholastischen ‚Irgend ein‘ in neueren Darstellungen der Logik eingedrungen ist. . . . Bei Wolff finden wir als Ausdruck des Particularen ‚*Etliche*‘. Des nämlichen Ausdrucks bedient sich Lambert; Kant ersetzte ihn durch das gleichbedeutende ‚*Einige*‘. Lambert erkannte auch schon klar, dass der Ausdruck ‚*Etliche*‘ nicht vollständig genüge, und zeigt (Organon I. § 124), dass man ‚Etliche‘ im Sinne von ‚Wenigstens etliche‘ nehmen müsse.“ Logische Studien. Iserlohn 1876. p. 70.

[2] Leibnizii opera ed. Erdmann p. 10.

actum sive existentiam et ad potentiam sive possibilitatem[1]. Errant igitur, qui singularitatem possibilitati, et universalitatem existentiae actuali relative opponi existimant. Nam actuali existentiae possibilitas, et singularitati opponitur universalitas.

236. Speciatim de partitionibus termini universalis agitur. Terminus universalis aut directus aut reflexus est. Directus est, quum aliquid exhibet, quod in multis inesse potest cum conditionibus variis individuantibus in individuis variis concretum. Quod universale directum etiam metaphysicum dicitur. Reflexus est, quum simul aptitudo cognoscitur, qua fit, ut ad multa referri et de multis praedicari possit. Universale igitur reflexum est, quum intellectus naturam ut universalem concipit; directum, quum concipit naturam, quae in multis inferioribus vel individuis reperiri potest[2].

Logicis primo attendendi sunt termini universales reflexi, qui naturam ut universalem et cum hac simul respectum eiusdem ad inferiora, sive praedicati ad subiecta exprimunt. Hic autem respectus esse potest quintuplex: species, genus, differentia, proprium, accidens (logicum). Quae quia quinque modos indicant, quibus aliquid de subiecto praedicari potest, praedicabilia quinque (κατηγορούμενα) appellari solent.

Quibus ex dictis manifestum est, universale reflexum esse terminum intentionis secundae (n. 231). Nam est natura considerata, ut est in mente universalitate imbuta et ad inferiora referenda. Quae consideratio fieri non potest, nisi mens in suum actum reflectatur. Et multo etiam magis ipsae hae rationes: generis, speciei, ceterorum praedicabilium, praecisae sunt termini intentionis secundae, quia iam non ipsam naturam cum respectu universalitatis significant, sed solum hunc respectum logicum omissa natura reali. Quare hae rationes generis, speciei, reliquorum praedicabilium maxime et propriissime vocantur intentiones secundae.

Termini autem universales directi potius ad considerationem metaphysicam spectant, neque tamen in logica negligi debent. Hi in certas quasdam classes distribui solent secundum illa suprema genera, quae sub ente immediate continentur; quae classes categoriae sive praedicamenta vocantur, et ab Aristotelicis numerantur decem: Substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, locus, tempus, situs, habitus.

---

[1] In l. 1 sent. dist. 5 a. 11 q. 2.

[2] Advertendum est, voces „directi" et „reflexi" aliter usurpari, quando dicitur terminus directus et reflexus (n. 208), et quando hic dicitur terminus universalis directus vel universale directum.

237. Terminus praedicamentalis et transcendentalis. Terminus ille dicitur praedicamentalis, cuius obiectum est extra obiectum alio termino exhibitum, unde certi alicuius praedicamenti sive classis proprius est, exclusis praedicamentis reliquis. Contra terminus transcendens sive transcendentalis notionem significat, quae omnibus omnino rebus competit, quae sunt vel esse possunt, cuius generis sunt sex: res, ens, verum, bonum, aliquid, unum (Reubau). Res essentiam rei significat; ens aptitudinem ad existendum indicat; unum dicit indivisionem rei in seipsa atque etiam eiusdem ab omni alia re divisionem; aliquid effert, rem non esse nihil; vel, ut aliis placet, rem esse ab aliis rebus distinctum; bonum dicit rei perfectionem, sive rem esse id, quod ex fine suo interno esse debeat, et hinc esse appetibilem; verum cognoscibilitatem rei significat.

Quoniam autem terminus transcendentalis in inferioribus, quibus inest et de quibus effertur, omnia plane afficit, neque ea solum significat, quibus res inter se conveniunt, verum etiam ea, quibus inter se discriminantur, manifestum est, hunc terminum non ratione prorsus eadem omnibus rebus, in quibus inest, inesse, sed ratione partim eadem, partim diversa, id quod terminis analogis convenire diximus. Itaque termini transcendentes non sunt univoci, sed tantum analogi; terminis ergo, qui proprie universales sunt, annumerari non possunt.

SECTIO QUARTA.

De terminis universalibus.

§ 1.

De terminis universalibus in communi.

238. **Terminorum universalium origo.** Inter varios terminorum ordines, quorum supra facta est mentio, specialem considerationem ille sibi postulat, qui terminos universales complectitur. Scientia enim est de rebus universalibus, neque unquam de singularibus agit, nisi quatenus cum universalibus connectuntur.

Quidquid in rerum natura existit, individuum est. Contemplanti autem res individuas multas et varias illico apparet, multiplici eas varietate et differentia inter se differre atque etiam inter se multiplici ratione convenire et congruere. Ita videns *homines singulos,* hos inter se conformatione vultus, magnitudine, loquendi modo, stirpe, patria, nomine differre cognoscit, in aliis autem

rebus convenire, sive accidentaliter, ut Aethiopes inter se conveniunt in colore cutis, sive essentialiter, ut homines omnes conveniunt in rationalitate. Et iam distinctio inter individualia et universalia orta est, quum quilibet, si vel tenuissime cogitare velit, dicere possit: *Ille Paulus est, hic Petrus, Andreas iste;* et tamen Petrus est habens nasum simum, atque etiam Paulo accidit, habere eandem nasi formam, neque minus Andreae; et praeterea Petrus est habens naturam humanam, et Paulus est habens eandem naturam humanam, et Andreas est habens eandem naturam humanam. Quod qui cogitat, unum concipit, quod multa respicit, quod multis inest vel saltem inesse potest, et de iis, in quibus inest, praedicari potest [1].

In multis autem rebus mens percipit hanc naturam sive indolem, in qua multa individua conveniunt, ut naturam proprie dictam sive ut essentiam et rationem rebus internam, qua res ex sese in certis speciebus inter se essentialiter diversis constituuntur.

Et sicut mens homines individuos inter se comparando naturam universalem *hominis* intelligit, ita homines cum animalibus brutis conferendo videt, naturam humanam cum natura belluina convenire sensitivitate, discrepare rationalitate. Ita *canis* est „animalitatem habens", sicut etiam homo est „habens animalitatem"; sed homo est insuper „habens rationalitatem", dum canis non est „habens rationalitatem". Ex quo fit, ut in naturis sive speciebus rerum distinguat ea, quae multis speciebus diversis communia sunt, et ea, quibus hae species inter se differunt. Unde notiones generis et differentiae et speciei nascuntur, quas notiones facile quis ad universaliores species, superioraque genera extendere poterit, si homines non modo cum animalibus brutis, sed etiam cum plantis, cum corporibus conferre velit.

Quibus dictis apparet, naturas rerum universales non esse extra singularia, sed esse ipsas naturas singularium, quae universalitatem nanciscuntur eo, quod a nobis omissis notis singularibus mente attinguntur. Ex partibus igitur rerum existentium naturae non sunt universales formaliter, sed aptitudine tantum; fiunt autem formaliter universales ab intellectu.

Sed hoc loco iterum monendum est de cavendo errore illorum, qui imaginem phantasiae imperfectam confusam et hinc communem cum conceptu universali confundunt [2].

239. **Distinguere solent universale duplex: intentionis primae et secundae.** Intentione mentis prima quidditas rei vel una notio

---

[1] Καθόλου δὲ λέγω ὃ ἂν κατὰ παντός τε ὑπάρχῃ καθ'αὑτὸ καὶ ᾗ αὐτό. Φανερὸν ἄρα ὅτι ὅσα καθόλου, ἐξ ἀνάγκης ὑπάρχει τοῖς πράγμασιν. Arist. l. 1 analyt. post. c. 4, 73 b, 26.

[2] In hac confusione inter alios haeret Ueberweg, System der Logik § 54.

consideratur, quae in singulis individuis inest, praecisa ab individuis, velut quum in *Socrate* et *Platone* et aliis unam eandemque rationem humanitatis vel animalitatis vel sapientiae intelligo. Atque ita illud universale conspicitur, quod iam supra directum vel metaphysicum vocavimus. Intentione mentis secunda quidditas rei vel una illa notio concipitur ut una et apta inesse multis inferioribus; et in hac sua relatione ad inferiora consideratur, ut quum dico: *Paulus est specie homo* (homo est species), *Paulus est genere animal* (animal est genus). Et sic universale illud habemus, quod reflexum vel logicum vocavimus.

Itaque universale metaphysicum sive directum est una natura vel notio sine individuis considerata, in quibus inest et a quibus abstracta est. Universale autem logicum est unum complura respiciens et ad complura comparatum. „Relationem universalitatis intellectus adinvenit, considerando ordinem eius, quod est in intellectu ad res, quae sunt extra intellectum.“ [1]

His dictis intelligitur, universale reflexum neque esse solum fictum quendam respectum ad multa sive relationem rationis neque esse rem intellectam absolute, sed esse aliquid mente conceptum et secunda intentione relatum ad plura. Universale logicum sive reflexum in universali metaphysico fundatur, et universale metaphysicum est quasi medium inter individua et universale logicum. Et ordo actuum nostrorum is est, ut primo percipiantur singularia; deinde natura communis abstracta a notis individuantibus menti obiiciatur ut universale metaphysicum; tertio natura communis comparetur ad individua percipiaturque eo ipso ut superior et participata ab illis; quarto tandem ponatur ut praedicatum in aliqua sententia.

§ 2.

De terminis universalibus ex intentione secunda.

240. Praedicabilia. Universalia logica quinque modis, ut diximus (n. 236), ad sua inferiora sive partes vel subiecta referuntur: aut ut species, aut ut genus, aut ut differentia, aut ut proprium, aut ut accidens. Quae quinque praedicabilia hoc modo definiuntur:

Species est unum quidpiam, quatenus de compluribus numero distinctis univoce praedicatur essentialiter et complete. Itaque species totam et completam significat essentiam sive quidditatem rei, de qua agitur.

Genus est unum quidpiam, quatenus de compluribus specie differentibus univoce praedicatur tamquam sola pars determinabilis eorum essentiae. Itaque genus partem tantum essentiae sive quidditatis rei, de qua agitur, significat eamque determinabilem et quae

---

[1] S. Thom., Quaest. disput. q. 7 de pot. a. 11.

per se latius patet quam ipsa species. Prius concipitur species, et deinde genus.

Differentia est unum quidpiam, quatenus de compluribus numero distinctis univoce praedicatur tamquam altera pars eorum essentiae, quae genericam partem eiusdem essentiae determinat. Itaque differentia eandem extensionem habet atque species, sed minorem comprehensionem. Genus maiorem extensionem habet quam species et minorem comprehensionem. Differentia genus contrahit speciesque sub genere constituit constitutasque inter se distinguit. Quocirca species duas quasi partes in se continet: determinabilem sive materialem et determinantem sive formalem. Differentia etsi actu in genere non continetur, continetur tamen in ipso secundum potentiam; simili fere modo, sicut forma continetur secundum potentiam in materia.

Proprium est unum quidpiam, quatenus de compluribus univoce praedicatur tamquam necessario connexum cum eorum essentia. Et hoc loco proprium id dicitur, quod convenit „omni, soli, semper", i. e. id, quod soli speciei omnibusque eius individuis convenit ita, ut cum essentia necessario coniunctum sit, quomodo *homini* competit *„ridere posse"*. Quod quidem plus minusve stricte accipi potest, prout ex essentia necessario sequitur aut ad integritatem naturalem alicuius entis requiritur.

Scholion. Si vis vocis paulo extendatur, illud etiam proprium vocant, quod „convenit omni et semper, sed non soli", ut *homini* esse *bipedi.* Et illud etiam, quod convenit omni et soli, sed non semper, ut *hominis* propria est obligatio *parentibus obediendi.* Atque illud tandem, quod soli convenit, sed non omni, ut *homini* magistrum esse.

Accidens est unum quidpiam, quatenus de compluribus univoce praedicatur tamquam contingenter connexum cum eorum essentia. Itaque accidens significat omne id, quod ad essentiam sive quidditatem advenire videmus ita, ut inesse possit et non inesse sine subiecti corruptione[1]. Non igitur ad substantiam refertur (id quod de accidente metaphysico dicetur post), sed ad rei essentiam. Accidens, de quo hoc loco agitur, accidens logicum vocari solet.

Scholion. Accidens generatim tribus modis dici potest. Accidens physicum est, quod substantiae accidit, et veram entitatem habet. Accidens metaphysicum sive praedicamentale (categoricum) est, quod substantiae opponitur secundum nostrum concipiendi modum. Accidens logicum sive praedicabile est, quod essentiae rei accidit, ut ea salva adesse et abesse possit.

---

[1] S. Thom., Opusc. 44. De tot. log. summ. tract. c. 4 c. 8.

Aliis etiam verbis quinque praedicabilia in schola definiri solent:

Genus est unum aptum inesse compluribus specie differentibus et praedicari de illis in quid incomplete.

Species est unum aptum inesse compluribus numero differentibus et praedicari de illis in quid complete.

Differentia est unum aptum inesse compluribus et praedicari de illis in quale quid.

Proprium est unum aptum inesse compluribus et praedicari de illis in quale necessario.

Accidens est unum aptum inesse compluribus et praedicari de illis in quale contingenter.

Si quis autem rationes praedicabilium in abstracto conceptorum definire velit, is dicet:

Genus vel potius rationem generis esse universalitatem essentiae potentialis compluribus specie differentibus communis; speciem universalitatem essentiae completae; differentiam universalitatem essentiae species distinguentis; proprium universalitatem notionis accidentalis, necessario tamen essentiam consequentis; accidens universalitatem notionis accidentalis contingenter advenientis.

241. Et recte haec in quinque praedicabilia facta est divisio. Namque notio omnis universalis aut aliquid significat, quod ad rei, de qua agitur, essentiam pertinet, aut aliquid, quod ad essentiam accedit. Id autem, quod ad ipsam rei essentiam pertinet, aut totam essentiam constituit, aut partem tantum. Si totam, est species sive ratio communis, quae multis competere solet tamquam constituens totam essentiam. Sin partem tantum, aut partem determinabilem exprimit, aut partem determinantem. Si partem determinabilem, est genus sive ratio communis, quae competere solet multis tamquam determinabilis pars essentiae. Sin partem determinantem, est differentia sive ratio communis, quae multis competere solet tamquam determinans pars essentiae.

Quodsi notio universalis aliquid significat, quod ad ipsam rei essentiam accedit, id aut ita cum essentia connexum est, ut abesse non possit; aut ita, ut possit abesse. Si prius, est proprium sive ratio communis, quae multis competere solet tamquam aliquid consequens eorum essentiam. Si autem non necessario cum essentia connectitur, est accidens sive ratio communis, quae multis competere solet tamquam contingenter eorum essentiae adveniens; contingenter inquam, i. e. ita, ut salva ipsa rei essentia abesse possit.

Et brevius etiam haec praedicabilium divisio probari potest hocce modo: Quidquid de aliqua re praedicatur, ad quaestiones sequitur quinque, quas de

iis, quae in re insunt, instituere possumus. Quaeri autem potest, quid sit res complete, et respondetur specie; quid sit res incomplete, et respondetur genere; qualis sit res essentialiter (quale quid), et respondetur differentia; qualis sit res necessario, et respondetur proprio; qualis sit res contingenter, et respondetur accidente.

Scholion 1. Praedicatio formalis pro ratione quinque praedicabilium distinguitur:

In	essentialem:	essentialem quidditativam:	in quid incomplete:	*Petrus est animal;*
			in quid complete:	*Petrus est homo;*
		essent. qualitativam:	in quale quid:	*Petrus est rationalis;*
	accidentalem:	propriam:	in quale necessario:	*Petrus est risibilis;*
		contingentem:	in quale contingenter:	*Petrus est senex.*

Scholion 2. Ex dictis sequitur, quinque genera notarum distingui posse: genericas, specificas, differentiales, proprias sive necessarias, contingentes sive accidentales. Quae haud raro ad classes tres revocantur: essentiales, necessarias, accidentales; vel, ut ex recentioribus aliqui dicunt, notas essentiales constitutivas, notas essentiales consecutivas, notas accidentales sive modos. Nota essentialis illa est, sine qua res nec esse nec concipi potest, quapropter etiam constitutiva vel primaria appellatur. Necessaria illa est, sine qua res esse quidem non potest, cuius tamen conceptus non requiritur, ut res ipsa concipiatur; quae quum ex essentia fluat, etiam attributum dicitur. Accidentalis illa est, quae a re, illaesa rei natura, abesse potest.

242. Species, genus, differentia. Genus pars speciei esse dicitur. Sicut enim in toto physico vel artificiali, ita etiam in aliqua specie duae partes distingui possunt, quarum una ex se ad multas species indifferens est, altera partem illam determinabilem ad certam speciem determinat. Neque tamen hae duae speciei partes inter se realiter differunt. Genus enim entitatem totam rei significat, ut ea est principium proprietatum et operationum communiorum; et differentia eandem totam entitatem rei significat, ut est principium proprietatum et operationum specialium. Ita *animal,* in quo genere *homo* est, totum hominem exprimit, ut est principium et proprietatum operationumque sensitivarum, quippe quae etiam in animalibus brutis reperiantur. *Rationale* autem, quae differentia est *hominis* specifica, eundem totum hominem significat, ut est principium proprietatum operationumque rationalium. Quamobrem Aquinas dixit, hominem esse ex animali et rationali, non tamquam ex duabus rebus tertiam rem, sed tamquam ex duobus conceptibus tertium conceptum.

Genus igitur respectu speciei simul est pars atque etiam totum. Quatenus totam rem significat, totum dicitur; quatenus rem totam partialiter tantum exprimit, dicitur pars. Genus est totum ut determinabile; differentia est totum ut determinans; species est totum ut determinatum. Recte igitur a S. Thoma dictum est, essentiam speciei et essentiam generis differre secundum

signatum (determinatum) et non-signatum (non-determinatum sive determinabile). „Haec, inquit, determinatio, quae est in specie respectu generis, non est per aliquid in essentia speciei existens, quod nullo modo in essentia generis sit: immo quidquid est in specie, est etiam in genere ut non determinatum. Si enim animal non esset totum, quod est homo, sed pars eius, non praedicaretur de eo, quum nulla pars integralis praedicetur de suo toto.“ [1] Etsi igitur genus de specie praedicatur incomplete tantum secundum perfectionem, quam explicat exprimitque, tamen praedicatur simpliciter et complete secundum id, quod significat. Et hanc rem indicare volunt philosophi, quum dicunt, in specie tamquam in toto metaphysico contineri genus tamquam partem metaphysicam.

Scholion 1. His dictis apertum est, quam ob rationem genus nonnunquam vocetur materia logica et differentia forma logica, forma autem vocetur differentia physica.

Scholion 2. Si quis quaerat, genus qua ratione species suas differentiasve contineat, respondendum est, has non actu in genere contineri, sed potentia.

Scholion 3. Differentia est nobilior genere sicut determinans indeterminato, et proprium communi, non autem sicut alia et alia natura. Ita species animalium irrationalium inter se differunt secundum diversos gradus determinatos naturae sensitivae [2]. Et fieri potest, ut differentia a nobis exprimatur per negationem, velut quum bestiam definio *animal irrationale;* quod semper fit, quum genus dividimus differentiis oppositis, quarum altera est positiva, altera negativa. Verum negatio nunquam per se potest esse differentia essentialis ullius entis. Differentia enim ens in certa quadam ratione entis constituit, et genus, quod ex se vagum est et indifferens, ad certam speciem determinat; ex quo manifestum est, non-ens esse non posse differentiam [3]. Quum omnis negatio fundetur in aliqua affirmatione et propter aliquam affirmationem rei competat, fit, ut eas essentias, quas in se satis perspectas non habemus, explicemus per negationem. Id igitur positivum, unde negatio oritur, proprie est differentia.

Scholion 4. Si nominum proprietatem accurate retinere velimus, ibi tantum de genere, specie, differentia agi potest, ubi genus ordinem dicit ad speciem, sive, quod idem est, ubi genus potentia differentiam specificam continet, vel ubi speciem sive essentiam per se unam significat. Ita species est, quum *hominem animal rationale* definis; non autem species est, quum *Aethiopem hominem nigrum* definis, vel *philosophum hominem sapientiae studiosum.* Sed vi vocum

[1] Opusc. de ente et essentia c. 3.

[2] S. Thom., Summ. theol. I. q. 50 a. 6. [3] L. c. I. q3. a. 5.

latiore etiam in huiusmodi definitionibus, in quibus definitur res, quae est „per accidens una“, generum et differentiarum mentio fieri solet.

243. **Generum specierumque respectus** ut melius perspiciatur, observandum est, tum in genere, tum in differentia, tum in specie rationem supremam, intermediam, proximam distingui posse.

Genus supremum ita est genus, ut non sit species, sive supra quod nullum est aliud genus; cuiusmodi est *substantia,* quae supra se altius genus non habet, sed solum notionem entis et reliquorum transcendentium, quae notiones, ut diximus, analogae sunt.

Genus subalternum sive intermedium illud est, quod ipsum est altioris generis species, cuiusmodi est *vivens,* quod supra se habet genus *substantiae,* infra se genera *animalis* et *plantae.*

Genus infimum illud genus subalternum est, quod infra se non habet aliud genus, sed tantum species, cuiusmodi est *animal* respectu *hominis,* non tamen respectu *brutorum animantium.*

Distinguunt quoque genus remotum et proximum. Remotum est, inter quod et speciem aliud genus intercedit, eo modo, quo inter genus *viventium* et speciem *hominum* intercedit genus animalium. Proximum illud est, inter quod et speciem nullum aliud genus interiacet.

Similiter species suprema ea est, quae supremo generi immediate succedit, cuiusmodi est notio *corporis* et *spiritus.*

Species subalterna illa est, quae ita est species respectu superioris, ut sit genus inferiorum. Itaque species subalterna et genus subalternum non differt gradu, sed respectu tantum; idem enim gradus, qui ad inferiora refertur ut genus, ad superius se habet ut species.

Species infima sive ultima et specialissima ea est, quae infra se nullam aliam speciem habet, sive quae ita species est, ut non sit genus, sive quae dividi non potest in alias species, sive quae praedicatur in quid de multis solo numero diversis. Quae sola apud Peripateticos in numero praedicabilium habetur, et speciali ratione „species praedicabilis“ dicitur.

Et differentia suprema illa est, quae supremo generi copulata supremam speciem exhibet.

Differentia subalterna ea est, quae species subalternas constituit sive intermedias.

Differentia ultima sive infima, quae simpliciter specifica dici solet, ea est, quae speciem ultimam constituit, quam diximus simpliciter vocari „speciem“.

Scholion 1. Illa, quae in nullo genere conveniunt, sed sub conceptu entis tantum continentur, vocantur primo diversa sive toto genere diversa, velut *piscis* et *voluntas*, vel *rotunditas* et *angelus*. Genere differre dicuntur, quae eodem genere proximo non continentur, velut *animalia*, *plantae*, *mineralia* vel *Petrus* et *gladius*. Specie differunt, quae sub eodem genere proximo constituta, discrepant tamen in aliquo, quod essentiale est, ut *Tobias* et *canis*. Differunt solo numero, quae individua sunt eiusdem speciei, ut *Petrus* et *Paulus*. Differunt entitative, quae saltem sunt partes inter se diversae unius individui compositi, ut est *pars dextra* et *pars sinistra unius lineae*.

Scholion 2. Contrahere genus vel speciem est determinare et veluti applicare genus ad aliquam speciem vel speciem ad aliquod individuum. Ita *hominem* dicunt contrahere genus animalitatis, et *Petrum* contrahere speciem humanitatis.

Scholion 3. Transitus a termino communiore ad alium minus communem et tandem ad individuum descensus terminorum appellatur. Ascensus autem ille dicitur transitus, quo ab infima ratione individui per varios gradus metaphysicos sive formalitates ad supremam usque rationem entis ascendimus.

244. **Arbor Porphyriana** appellatur schema quoddam, quod Porphyrius (n. 34) de generum specierumque rationibus disserens, in sua Isagoge exempli gratia proposuit res attendens, quae in genere substantiae sunt.

	Substantia	
corporea		(incorporea);
	Corpus	
animatum		(inanimatum);
	Vivens	
sensitivum		(insensitivum);
	Animal	
rationale		(irrationale);
	Homo	
individuus A		individuus B.

In quo schemate „substantia“ genus supremum est, quod extensione est amplissimum, comprehensione maxime angustum. Addita nota *corporea* ad genus *corporis* contrahitur, atque ita additis identidem differentiis specificis ad *hominem* tandem pervenitur. Similes series in categoriis reliquis constitui possunt. Ita Peripatetici quantitatem latissime acceptam diviserunt in continuam et discretam; continuam in permanentem et successivam; permanentem in corpus, superficiem, lineam; successivam in motum et tempus; discretam in numerum parem et imparem. Qualitatem diviserunt in habitum et dispositionem, potentiam et imbecillitatem, passionem et patibilem qualitatem, formam et figuram. Relationis categoriam diviserunt in mutuam et non mutuam, mutuam in relationem aequiparantiae, ut est *similitudo*, *aequalitas*, et disquiparantiae, ut est *paternitas*, cui respondet filiatio. Atque ita deinceps.

§ 3.

De terminis universalibus ex intentione prima.

245. **Categoria quid sit.** Sicut universalia, quae secundis intentionibus subsunt, in praedicabilia dividuntur, ita ea, quae subsunt primis intentionibus, in certis categoriis collocantur. Et ab Aristotele quidem ens distributum est in categorias decem, quae a Boëthio vocata sunt praedicamenta. Itaque categoriae sive praedicamenta nihil aliud sunt nisi quaedam schemata sive classes a philosophis institutae ad distinctiorem rerum cognitionem. Definitur categoria: series naturalis generum, specierum, individuorum, quae in aliquo supremo genere continentur. Non enim confuse et promiscue, sed naturaliter res in categoria poni debent, ita ut superiora loco superiore ponantur, inferiora inferiore. Etsi proxime termini in categoriis haud raro ponuntur, proprie tamen categoriae sunt series rerum, non terminorum. Eo igitur praedicamenta a praedicabilibus differunt, quod praedicabilia dicuntur secundum ordinem, quem mens nostra in rebus ponit, praedicamenta autem res sunt secundum illum essendi modum, quo sunt obiective menti contemplantis[1].

Categoriae per se quidem ad metaphysicam spectant, sed tamen etiam a logico considerandae sunt, quum sint obiectiva fundamenta, in quibus conceptus universales innituntur.

246. **Categoriarum numerus.** Proxime duo sunt supremi rerum ordines: substantia et accidens. Ens enim aut ex natura sua est activitatis proprium principium ideoque in se subsistit, aut naturaliter indiget aliquo subiecto, cui adiacet sive inhaeret. Id quod, ut sit, non indiget aliquo cui inhaereat subiecto, substantia vocatur, i. e. ens per se stans. Id vero, quod naturaliter indiget subiecto inhaesionis, est accidens[2].

---

[1] Ab Aristotele vocantur τὰ γένη vel τὰ σχήματα τῶν κατηγοριῶν vel τῆς κατηγορίας, i. e. genera praedicatorum vel praedicati, vel etiam κατηγορίαι τοῦ ὄντος vel τῶν ὄντων. Itaque Aristoteles non quamlibet, sed eam in mente habet orationem, cuius subiectum sit: τοῦτο τὸ ὄν vel τὸ προκείμενον vel τὸ ἐκκείμενον (cfr. l. 1 topic. c. 5, 102 a, 34; l. 1 topic. c. 9, 103 b, 30), et praedicatum sit τὸ ὄν vi huius vocis latissime accepta, quod igitur esse possit aut οὐσία aut ποσόν, aut ποιόν aut quidpiam eiusmodi, quod in alia ex decem categoriis sit ponendum.

[2] Haec distinctio inter substantiam et τὰ συμβεβηκότα passim ab Aristotele est posita. Qui aliquoties etiam distinxit tria: οὐσίας, πάθη, πρός τι (l. 14 metaph. c. 2, 1098 b, 23).

Scholion 1. Hi duo ordines ad genus superius reduci non possunt. Omnia quidem sub latissimo conceptu entis continentur, sed notio entis generica non est. Nam „omne genus habet differentias, quae sunt extra essentiam ipsius generis: nulla autem differentia potest inveniri extra ens; quia non-ens non potest esse differentia“ [1].

Scholion 2. Quum accidens etiam inter praedicabilia numeratum sit, distinctio, quae est inter accidens, quod praedicamento substantiae opponitur, et accidens praedicabile, accurate retinenda est. Accidens praedicabile rem dicit, quae ab aliquo abesse vel in eo inesse potest, salva eius essentia, ut est in homine *habere album colorem cutis, pileum, simum nasum, calceos.* In accidente praedicamentali modus attenditur, quo ens, ut inhaerendo insit rei alteri, a natura sua ordinatum est; eiusmodi accidentia sunt in homine *intellectus, sensus, intellectio, sensatio.* Quam diversitatem S. Thomas tetigit, quum diceret: „Si accidens accipiatur, secundum quod dividitur contra substantiam, sic nihil potest esse medium inter substantiam et accidens, quia dividuntur secundum affirmationem et negationem, scilicet secundum „esse in subiecto“ et „non esse in subiecto“. . . . Si vero accipiatur accidens, secundum quod ponitur unum quinque universalium, sic aliquid est medium inter substantiam et accidens; quia ad substantiam pertinet, quidquid est essentiale rei; non autem quidquid est extra essentiam, potest sic dici accidens, sed solum id, quod non causatur ex principiis essentialibus speciei. Proprium enim non est de essentia rei, sed ex principiis essentialibus speciei causatur; unde medium est inter essentiam et accidens.“ [2]

Sed contemplanti rerum naturas et accidentia a substantia distinguenti simul ingens accidentium varietas in oculos incurrit. Quo factum est, ut utilitatis gratia ens non in duas, sed in plures categorias actutum divisum sit. Aristoteles illas decem posuerat, quas nominavimus supra [3].

Eas iuvandae memoriae gratia veteres his versiculis expresserunt:

---

[1] S. Thom., Summ. theol. I. q. 3 a. 5.

[2] Summ. theol. I. q. 77 a. 1 ad 5.

[3] Τῶν κατὰ μηδεμίαν συμπλοκὴν λεγομένων ἕκαστον ἤτοι οὐσίαν σημαίνει ἢ ποσὸν ἢ ποιὸν ἢ πρός τι ἢ ποῦ ἢ ποτὲ ἢ κεῖσθαι ἢ ἔχειν ἢ ποιεῖν ἢ πάσχειν. Ἔστι δὲ οὐσία μὲν ὡς τύπῳ εἰπεῖν οἷον ἄνθρωπος, ἵππος· ποσὸν δὲ οἷον δίπηχυ, τρίπηχυ· ποιὸν δὲ οἷον λευκόν, γραμματικόν· πρός τι δὲ οἷον διπλάσιον, ἥμισυ, μεῖζον· ποῦ δὲ οἷον ἐν Λυκείῳ, ἐν ἀγορᾷ· ποτὲ δὲ οἷον ἐχθές, πέρυσιν· κεῖσθαι δὲ οἷον ἀνάκειται, κάθηται· ἔχειν δὲ οἷον ὑποδέδεται, ὥπλισται· ποιεῖν δὲ οἷον τέμνει, καίει· πάσχειν δὲ οἷον τέμνεται, καίεται. (Categ. c. 4, 1 b, 25.) Cfr. l. 1 top. c. 9, 103 b, 20, quo loco categoria prima τί ἐστι vocatur; aliis locis κεῖσθαι et ἔχειν omissa sunt; cfr. l. 1 anal. post. c. 22 l. 5 physic. c. 1; l. 5 metaph. c. 7. Alio loco (l. 13 met. c. 2, 1089 b, 20) tres tantum categoriae indicari videntur: οὐσίαι, πάθη, πρός τι. Nihilominus ex consueto dicendi modo, qui est apud Stagiritam, lucculenter apparet, eum in mente habuisse, ut certus categoriarum numerus statueretur.

Arbor	sex	servos	ardore	refrigerat	ustos.
substantia	quantitas	relatio	qualitas	actio	passio.

Ruri	cras	stabo,	sed	tunicatus ero.
ubi	quando	situs		habitus.

His igitur ad decem interrogationes respondetur, quae de substantia singulari, praecipue vero de homine, poni possunt: quid sit, quantus, qualis, cuius, quid agat, quid recipiat, ubi sit, quando, quomodo sit in loco, quas alias substantias gerat ad utilitatem suam, i. e. quarum gestatio ut gestatio ad ipsius utilitatem ex se destinata sit.

247. **Exponuntur categoriae singulae.** Substantia sive ens per se (in se), quod non inhaereat alteri, in natura non reperitur, nisi singularis et individua, a qua universalis notio substantiae virtute mentis abstrahentis comparatur. Quoniam igitur substantia individua ante omnia reliqua adest, est subiectum primum omnis attributionis, ipsa autem de re nulla proprie praedicari potest (πρώτη οὐσία). Substantia specifica, quae de substantia prima potest praedicari, vocatur substantia secunda (δευτέρα οὐσία). Quo loco observandum est, quum dico: *Petrus est homo,* substantiam primam non esse subiectum inhaesionis sive physicum, sed subiectum attributionis, sive logicum. Homo enim Petro non inhaeret ut accidens, sed de eo effertur ut praedicatum.

In substantiis naturalibus distinguit Aristoteles materiam (ὑποκείμενον vel ὕλην), formam sive qualitatem substantialem (εἶδος vel μορφήν, vel τὸ τί ἦν εἶναι vel τὴν κατὰ λόγον οὐσίαν) et totum ut rem tertiam ex materia et forma compositam (τὸ σύνολον vel τὸ ἐκ τούτων ἀμφοῖν).

Quantitas est accidens ratione materiae, cuius effectus apparet in speciali illa extensione, qua subiectum secundum leges continuitatis mathematicae extenditur impenetrabiliter. Quodsi ex divisione quantitatis continuae nascitur multitudo, quantitas discreta est.

Qualitas est accidens ratione formae, qua substantia determinatur, disponitur vel in seipsa vel quoad operationem. Ab Aristotele qualitas divisa est in quattuor species easque bimembres: formam et figuram, potentiam et impotentiam, habitum et dispositionem, passionem et patibilem qualitatem.

Relatio est ordo sive habitudo unius ad aliud, ut *paternitas, aequalitas, dominium.*

Actio est accidens, quo effectus aliquis constituitur actu dependens a subiecto ut a causa efficiente.

Passio est accidens, quo subiectum constituitur actu recipiens effectum aliquem ab aliqua causa efficiente.

Ubi est accidens, quo subiectum in certo loco praesens formaliter sistitur.

Quando est accidens, quo subiectum in certo tempore formaliter constituitur.

Situs est accidens disponens partes subiecti secundum earum positionem in loco.

Habitus est denominatio quaedam deducta ex indumentis seu tegumentis corporis.

248. **Factae distributionis ratio.** Non est dubium, quin pro arbitrio quisque ad plures paucioresve ordines varias res revocare possit. Verum sicut is, qui annum in pauciores pluresve menses, hebdomades dividere vellet, quam vetus fert consuetudo, sane reprehendendus esset, ita non sine vituperatione quis a denario numero categoriarum recederet, qui a multis saeculis apud philosophos plurimos in usu est. Quum enim pro omni vitae genere praecipiendum sit, „non esse mutanda solemnia in practicis", praecipue in rebus philosophicis urgendum est, ne unusquisque tradita pervertat et novitate creet perturbationem. Accedit, quod non sine ratione categoriae ab Aristotele constitutae sunt.

Omne enim ens aut in se subsistit aut accidit alteri; ergo aut substantia est aut accidens. Accidens autem eam rem, cui adiacet, aut absolute in se determinat aut cum respectu ad aliud. Si prius, aut materiam sequitur, et est quantitas; aut formam, et est qualitas. Si posterius, aut solo respectu ad terminum constituitur, et est relatio; aut praeter merum respectum involvit peculiarem rationem. Quod si ita est, aut respicit aliquid ut suum principium, aut ut suam mensuram, aut ut ambiens utile vel eius generis aliud quidpiam. Si principium respiciat, aut passivum attendit, et est actio; aut activum, et est passio. Si mensuram respicit, aut indicat id, quo res est certo tempore, et dicitur quando; aut indicat id, quo res est potius hic in spatio quam alibi, et vocatur ubi; aut indicat ordinem partium certo modo in loco dispositarum, et est situs. Si refertur ad rem, quae adiacet extrinsecus ut utilis, est habitus.

249. **Quaenam in categoriis collocentur.** Ens, ut ens est, in nulla categoria poni posse diximus, sed illud omnes categorias transcendere. Quare ea omnia, quae cum ente aliquo modo convertuntur, „transcendentalia", ea vero, quae categoriarum

limitibus continentur, „categorica“ vel „praedicamentalia“ vocantur. Ita *quantitatem discretam* vel *numerum* distinguunt transcendentalem et praedicamentalem; transcendentalis ex collectis quibuslibet singularibus, quorum unum non est alterum, oritur, praedicamentalis solus ille numerus est, qui colligit multa, quae considerantur ut multa ex divisione quantitatis continuae. Similiter *relationem* transcendentalem et categoricam distinguunt.

Tribus modis aliquid in categoria poni potest: directe, indirecte, reductive. „Directe“ genera, species, individua in categoriis locum habent; quapropter haec sola entia categorica vel praedicamentalia vocari solent. „Indirecte“ sive „a latere“ differentiae ad categorias pertinent, quae generibus adiacent potius quam subiacent. „Reductive“ ad categorias trahuntur, quaecunque cum ente praedicamentali aliquam affinitatem habent. Ita anima, quae est viventis pars, ad categoriam pertinet, in qua vivens est; obiectum formale ad categoriam, in qua sunt actiones, habitus, potentiae; punctum ad quantitatem continuam, unitas ad quantitatem discretam, privatio (v. g. *ignorantia*) ad categoriam formae *(scientiae)*, qua privat[1].

Ut aliquid proprie et directe in categoria ponatur, requiritur 1°, ut sit ens, i. e. per se cognoscibile; 2°, ut sit positivum et reale; excluduntur igitur negationes, privationes, reliqua entia rationis, quae non sunt entia, nisi obiective in mente cogitantis. Requiritur 3°, ut sit ens per se; excluduntur igitur entia per accidens, quae sunt naturae multiplicis multaque confundunt. Requiritur 4°, ut sit ens incomplexum, 5°, ut sit ens synonymum sive univocum (sive univocans, sive univocatum, ut est *individuum*). Requiritur denique 6°, ut sit ens completum; ita etiam „genus“ in categoria ponitur, non ut est pars in „specie“ contenta, sed ut est totum sub se continens species multas.

Conditiones, quas indicavimus, hocce versiculo exprimuntur:

Ens, Verum, Per se, Incomplexum Synonymumque
Completumque capit Schema Categoriae.

SECTIO QUINTA.

De terminorum usu et affectionibus.

250. **Quae sit huius tractationis ratio.** Quum terminus omnis ultimo ad significandum obiectum dirigatur, significandi autem vis,

[1] S. Thom., Summ. theol. I. q. 3 a. 5.

quae terminis inest, multiplex sit et admodum varia, sequitur, ut affectiones quaedam terminorum describendae sint sive proprietates vel modi, quibus vis termini in ordine ad enuntiationem et syllogismum subest. Ita fiet, ut multo facilius terminis recte uti eorumque sententiam bene interpretari possimus. Quam rem negligere non licet. Quemadmodum enim, ut recte observatum est, is, qui numerorum, quibus utitur, vim ignorat, facile circumvenitur, ita, qui nescit ea, quae significationem verborum mutant, augent, restringunt, decipiatur necesse est in multis vel saltem haereat.

Et haec nostra declaratio proxime terminum oralem spectat neque tamen a termino mentali recte interpretando aliena est.

Numerari solent affectiones octo: suppositio, appellatio, status, ampliatio, restrictio, diminutio, alienatio, remotio. Inter quas praecipua est, quae dicitur suppositio, de qua diligentius agendum, deinde pauca de reliquis[1].

§ 1.

De terminorum suppositione

251. **Suppositio quid sit et quotuplex.** Supponere pro aliquo idem est atque loco alicuius usurpari. Suppositio termini est usurpatio termini pro re, quam significat. Quum enim, ut dicit Aristoteles, res ipsas inter disputandum afferre non liceat, loco rerum terminos adhibemus, sicut supputatores utuntur calculis loco pecuniarum. Paulo igitur differt suppositio a significatione terminorum; significatio indicat, quae res aliquo termino significetur; suppositio autem, qua ratione res aliquo termino significata in propositione vel syllogismo explicanda sit vel intelligenda[2]. Sicut subiectum logici dicunt „supponere", ita praedicatum „verificari".

---

[1] Tolet., Introd. in dialecticam Aristotelis l. 2 c. 1 sqq.; De Benedictis, Log. l. 1 q. 2; Fonseca, Instit. dial. l. 8 c. 19 sqq.; Guerinois, Clypeus philoph. Thomist. tom. 1 part. 1.

[2] „In quolibet nomine est duo considerare: scilicet id, a quo imponitur nomen, quod dicitur qualitas nominis, et id, cui imponitur, quod dicitur substantia nominis. Et nomen, proprie loquendo, dicitur significare formam sive qualitatem, a qua imponitur nomen; dicitur vero supponere pro eo, cui imponitur." (S. Thom., 3 dist. 6 q. 1 a. 3.) Interdum quoque inter „supponi" distinguunt philosophi et „copulari". Qua de re Aquinas: „Sciendum, inquit, quod propria ratio nominis est, quam significat nomen. Id autem, cui attribuitur nomen, si sit recte sumptum sub re significata per nomen, sicut determinatum sub indeterminato, dicitur supponi per nomen; si autem non sit recte sumptum sub re nominis, dicitur copulari per nomen, sicut hoc nomen *„animal"* significat substantiam animatam sensibilem; et *album* significat colorem disgregativum visus; *homo* vero recte sumitur sub ratione animalis, sicut

Dividitur suppositio 1° in materialem et formalem. Materialis est, qua terminus loco sui ipsius ponitur, velut: *Amor est nomen substantivum; philosophia est vox Graeca; homo habet duas tantum syllabas.* Formalis est, qua terminus loco rei significatae adhibetur, velut: *Charitas est virtus praecipua; philosophia est scientia necessaria; homo habet duos tantum pedes.* Unde patet, solam suppositionem formalem esse suppositionem stricte dictam.

Ex his resolves: *Homo habet duas syllabas. Aristoteles est homo. Aristoteles habet duas syllabas.* Vel: *Quod dicis, transit per os tuum. Domum dicis. Domus ergo transit per os tuum.*

2° Formalis suppositio alia est propria, impropria alia. Suppositione propria adhibemus terminum pro ea re, quam per se homines eo nomine significant (pro suo proprie significato), velut quum quis dicit: *Nero fuit imperator; leo est animal.* Suppositione impropria adhibetur terminus pro ea re, quam per accidens propter aliquam cum re proprie significata similitudinem illo termino appellare solent (pro suo metaphorice significato), cuiusmodi sunt propositiones: *Iste est alter Nero; Christus est leo de tribu Iuda.*

Ex quo resolves: *Vulpes furantur gallinas. Herodes erat vulpes. Herodes ergo furatus est gallinas.*

3° Praeterea suppositio formalis subdividitur in intentionalem sive logicam et in physicam sive realem. Suppositione intentionali usurpatur terminus, qui pro re significata ponitur secundum existendi modum, quem habet in intellectu cognoscente, sive ut subest intentioni secundae; velut si quis dicit: *Animal est genus; color est accidens; Socrates est individuum aliquod.* Suppositione physica adhibetur terminus, quum rem significatam indicat secundum existendi modum, quem habet extra intellectum cognoscentem, sive ut subest intentioni primae; velut si quis dicit: *Animal est ferox; color viridis est gratus oculis; Socrates philosophus suo tempore erat celeberrimus.*

4° Huic distinctioni finitima est alia, qua distinguunt suppositionem simplicem et compositam; compositam multi realem nominant. Quum enim termini duas significationes habeant, alteram immediatam, alteram mediatam, suppositio est simplex, si accipitur terminus pro re immediate significata; realis autem sive composita, si terminus accipitur pro significatione utraque simul. Ita *homo*

---

determinatum sub indeterminato. Est enim homo substantia animata sensibilis tali anima scilicet rationali; sub albo vero, quod est extra essentiam eius, non directe sumitur. Unde homo supponitur nomine animalis, copulatur vero nomine albi.“ (Quaest. disput. q. 9 de pot. a. 4.)

immediate naturam sive speciem significat, mediate singulos homines. Contra *Socrates* immediate hominem singularem significat, et mediate naturam humanam[1]. Ex quo resolves sophisma: *Homo est species. Atqui Petrus est homo. Ergo Petrus est species.*

5° Praeterea suppositio alia est singularis, alia communis. Suppositione singulari adhibentur termini singulares, qui individuum aliquod determinatum significant, ut est *Aristoteles*, *Aeneae filius; hic liber.* Suppositione communi usurpantur termini communes, id quod duplici modo fieri potest: a) pro suo significato immediato, i. e. pro natura, quae in multis individuis abstractione mentis accipitur una, quae vocatur suppositio absoluta, quia est acceptio termini, secundum quod significat naturam absolute consideratam; b) pro suis significatis mediatis, i. e. pro individuis in extensione termini illius communis comprehensis, quae vocatur suppositio personalis. Suppositio igitur personalis est acceptio termini communis pro suis inferioribus[2]. Si dicis: *Homo est animal,* habes suppositionem absolutam; si dicis: *omnis homo,* vel: *aliquis homo est animal,* habes suppositionem personalem. Si absolute dicis: *Homo est musicus,* falsum dicis; quamquam suppositione personali verum quis dicit, *aliquos homines esse musicos.*

Suppositio personalis iterum pro diversa termini communis extensione varia distinguitur. Sicut enim extensionem termini communis vel ex toto vel ex parte considerare possumus, ita terminus communis tum pro tota sua extensione, tum pro parte solum supponi potest. Sed antequam diversas illas supponendi rationes explicemus, nonnulla de descensu, quem dicunt, a termino communi ad individua praenotanda sunt.

252. **Descensus quotuplex sit.** Descensus efficitur successiva substitutione inferiorum, quae termini communis extensione comprehenduntur, in locum termini communis secundum orationis contextum. Et quadruplex eius generis descensus distinguitur: copulativus, copulatus, disiunctivus, disiunctus.

Copulativus descensus habetur, quum pro singulis individuis termino universali substitutis et inter se coniunctis oratio exponens multiplicanda est; in quo genere est propositio: *Omnis homo mortalis est,* quae explicatur: Homo A est mortalis et homo B . . . et homo X est mortalis.

Copulatus descensus est, quum omnia et singula individua termino communi substituta coniunguntur, neque tamen oratio ex-

---

[1] S. Thom., Summ. theol. I. q. 39 a. 4.

[2] S. Thom., Opusc. de ente et essentia c. 3.

ponens ipsa pro individuorum numero multiplicatur; cuius descensus exemplum est Neronis crudele illud: *Utinam omnes cives haberent unum caput!* i. e. utinam civis A et civis B . . . et civis X omnes simul unum tantum caput haberent!

Disiunctivus est descensus, in quo singula membra disiunctione aliqua inter se nectuntur, ita ut pro numero individuorum substitutorum oratio multiplicetur; cuiusmodi est propositio: *Aliquis philosophus Graecus syllogismum invenit,* quae explicatur disiunctive: Aut Pythagoras syllogismum invenit, aut Plato . . . aut Aristoteles syllogismum invenit. Qui descensus etiam determinatus dicitur, quia propositio, etsi de singulis individuis indeterminate enuntiatur, in uno tantum prae aliis determinate verificatur.

Disiunctus denique est descensus, in quo singula membra disiunctione quidem aliqua inter se coniunguntur, neque tamen oratio ipsa multiplicanda est; cuiusmodi est propositio: *Aliquis cibus ad vitam sustentandam necessarius est;* quae disiuncte exponitur: Vel cibus A, vel cibus B, . . . vel cibus X ad vitam sustentandam est necessarius. Qui descensus etiam confusus dicitur, quia propositio ita indeterminate de singulis individuis valet, ut in nullo prae ceteris determinate verificetur.

Scholion 1. Facile intelligitur, a) quae modo dicta sint de descensu a specie ad individua, eodem modo de descensu a genere ad species esse constituenda; b) individua, ad quae descendatur, esse posse tum actu existentia, tum mere possibilia pro diversa orationis significatione; c) descensum ad individua ex natura rei non habere locum in suppositione materiali, logica, singulari; neque in ea suppositione, quam absolutam vocant, quae descensum tantum a genere ad species admittat, quum ad individua non pertingat.

Scholion 2. Descensui respondet ascensus, qui fit substitutione termini communis in locum inferiorum; est igitur ab individuis ad terminum communem. Ascensus eodem modo distinguitur, quo descensus; sunt enim correlata; unde non est opus, de ascensu separatim dicere, praesertim quum haec res nullius sit utilitatis.

253. **Partitiones suppositionis personalis.** Terminus communis, qui personaliter supponitur, aut pro tota sua extensione aut pro parte tantum supponi potest; si pro tota, vocatur suppositio universalis, et est aut distributiva aut collectiva; si pro parte, vocatur particularis, et est aut disiunctiva aut disiuncta.

Distributiva est, quum terminus communis supponit pro omnibus et singulis significatis suis sive pro suis inferioribus enumerandis descensu copulativo. Distinguitur autem suppositio distributiva in completam et incompletam. Est completa, quum est „pro singulis generum", i. e. quum explicatur descensu copula-

tivo enumerante omnia individua termino communi subiecta, velut quum quis dicit: *Virtus est laudabilis, vitium est turpe.* Est incompleta, quum est „pro generibus singulorum", i. e. quum exponitur descensu copulativo enumerante omnes tantum species termino communi generico subiectas, velut quum quis dicit, *logicam describere omnes mentis operationes*, vel *omne animal fuisse in arca Noë*, vel *omnem in homine contineri vitam.*

Utraque haec suppositio distributiva potest esse aut sine exceptione aut cum exceptione, prout in exponendo descensu intelligitur, exceptionem aliquam, propter probatam rationem, admittendam esse aut non admittendam esse. Ita quum quis *omnia animalia* dicit fuisse in arca Noë, excipienda esse aquatilia per se satis intelligitur. Suppositio distributiva, in qua est exceptio, dicitur accommodata.

Collectiva est suppositio, quum terminus communis ponitur pro omnibus suis significatis simul sumptis, sive pro suis inferioribus enumerandis descensu copulato, velut quum dico: *Omnes partes aequant totum; multi milites sunt exercitus.*

Suppositio disiunctiva sive determinata est acceptio termini communis pro suis inferioribus enumerandis descensu disiunctivo sive pro uno ex inferioribus, quae ita indeterminate inter se coniunguntur, ut de uno aliquo seorsum accepto determinate propositio verificari possit; velut in his propositionibus: *Summa in omni civitate auctoritas in aliqua semper persona residet; aliquis philosophus syllogismi formam invenit.*

Suppositio disiuncta sive vaga vel confusa est acceptio termini communis pro suis inferioribus enumerandis descensu disiuncto sive pro uno ex inferioribus, quae ita indeterminate inter se coniunguntur, ut de nullo seorsum accepto determinate propositio verificari debeat; hoc modo dicimus: *Ad videndum aliquo oculo opus est; requiritur navis ad mare traiiciendum; quaero equum.*

254. **Regulae quaedam** ad subiecti et praedicati suppositionem discernendam. Suppositio terminorum varia esse potest aut ex ipsa propositionum natura, aut propter terminos syncategorematicos sive signa, quibus termini explicite affecti sunt. Cuius generis signa alia universalia sunt, ut *„omnis", „quivis", „nemo", „nullus"*; alia particularia, ut *„aliquis", „nonnulli"*.

Quibus dictis regulas ponimus, quae a veteribus ad dignoscendas suppositiones tradebantur. Et de subiecto quidem regula universalis est: Subiectum supponit secundum exigentiam praedicati. Ex qua hae fluunt regulae particulares:

1o Subiectum affectum signo universali „omnis“ supponit aut distributive aut collective, prout praedicatum aut de singulis seorsum acceptis dici potest, aut nonnisi de omnibus simul acceptis. Itaque in propositionibus: *Omnis homo est liber; omnes hi milites in gerendis armis bene instructi sunt,* subiectum supponitur distributive; collective autem in his: *Omnes homines sunt genus humanum; omnes hi milites sunt exercitus.*

2o Subiectum affectum signo universali negativo ex natura huius signi semper distributive supponit.

3o Subiectum, cui praefixum est signum particulare „aliquis“, aut disiunctive supponit, aut disiuncte. Supponit disiunctive, si praedicatum subiecto conveniat, quod determinari assignarique possit, sive propositio est negativa, sive positiva. Si autem praedicatum conveniat subiecto, quod non determinate assignari possit, supponit disiuncte. Prius fit, quum in propositione aliquod exercitium physicum actuale absolute affirmatur; posterius, quum affirmatur aliqua necessitas, indigentia, similia, ita ut necessitati, indigentiae, aliis omnino satisfieri possit ab unoquoque ex individuis sub termino communi contentis et seorsum accepto. Itaque in propositionibus: *Aliqua fides ad salutem est necessaria; aliquis proxime erit moriturus,* subiectum disiunctive supponit; disiuncte autem in his: *Aliqua navis ad navigandum requiritur; in ipso homine pessimo aliqua virtus supponi debet.*

4o Subiectum, cui neque signum universale neque particulare praefixum est, supponit distributive, si de materia necessaria agitur, quum videlicet praedicatum necessario et ex natura rei subiecto convenit aut repugnat; nam in materia necessaria propositio indefinita universali aequivalet. Si autem de materia contingente dicitur, subiectum disiunctive supponit; quum enim praedicatum subiecto nonnisi per accidens tribuatur, propositio indefinita in materia contingente aequiparanda est particulari. Unde propositio: *Virtus est laudabilis,* eadem est atque: *Omnis virtus est laudabilis;* et haec: *Homo est iustus,* aequivalet alteri: *Aliqui homines sunt iusti.* Atque haec quidem de casu recto subiecti; paulo aliter, si de casu obliquo agitur[1].

Scholion. Propositio dicitur esse „de subiecto non supponente“, quum de subiecto non existente affirmat praedicatum aliquod, quod non nisi rei existenti convenire potest; vel si de subiecto impossibili enuntiat aliquid, quod tantum possibili convenire potest.

---

[1] Cfr. M. Mangold S. I., Philosophia recentior. Monachii 1763. tom. 1 p. 14.

Regulae de suppositione praedicati de ea re intelligendae sunt, quam praedicatum in recto dicit. Itaque:

1° Praedicatum in omni propositione negativa semper distributive supponit. Igitur propositio: *Planta non est animal,* significat: *Planta neque est animal A, neque animal B, ... neque animal* X.

2° Praedicatum in propositione affirmativa (si agitur de rebus creatis) nunquam supponit distributive distributione reali et proprie accepta. Sed ut plurimum supponit disiunctive, quia in hac propositione aliquod ex inferioribus determinate acceptum de subiecto affirmari solet.

Observandum praeterea est, generatim disiuncte supponi casus obliquos pendentes a verbo, quod ad solam rerum speciem, non vero ad determinata individua refertur.

§ 2.

De reliquis terminorum affectionibus.

255. **Quid sit appellatio.** Appellatio est specialis quaedam applicatio significationis unius termini ad significationem alterius. Terminus, cui alter applicatur, appellatus dicitur; ille autem, qui applicatur, appellans dicitur. Ita in omni propositione subiectum est appellatum, praedicatum est appellans.

Neque tamen applicatio quaelibet praedicati ad subiectum appellatio dici solet, sed illa tantum, qua praedicatum vel attributum speciali ratione sive modificatione subiecto applicatur; velut quum dico: Aristoteles *fuit magnus philosophus,* vox „philosophus" appellatur voce „magnus"; vel quum dico: Carolus *magnus fuit philosophus,* vox „magnus" subiectum appellat et non eius philosophiam; quae significationis diversitas ex sermonis contextu intelligenda est, vel ex historia, vel ex mente dicentis.

Sed neque adiectivum nomini additum, quod omnino disparatum est, appellans vocari potest; nulla enim ratione ipsam significati appellationem determinat. Si quis igitur dicit: Aristoteles *fuit dives philosophus,* vel: Carolus *fuit senex imperator,* voces „dives" et „senex" non sunt appellantes.

Dividitur appellatio in formalem et materialem. Est formalis, si appellans appellatum modificat secundum id, quod formaliter significat, quum e. g. *„malum poëtam"* eum intelligo, qui carmina bona componere nescit; est materialis appellatio, si appellans afficit appellatum secundum id, quod materialiter tantum significat, quum e. g. *„malum poëtam"* eum intelligo, qui malis moribus imbutus est. In propositione, in qua particula reduplicativa non invenitur, appellatio contingit secundum exigentiam praedicati.

Ex his manifestum est, terminum appellantem per se semper secundum formalem significationem intelligendum esse; secus enim ut plurimum inepta esset vel ridicula dicendi ratio. Et illud etiam sequitur, vocem appellantem aliqua ratione tamquam terminum connotativum considerari posse, quippe qui et formalem et materialem significationem habeat.

Subiectum, si ut terminus appellatus consideratur, a praedicato appellatur secundum se, non autem secundum formam, quae in terminis concretis exprimi solet. Cuius rei exemplum est, quum a theologis examinantur hae propositiones theologicae: *Christus est factus,* et *Christus est aeternus,* et *Homo factus est Deus,* et *Deus factus est homo.* „Terminus in subiecto positus tenetur materialiter, i. e. pro supposito; positus vero in praedicato tenetur formaliter, i. e. pro natura significata.“ [1] Similiter, quum dicitur: *„Corruptibile hoc induere incorruptionem“* [2], subiectum intelligitur, quod ex se corruptibile est.

Neque praetermittendum est, terminos numerales, quum applicentur substantivis, appellare formam eamque multiplicare; sin applicentur nominibus adiectivis, appellare subiectum [3].

256. **Terminorum status, ampliatio.** Hae duae affectiones suppositionem terminorum determinant sive mutant, quatenus cum verbis coniunguntur.

Status termini est eius acceptio pro solo eo tempore, quod copula sive verbo expressum est, velut quum dico: *Caecus non videt,* i. e. caecus, quamdiu est caecus, non videt.

Ampliatio est extensio termini a minore ad maiorem suppositionem, vel est acceptio termini pro alio etiam tempore atque illud, quod copula est indicatum; cuiusmodi habes in his sententiis: *Non est pax impiis; fugit irrevocabile tempus; animal rationale est liberum.* Additum amplians adhibet, qui dicit: *Homo, quicunque ille est, est errori obnoxius.*

Addi potest distractio, i. e. acceptio termini pro alio tempore, atque copula indicatum est. Hae igitur propositiones verae non sunt nisi in sensu diviso; cuiusmodi sunt: *Sedens surgit; caeci vident; mortui resurgunt; vivens moritur; puer senuit; iustus esse potest iniustus.*

257. **Restrictio et diminutio.** Restrictionem vocant coarctationem termini ad minorem suppositionem sive ad significandam partem tantum illorum individuorum, quae termino exhibentur; velut quum

---

[1] S. Thom., Summ. theol. III. q. 16 a. 7 ad 4. [2] 1 Cor. 15, 53.

[3] S. Thom., Summ. theol. I. q. 39 a. 3.

dico: *Homo sapiens, homo doctus, homo pius;* vel *timens Deum, timens mortem, timens contumeliam;* vel *incedens velociter, incedens lente.* Interdum restrictio per se intelligitur omisso addito, ut in hac enuntiatione: *Eva est mater omnium viventium;* vel: *Credo resurrectionem mortuorum.* At non pro libitu eiusmodi restrictio adhiberi debet, sed semper debet esse ratio, qua explicatur. Quum S. Augustino obiiceretur illud Chrysostomi, „parvulos non habere peccata", subintelligentis „propria", rationem ille adiunxit, cur vocem hanc omiserit: „At, inquies, cur non ipse addidit ‚propria'? Cur putamus, nisi quia disputans in Ecclesia Catholica non se aliter intelligi arbitrabatur."

Diminutio est coarctatio totius termino expressi ad eiusdem partem, ut quum *Aethiops albus* esse dicitur *secundum dentes.* Eiusmodi additum diminuens appellatur et ut plurimum casu ablativo exprimitur, e. g. *statura nobilis, laborans oculis, sanus mente, rufus crinibus, curvus crure.*

258. **Alienatio et remotio.** Prior est termini a significatione propria ad impropriam sive metaphoricam vel alienam translatio, velut quum iustitia a Pythagora vocatur *„sal vitae"*, vel quum de *homine picto* loquimur. Additum nominatur alienans.

Remotio est quasi detorsio vel abusus termini ad rem significandam impossibilem; cuiusmodi termini sunt: *Circulus quadratus; finis infiniti; creatura omnium perfectissima.*

SECTIO SEXTA.

De terminorum explicatione per definitionem logicam.

259. **Partes definitionis.** Postquam de terminorum indole, partitionibus, affectionibus diximus, restat, ut videamus, qua ratione conceptus vel termini clari et distincti efficiantur, quantum id pro infirmitate intellectus humani fieri possit. Possunt vero conceptus declarari tum quoad comprehensionem, tum quoad extensionem. Comprehensio explicatur definitione, extensio divisione[1]. Definitionem et divisionem ad primam mentis operationem pertinere scimus. Quum de divisione aliis locis (n. 145, 240 sqq.) satis dictum sit, reliquum est, ut nunc de definitionis negotio ea addamus, quae post explicatam primae mentis operationis indolem melius intelliguntur.

[1] Cfr. Plato, Phaedr. p. 265, 266; Phileb. p. 16; Trendelenburg, Logische Untersuchungen. II. p. 247.

Definitio (n. 139) duplici ratione considerari potest. In ordine ad definitum est instrumentum sciendi definitum; definitum enim, ut definitum est, scitur propter definitionem. In ordine ad demonstrationem est instrumentum sciendi conclusionem, sive medium, quo demonstratur, praedicatum conclusionis in subiecto inesse. Et prior consideratio definitioni essentialis est; ex se enim definitio explicare vult definitum. Consideratio altera accidentalis est; in argumentatione enim definitio potius consideratur ut medium vel causa inveniendi vel probandi conclusionem.

Et tum diximus (n. 141), definitum per definitionem explicari quam perfectissime, quum definitio fiat per genus proximum et differentiam ultimam sive specificam[1]. Quae definitio est appellata essentialis sive logica. Genus, quum ad multas res extendatur, ea re, de qua agitur, clarius esse solet, et si simul est proximum, quam fieri potest maxime intellectum nostrum ad rem definiendam adducit, id quod si non semper, certe ut plurimum animum sciendi cupidum magnopere iuvat[2].

Differentia autem, quum hanc rem ab aliis secernat, eam in intellectum inducit; et perfecte quidem inducit, si ultima est, et omni solique rei definiendae est congruens. Interdum accidit, ut genus et differentia inter se converti possint. Ita *adulari* non minus recte definies *mentiri laudando* quam *laudare mentiendo, ut laudato placeas.* Quod tum fit, quum a nostra consideratione pendet, cui generi res definienda subdatur.

Et haec definitio, in qua genus proximum indicatur et differentia specifica, est „definitio perfecta" et ab Aristotele vocata est λόγος sive ratio[3]. Et recte id quidem. Accidentia, quae rei inesse contingunt, manifestum est ipsam rei essentiam non patefacere. Propria etiamsi aliquo modo essentiam, ex qua necessario fluunt, manifestant, eam tamen non constituunt. Neque ideo homo es, quia philosophari potes, sed ideo hanc facultatem habes, quia homo es. Unde propria intelliguntur ex essentia sub-

---

[1] Trendelenburg, Logische Untersuchungen, edit. 3. II. p. 400, 402 et praecipue p. 406.

[2] „Ut plurimum" diximus. Clarius enim triangulum definies *figuram tribus lineis rectis conclusam* quam *polygonium tribus lineis rectis conclusum.* Et fieri potest, ut differentia, qua res definienda differt a genere proximo, si sola accipiatur, difficilius exprimatur, quam si addita ea differentia sumatur, qua genus illud proximum a genere remotiore differt. Quod si accidat, definitio erit clarior, si fiat per genus remotius.

[3] L. 7 (al. 6) metaph. c. 10, 1034 b, 20 sqq.

iecti, cuius sunt propria. Et proprium potius declarandum est ex subiecto, cui inest, quam subiectum ex suis propriis. Ea autem erit perfecta subiecti definitio, quae notionem subiecti declarat ut constitutam ex eiusmodi notionibus, quae notione subiecti clariores sunt. Quae notiones sunt generis proximi et differentiae ultimae. Ita enim res definita omnino circumscribitur et ab iis etiam, quibuscum propter affinitatem facilius confundi posset, clare distinguitur. Quod Aquinas in mente habuit, quum diceret, intellectum nostrum eo definire res intellectas, quod conciperet de re ipsa formam quandam, quae esset similitudo rei secundum totam perfectionem eius, sive quae per omnia ipsi rei responderet[1].

Scholion 1. Quum duae partes, quibus definitio constituitur, non significent partes duas physicas rei definitae, sed totam rem semel conceptu indeterminato et deinde conceptu determinato, manifestum est, differentiam ultimam totam rei essentiam in nucleo quasi continere. Quod enim genus modo indeterminato pronuntiat, id per differentiam determinate exprimitur. Atque ita differentia etiam id continet, quod in genere iam de re dictum est. Si igitur *animal* definitur: *vivens sensitivum,* vivens in sensitivo implicite indicatur; et si *homo* definitur: *animal rationale,* rationalitas, quae significat cognitionem a sensu ad intellectum progredientem, ponit animalitatem. Neque tamen haec differentiae ultimae vis impedit, quominus genus explicite ad eam addatur. Nisi enim pronuntiatur, in quo definitum cum rebus proxime similibus conveniat, definitio clara non est.

Scholion 2. Ex dictis intelligitur, eas res, quae ex sua essentia ad aliquid aliud ordinatae sint, definiri non posse, nisi ponatur in definitione id, ad quod ordinentur. Quae vocatae sunt a Peripateticis definitiones „per additamentum“ [2].

Scholion 3. Et plurimae sunt res, quae quoad nos sunt obscuriores, quam quae indicatis tantum notis essentialibus definiri possint. Ita *corpus* definiunt: *substantiam compositam, quae naturaliter existit sub trinis dimensionibus;* et *spiritum: substantiam simplicem intellectu et voluntate praeditam.* „Si recte definirentur et possent cognosci principia essentialia, definitio non indigeret accidentibus. Sed quia principia essentialia rerum sunt nobis ignota, ideo oportet, quod utamur differentiis accidentalibus in designatione essentialium.“ [3]

---

[1] Quaest. disput. q. 2 de verit. a. 1 corp. et ad 9.

[2] Cfr. S. Thom. in l. 7 met. lect. 4. [3] S. Thom. in l. 1 de an. lect. 1.

260. Methodus definiendi. De singulis rerum ordinibus haec observanda sunt: 1° In definitione substantiae concretae attendendum est ad radicem proprietatis vel operationis reciprocae; aut ad radices plurium proprietatum vel operationum, si nulla seorsim accepta reciproca est. 2° Formae sive determinationes definiuntur ab effectibus formalibus, quos illae formae suis subiectis tribuunt. Ita *quantitas* definitur *accidens largiens substantiae compositae extensionem internam in ordine ad extensionem externam geometricam.* 3° Accidentia, quae ad speciale subiectum referuntur, definiuntur ab ordine ad illud subiectum. Et generatim omnia accidentia abstracta ex ordine suo ad subiectum definiri possunt. Ita *tempus* definitur *duratio motus*, et *simitas curvitas nasi.* 4° Concretum accidentale definitur a forma, quam habet vel qua determinatur. Ita *videns* est *habens visionem*, et *visum* est *terminans visionem.* 5° Habitus et potentiae suis actibus definiuntur, et actus obiectis, ad quae ex se referuntur, ad hunc modum: *Ira est appetitus vindictae;* vel: *Studiositas est virtus moderans affectum studiumque sciendi;* vel: *Assensus est actus intellectus adhaerentis vero;* vel: *Electio est actus voluntatis acceptantis medium propter finem assequendum.* 6° Mutationum definitio a duobus terminis petitur, a termino, a quo fit mutatio, et a termino, ad quem fit. Ita *ascensus* definitur *motus localis a loco inferiore ad superiorem*, et *creatio productio entis ex nihilo.* 7° Relativorum definitio a connotatis terminis trahitur; nam „relativorum relativae sunt differentiae", ut ait Aristoteles[1]. Ita *pater* definitur a relatione, quae in *patre* inchoatur et in *filium* desinit. Actio definitur: *Dependentia sive emanatio effectus ab agente.* 8° Instrumentorum sive organorum definitio ab operibus sumitur, quibus ea inserviunt. Ita *terebrum* definitur *instrumentum perforandi circulariter; oculus* est *organum videndi.* Huc spectant res usui quotidiano inservientes, ut *pileus, scabellum, nucifrangibulum.* 9° Figmenta sive chimaerae non definiuntur definitione rei, sed nominis tantum, quum potius sint ficta nomina quam res fictae. 10° Privationum definitio a formis oppositis et subiectis petenda est. Ita *mors* definitur *privatio vitae in corpore prius animato; ignorantia* definitur *privatio scientiae in ratione sive intellectu.*

Si igitur quaerenda est alicuius rei definitio, ea imprimis cum iis rebus comparetur, quae ad eam propius accedunt; et deinde videndum est, in quo res cum illis conveniat secundum essentiam, in quo differat.

---

[1] L. 6 topic. c. 6, 145 a, 14.

261. **Duplex ad inveniendam definitionem via est.** Una est per divisionem generis et via altera per collectionem similium et differentium[1].

Divisionis via ea est, ut accipiatur primo id, quod ipsa re definienda est aperte communius; et hoc in suas partes subiectivas dividatur. Quodsi una ex his speciebus cum re definienda reciprocatur, iam est inventa definitio. Si reciprocatur nulla, certe aliqua illi conveniet; haec igitur iterum divisioni subiiciatur, atque ita deinceps, donec tandem complexio notarum differentialium successive aucta rei definiendae eique soli conveniat, atque haec erit rei definitio. In quo negotio, id quod monet Aristoteles, notae quaerendae sunt, quae essentialiter praedicentur; et is ordo servandus, ut species superior ponatur superius, inferius inferior, nec ulla species praetermittatur. „Sic igitur, inquit Tullius, veteres praecipiunt, quum sumpseris ea, quae sunt ei rei, quam definire velis, cum aliis communia, usque eo persequi, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri possit; ut hoc: *Haereditas est pecunia.* Commune adhuc: multa enim genera sunt pecuniae. Adde, quod sequitur: *quae morte alicuius ad quempiam pervenit,* nondum est definitio; multis enim modis sine haereditate teneri mortuorum pecuniae possunt. Unum adde verbum, *iure:* iam a communitate disiuncta res videbitur, ut sit explicata definitio haec: *Haereditas est pecunia, quae morte alicuius ad quempiam pervenit iure.*“[2] Haec enim notarum complexio cum haereditate reciprocatur.

262. Per collectionem sive inductionem hoc modo procedendum est. Attendendum est ad individua, quibus nomen rei definiendae tribuitur, et praetermissis omnibus determinationibus particularibus, retineatur ratio, quae omnibus illis communis est. Si rationem unam communem inveneris, haec species infima erit, et in promptu definitio. Quodsi rationes plures inveneris, quarum singulae sint communes multis, nulla omnibus, ulterius quaerendum est, utrum rationes illae multiplices aliquid commune habeant necne. Si habent aliquid commune, totidem species erunt unius generis, et illud, quod est commune omnibus, erit genus, et praesto definitio, quae quaerebatur. Si autem non habent quidquam, quod commune sit, notiones erunt analogae, quarum unaquaeque speciali definitione exprimenda est.

Huius rei a logicis hoc poni solet exemplum. Quaeratur, quae sit definitio *iustitiae.* Iustos dicunt venditores emptoresve, principes, iudices, dominos,

[1] Arist. l. 2 anal. post. c. 13, 96 a, 20; cfr. S. Thom. in h. l. lect. 15 et 16.
[2] Topic. 6.

illos, qui damna illata compensant. Venditores emptoresve et illi, qui damna compensant, iusti sunt, quia constanti voluntate tantum reddere conantur, quantum ad servandam aequalitatem cum ea re, quam debent, requiritur. Sed principes, iudices, domini sunt iusti, quia praemia poenasve ita distribuunt, ut cum meritis demeritisve servent proportionem. Unde duas esse iustitiae species concludendum est, quarum una servat aequalitatem rei cum re, et vocatur iustitia *commutativa,* altera proportionem rei ad personarum merita vel demerita, et dicitur *distributiva.* Ulterius autem utrumque considerantibus nobis apparet, id unum utrique commune esse, ut, qui propter iustitiam commutativam et distributivam iusti nuncupantur, ius suum unicuique tribuant. Utraque ergo species iustitiae ad hoc unum genus revocatur; ex quo iustitiae definitio erit, ut sit habitus, secundum quem quis constanti voluntate ius suum unicuique tribuit.

Atque hae duae sunt investigandae definitionis viae; prior a magis universalibus ad minus universalia descendit; altera ab individuis ad universalia ascendit, et a minus universali ad magis universale; quamobrem illam vocant quoque viam descensus et synthesis, hanc viam ascensus et resolutionis; hac Socratem plurimum usum esse tradunt, eamque praefert Aristoteles, et faciliorem dicit Aquinas: „Facilius est, inquit, definire singulare, i. e. aliquid minus commune, in quantum scilicet in universalibus, quae sunt minus determinata, magis latent aequivocationes quam in illis, quae non dividuntur per differentias specificas. Et ideo oportet a singularibus ascendere ad universalia."

Scholion. Sunt praeterea aliae duae viae eaeque rariores quidem, quibus definitiones effici possint. Quarum prior est via constructionis, quum notio rei inde gignitur, quod, quomodo res nata sit, attendatur. Hoc modo Aristoteles definitionem societatis posuit contemplans modum, quo societas nascatur [1]. Altera via est exclusionis, qua omnia, quae circa rem definiendam propius occurrunt, removentur, ita ut id, quod reliquum sit, notionem rei exprimat. Hoc modo Aristoteles quaesivit definitionem spatii et imaginationis [2].

CAPUT SECUNDUM.

De iis, quae ad secundam mentis operationem spectant.

263. **Quae sit secunda mentis operatio.** „Una duarum operationum intellectus, inquit S. Thomas, est indivisibilium intelligentia, in quantum scilicet intellectus intelligit absolute cuiusque rei quid-

---

[1] L. 1 de republ. c. 1. [2] L. 4 physic. c. 1 sqq.; l. 3 de anima c. 3.

ditatem sive essentiam per seipsam, puta quid est homo, vel quid est album, vel quid huiusmodi. Alia vero operatio intellectus est, secundum quod huiusmodi simplicia concepta simul componit et dividit.“ [1]

Et „intellectus humanus necesse habet intelligere componendo et dividendo. Quum enim intellectus humanus exeat de potentia in actum, similitudinem quandam habet cum rebus generabilibus, quae non statim perfectionem suam habent, sed eam successive acquirunt. Et similiter intellectus humanus non statim in prima apprehensione capit perfectam rei cognitionem; sed primo apprehendit aliquid de ipsa, puta quidditatem ipsius rei, quae est primum et proprium obiectum intellectus, et deinde intelligit proprietates et accidentia et habitudines circumstantes rei essentiam. Et secundum hoc necesse habet, unum apprehensum alii componere et dividere, et ex una compositione et divisione ad aliam procedere; quod est ratiocinari.“ [2] Sed his ultimis verbis operatio mentis tangitur, quae tertia est. Secunda operatio, in qua hoc loco nostra versatur disputatio, tota iudicii est, quo mens duos conceptus aut affirmando componit aut negando separat, mota intuitu immediato in subiectum eiusque affectiones, quo videt, rem ita esse et aliter esse non posse [3]. Haec igitur differt a prima, in qua res sola apprehensione attinguntur, atque etiam a tertia, in qua mens ad iudicandum movetur ex iudiciis praehabitis, inferens iudicium novum.

Sicut apprehensiones conceptusve vocabulis vel terminis manifestamus, ita iudicia orationibus enuntiativis vel propositionibus. Et dicitur oratio enuntiativa (λόγος ἀποφαντικός) et interpretatio (ἑρμηνεία) [4], quia id, quod est in mente, aliis interpretatur atque enuntiat. Vocatur etiam propositio; sed sub speciali ratione. Haec enim secunda mentis operatio in logica duplici ratione attenditur: 1° ut cognitionem apprehensivam perficiens, atque ita „enuntiatio“ vel „interpretatio“ vocatur; 2° ut mentem ad ratiocinandum disponens, in ordine igitur ad syllogismum, atque ita vocatur „propositio“.

---

[1] In l. 1 periherm. lect. 3. [2] Summ. theol. I q. 85 a. 5.

[3] Definit Drobisch iudicium, ut sit enuntiatio de qualitate alicuius conceptus eiusque cum aliis connexione, qua enuntiatione reflexe percipiatur, quid de conceptu cogitetur, quid non, et qui alii conceptus cum eo simul cogitatione ponendi sint, qui non. (Neue Darstellung der Logik, edit. 4. § 40.) Sed recte Ueberweg: „Blosse Begriffscombinationen sind niemals Urtheile; erst die hinzutretende Ueberzeugung von dem Stattfinden oder Nichtstattfinden des Gedachten bildet das Urtheil. Das Urtheil unterscheidet sich von der bloss subjectiven Vorstellungscombination durch die bewusste Beziehung auf die Wirklichkeit . . .“ System der Logik § 67.

[4] Haec manifestandi iudicia et cum aliis communicandi tendentia, quae in omni enuntiatione inest, iam formationem enuntiationum internarum determinat efficitque, ut natura duce cogitationes internas quaeramus vestire vocibus; voces sunt quasi vehiculum sive involucrum naturale, in quo audiens cogitationes loquentis apprehendit, apprehensasque sine ulla reflexione reproducit.

Dividitur autem haec, quae de secunda mentis operatione est instituenda disputatio, in sectiones duas, quarum prior de interno iudicio agit, altera de eius enuntiatione sive interpretatione externa.

SECTIO PRIMA.

De iudicio interno.

§ 1.

De iudicii natura.

264. **Iudicii notio.** Natum est nomen iudicii in ea significatione, qua sententiam a iudice ad finiendas actiones iuridicas latam indicat. Unde vox ad significandum certum quendam mentis actum translata est, quo mens componit cognoscendo connexionem[1].

Iudicium (ἀπόφανσις) generatim est actus cognoscentis, quo aliquid esse vel esse hoc vel non esse cum assensu percipitur (n. 123). Vel ut dicit Aquinas: „Est actio intellectus, secundum quam componit et dividit affirmando et negando.“[2]

Iudicium formale (vel iudicium sic dictum simpliciter) est, quum convenientia vel discrepantia ipsa ope cuiusdam abstractionis et collationis percipitur perceptaque factae pronuntiationis causa est. Quod abstractionis negotium, quum a solo intellectu peragi possit, efficit, ut hoc iudicium etiam intellectuale vocetur.

A perfectione iudicii formalis deficit illud, quod iudicium virtuale vocant, vel apprehensivum, quo per solam quandam apprehensionem complexam aliquid verum esse percipitur imperfecte; vel quum convenientia vel disconvenientia duorum percipitur, quae solis sensibus sive externis sive in-

---

[1] „Dicendum, quod nomen iudicii, quod secundum primam impositionem significat rectam determinationem iustorum, ampliatum est ad significandum rectam determinationem in quibuscumque rebus, tam in speculativis quam in practicis.“ S. Thom., Summ. theol. II. II. q. 60 a. 1 ad 1. Apud veteres dialecticos vox iudicii doctrinam significat accommodandi argumenta inventa ad efficiendam conclusionem. Cfr. Fonseca, Dial. p. 328.

[2] Quaest. disput. q. 14 de verit. a. 1. Cfr. Arist. l. 8 met. c. 10, 1051 b, 1 sqq. Nunquam dixit Aristoteles, se intelligere compositionem eorum, quae re separata sint. Unde immerito ab aliquibus in reprehensionem est tractus. Ita a Sigwart, Log. I. § 14 p. 78, 79; § 21 p. 126. Inter hanc autem, quam dicunt compositionem intellectus et compositionem rei, discrimen magnum est. „Nam ea, quae componuntur in re, sunt diversa; compositio autem intellectus est signum identitatis eorum, quae componuntur. Non enim intellectus sic componit, ut dicat, quod *homo est albedo,* sed dicit, quod *homo est albus,* i. e. habens albedinem; idem autem est subiectum, quod est homo, et quod est habens albedinem.“ S. Thom., Summ. theol. I. q. 85 a. 5 ad 3.

ternis sunt cognita, velut quum mente dico: *Qui venit ibi, est Petrus;* vel: *Pluit, fulgurat* [1].

Haec iudicia sensus vocantur vel etiam iudicia naturalia, quatenus ea in omni vivente sensitivo post habitas sensationes internas vel externas a natura determinantur; ita etiam agnus iudicat, lupum esse fugiendum, vel canis piscem, quem in aqua videt, eo loco esse iudicat, quo ipsi apparet. Qua de re Aquinas: „Recte consideranti apparet, quod, per quem modum attribuitur motus et actio corporibus naturalibus inanimatis, per eundem modum attribuitur brutis animalibus iudicium de agendis; sicut enim gravia et levia non movent seipsa, ut per hoc sint causa sui motus, ita nec bruta iudicant de suo iudicio, sed sequuntur iudicium sibi a Deo inditum, et sic non sunt causa sui arbitrii, nec libertatem arbitrii habent." [2] Quum haec iudicia sensus sint quaedam iudiciorum formalium deficiens imitatio vel potius inchoatio, omnia in iis aliqua ratione inveniuntur, quae iudiciorum illorum sunt propria. Nobis hoc loco de solis iudiciis formalibus, sive intellectualibus agendum est.

Est igitur, de quo agitur, iudicium actus, quo mens non solum res rerumque affectiones in concreto apprehensas coniungit, sed praeterea super habitas perceptiones quasi reflectitur harumque perceptionum cum perceptis obiectis conformitatem vel discrepantiam interveniente comparatione videt arbitrique instar pronuntiat: Res ita est, ut cognosco. Quod iudicandi genus Aristoteles prae oculis habuit, quum diceret: „Est in appetitu prosecutio et fuga id, quod est affirmatio et negatio in mente." [3]

Et illud iudicium formale est proprium et omnino perfectum, in quo aliquod subiectum praedicato abstracto universalique subesse edicitur. Id logicum etiam vocant vel praedicativum vel subsumptivum [4].

A quo nonnihil deficit illud, quod identicum vocant, in quo praedicatum quiddam singulare est; et iudicium aequalitatis, quod saepissime occurrit in disciplinis mathematicis; atque etiam illud, quod pure manifestativum vel indicativum vocari

---

[1] *„Pluit"* et alia eius generis iudicia vocantur „impersonalia" vel „subiecto carentia". Qua de re Wundt: „Dieser Name ist offenbar unrichtig; denn es fehlt jenem Urtheile keineswegs das Subject, sondern dieses ist nur unbestimmt gelassen." (Logik, tom. I. p. 155.) Paulo aliter Heyse: „Das ‚es' ist hier nicht wirkliches Subject, sondern nur formeller Vertreter des fehlenden Subjects, welches in Wahrheit vielmehr in dem Verbum oder Adjectiv (oder Substantiv) selbst liegt. ‚Es regnet' ist soviel wie ‚das Regnen ist'; ‚es ist kalt' soviel wie ‚das Kalt (die Kälte) ist'; ‚es gibt einen Gott' soviel wie ‚Gott ist'." Deutsche Schulgrammatik. 20. Aufl. p. 249.

[2] Quaest. disp. q. 24 de verit. a. 1.

[3] L 6 eth. Nic. c. 3.

[4] Id a iudicio „subsumptivo" Kantianorum omnino diversum est; qui intelligunt subsumptionem pure conceptualem, plane omittentes eam, quae sit re sive in rebus.

potest, quod solummodo enuntiandum factum quoddam (vel narrando, vel describendo, vel solum indicando) intendit, velut si quis dicit, *se capite dolere,* vel *Lessing natum esse anno 1729,* vel *pluere.* A logico potissimum attendendum est iudicium illud perfectum, quod subsumptivum vel praedicativum vocavimus.

265. **Elementa logica iudicii.** Illud, de quo aliquid in iudicio affirmatur vel negatur, subiectum dicitur. Praedicatum, quod nonnumquam attributum vocant, illud est, quod de subiecto edicitur.

Si quis subiectum cum praedicato ratione comprehensionis et extensionis in iudicio proprio sive logico comparare velit, in praedicato, quod de subiecto ut de suo inferiore enuntiatur, ut plurimum maiorem extensionem inveniet; in subiecto contra maiorem comprehensionem, quum praedicatum esse soleat nota, quae simul cum aliis notis in subiecto insit. Quae regula ad iudicium identicum extendi non potest, velut quum dico: *Animal est vivens sensitivum;* in quo comprehensio et extensio aequales sunt. Patet quoque, hanc regulam non valere de iudiciis negativis, velut quum dico: *Homo non est leo.*

Ipsa mentis iudicantis operatione praedicatum aut affirmatione cum subiecto componitur, aut negatione a subiecto dividitur, prout a parte rerum aut adest identitas aut adest diversitas. Quoniam autem haec mentis enuntiatio verbo substantivo „esse“ exprimitur, quod instar copulae inter praedicatum et subiectum, sive explicitum sive implicitum, interiacet, haec vocula „est“ significat iudicii formam; subiectum autem et praedicatum sunt iudicii materia. Iudicii quantitas petitur ab eius extensione ad subiecta sive plura sive pauciora.

Scholion 1. Verbum „esse“ nuncupatur verbum substantivum, quia ex se ipsum essendi actum substantialem exprimit; reliqua autem verba, quia actum essentiae adiacentem indicant, verba adiectiva vocari solent.

Scholion 2. Copula etsi secundum significandi modum tempore praesenti praeterito vel futuro poni potest, semper tamen respectum ad tempus praesens includit, quatenus exprimit iudicium enuntiantis. Id si respicitur, relatio temporis praeteriti vel futuri, quae in verbo connotatur, ad praedicatum trahenda est.

Scholion 3. Si praedicatum ad subiectum in casu nominativo refertur, praedicatio dicitur in sensu recto; si in casu genitivo vel dativo vel ablativo vel cum praepositione postulante accusativum est positum, praedicatio est in sensu obliquo. Quodsi praedicatum in nudo casu accusativo reperiatur, alii praedicationem ad sensum rectum trahunt, alii melius ad sensum obliquum.

Scholion 4. Observandum de cetero est, obiecta iudicii non ipsas mentis conceptiones esse, spectatas in seipsis, sed res, quae conceptibus exprimantur. Qui *vulpem* astutam iudicat, non conceptiones coniungit, sed coniungendo conceptiones ipsam vulpem extra mentem existentem affirmare vult esse astutam.

Scholion 5. Compositio illa, quae in iudicio locum habet, in anima est ut in causa efficiente; et in enuntiatione ut in signo manifestante; et in rebus extra animam positis ut in causa, quae mentem ad eam efficiendam determinat.

Scholion 6. Errant, qui „verbum" ad iudicium requiri negant eo, quod duarum rerum convenientia etiam omisso omni „verbo" significari possit, velut quum quis diceret: *virtus amabilis* [1]. Namque ad iudicium actio requiritur intellectus unum cum alio per modum assensus coniungentis, cuiusmodi coniunctio nonnisi verbo exprimi potest.

Scholion 7. Ad iudicium non solum subiectum et praedicatum spectant, sed simul omnia, quae a iudicante aut per se subintelliguntur, aut expressa adiiciuntur.

Scholion 8. In iudiciis, praecipue autem in iudiciis pure indicativis, omnino ad temporis rationem attendi debet, quae in praedicato exprimitur. Quae aut ad „quando" referri potest, aut ad „durationis modum" [2]. „Quando" refertur aut ad praeteritum, aut ad praesens, aut ad futurum. Modus autem durationis aut inceptionem significat, aut ipsam durationem aut perfectionem (quae res in linguis Semiticis, et aliquatenus etiam in lingua Graeca et Sanscritica ipsis formis grammaticis exprimitur; in recentioris aetatis linguis ut plurimum adverbiis significari solet [3]).

Scholion 9. Subiectum quod attinet, ab homine, qui cogitare incipit, illius loco semper ponitur substantia concreta singularis: „Istud, quod ibi percipio"; deinde ad substantias specificas, et tandem generatim ad notiones abstractas ascenditur, velut: *Populos miseros facit peccatum.*

266. **Quae ad iudicium requirantur.** Quum iudicium sit actus, quo mens duos conceptus aut affirmatione coniungit aut negatione separat, consequens est primo, ut ad iudicium requirantur duae apprehensiones, subiecti altera, altera praedicati. Secundo ipsum iudicii actum comparatio quaedam praecedere debet subiectum inter et praedicatum; quum enim qui iudicat, praedicatum subiecto inesse aut non inesse pronuntiet, prius facta comparatione convenientiam vel discrepantiam perspicere debet. Tertio denique venit ipsa huius convenientiae vel discrepantiae perspicientia. Quae perspicientia si clara et perfecta est, iam est illa coniunctio vel divisio, quae ad constituendum iudicium per se satis est. Quis enim convenientiam inter circulum et rotunditatem clare perspicere possit, nisi eo ipso mente cum assensu et aliqua ratihabitione circulum esse rotundum proferat?

---

[1] Balmes, Elem. philos. l. 3 c. 2.

[2] „Zeitstufe und Zeitart"; cfr. Curtius, Erläuterungen zur griechischen Schulgrammatik. Prag, edit. 3. p. 179.

[3] „Ut plurimum" dicimus. Sunt enim etiam inter recentiores linguae, in quibus distinguunt verbum singulare, iterativum vel continuativum, frequentativum, perfectivum, imperfectivum, aoristicum. Cfr. Ioel, Gramm. Polon. et Russiac.

Est autem extra dubium positum, hominem natura duce ad perspicientiam, in qua iam iudicii rationem contineri diximus, assensum saepissime addere, qui sit actus distinctus intellectus cum reflexa quadam ratihabitione illi rei adhaerentis, cui assentiatur. Qui assensus in multis rebus imperio voluntatis subiicitur. Quum enim voluntas bonitate moveatur, quae in qualibet cognitione sita est, et praeterea etiam alia bonitate multiplici, quam haec vel illa cognitio habet respectu finis alicuius, cui voluntas iam inhaeret vel saltem favet, facile fieri potest, ut voluntas intellectum dirigat ad attendendum quibusdam rationibus, ad negligendum alias, eumque ita ad assensum plenum adducat.

Scholion 1. Quae diximus, iudicia spectant in suo genere absoluta. Sunt enim iudicia quaedam admodum aperta et primitiva, quae ab hominibus per modum apprehensionis habentur sine ulla comparatione, velut quum quis mente dicit: *Ego existo;* vel: *Quidquid est, est.* Quae iudicia, si, ut assolet, sine reflexione fiunt, iudiciis apprehensivis vel virtualibus annumeranda sunt.

Scholion 2. Ex indole naturae rationalis consequens est, ut iudicanti nunquam affirmare vel negare quidpiam liceat, nisi quatenus conformitatem vel discrepantiam extremorum perspectam habeat. Unde pro rectitudine iudicii ad rem haec regula statuta est: Identitas extremorum nunquam affirmanda est aut neganda, nisi quatenus adesse vel abesse percipitur.

Scholion 3. Errant, qui iudicium non ad perspicientiam, de qua diximus, reducunt, sed pro motivo illi caecum naturae instinctum vel credulitatis actum assignant et ideo iudicia perceptionibus omnibus anteire docent.

Scholion 4. Assensus, qui in iudicio inest vel iudicium consequitur, quum ex natura sua circa verum et falsum versetur, semper actus intellectus est, licet ex consentiente voluntate aliquo modo possit oriri (n. 134). Voluntas enim et attentionem intellectus suo imperio dirigere potest, et in multis rebus assensum ipsum ab intellectu eliciendum imperare. Qua de re S. Thomas his fere verbis: Intellectus nostri duplex est operatio: una, qua format simplices rerum quidditates, alia, secundum quam componit et dividit affirmando et negando. Non autem invenitur assensus in prima operatione, sed in secunda. Intellectus, quantum est de se, non magis determinatus est ad hoc, quod adhaereat compositioni quam divisioni. Omne autem, quod est determinatum ad duo, non determinatur ad unum eorum, nisi per aliquid movens ipsum. Intellectus autem non movetur nisi a duobus, a perspicientia videlicet et a voluntate, quae movet omnes alias vires. Itaque intellectus noster in rebus iudicandis vario modo se habere potest. Fieri enim potest, ut non magis ad unum inclinetur quam ad aliud sive propter defectum moventium, sicut in problematis contingit, de quibus rationes nullas habemus, sive propter apparentem aequalitatem eorum, quae ad utramque partem movent, quae est dubitantis dispositio, qui inter duas partes oppositas fluctuat. Fieri etiam potest, ut intellectus magis ad unum quam ad alterum inclinetur, neque tamen satis inclinans illud intellectum ita movet, ut ipsum in partem alterutram totaliter determinet. Unde unam partem accipit quidem, dubitans tamen semper de opposita, quae dispositio opinantis

est, qui unam partem accipit cum formidine alterius. Sed fieri potest, ut intellectus determinetur ita, ut uni parti totaliter adhaereat. Sed hoc aut a re fit, quae sive immediate sive interveniente discursu est intellecta, aut a voluntate. Quando enim res intellecta per se non satis sit, ut intellectum ad firmiter uni parti adhaerendum determinet, voluntate determinari potest, quatenus haec eligit, assentire uni parti determinate et praecise propter aliquid, quod est satis ad movendum voluntatem, non autem ad movendum intellectum, utpote quia bonum videtur et conveniens, huic parti assentire; et ista est dispositio „credentis", ut quum aliquis dictis alicuius hominis credit, quia videtur decens et utile [1]. Observandum tamen est, eius generis actum „credendi", quamvis pro motivo habeat aliquam bonitatem, cui voluntas imperantis assensum inhaereat, tamen supponere, motiva credibilitatis a ratione credentis perspecta esse, quae ad movendum intellectum hominis rationalis satis sint. Sed id tamen iam hoc loco declarare voluimus, actum iudicii per se non esse actum fidei.

Scholion 5. Ex modo disputatis elucet, iudicium ex parte materiae esse rem compositam, ex parte autem mentis iudicantis esse actum simplicem. Est enim ipsa affirmatio sive adhaesio, vel quaedam assensionis species, quae in simplici actu perspicientiae motivi est sita.

267. **Iudicii nomina varia.** Haud raro iudicandi actus etiam compositio et divisio vocatur ratione conceptionum, quae sunt iudicii materia et actu iudicantis aut componuntur aut dividuntur [2]. Appellatur quoque affirmatio et negatio, idque ratione identitatis aut diversitatis, in quam tendit affirmatio ut in iudicii obiectum. Dicitur assensus mentis ratione veritatis apprehensae, quae est motivum, quo mens ex sua natura ad affirmandum trahitur. Vocatur mentis adhaesio, quia mens iudicando veritati cognitae adhaeret.

§ 2.

De variis iudiciorum partitionibus.

268. **Divisio ex parte perfectionis.** In unaquaque re naturali composita philosophi quattuor potissimum solent attendere: materiam, ex qua res sit, vel in qua versetur; formam, qua ad aliquid essentialiter determinetur; qualitates, quibus potius accidentaliter determinetur; quantitatem, qua magis minusve extendatur. Simili modo in iudicio, quod est compositum quiddam rationis, haec quattuor possunt considerari. Qualitates autem iudicii aut ex motivo trahuntur aut ex perfectione.

---

[1] S. Thom., Quaest. disput. q. 14 de veritate a. 1.

[2] Ἔστι δὲ εἷς πρῶτος λόγος ἀποφαντικὸς κατάφασις, εἶτα ἀπόφασις. (Arist., De interpr. c. 5, 17 a, 8.) — Κατάφασις δέ ἐστιν ἀπόφανσίς τινος κατά τινος. Ἀπόφασις δέ ἐστιν ἀπόφανσίς τινος ἀπό τινος. L. c. c. 6, 17 a, 25.

Ratione perfectionis est, ut iudicia sint aut vera aut falsa[1] (n. 104). „Quum enuntiatur, aliquid esse vel non esse secundum congruentiam rei, est oratio vera; alioquin est oratio falsa. Sic igitur quattuor modis potest variari enuntiatio. Uno modo, quia id, quod est in re, enuntiatur ita esse, sicut in re est, quod pertinet ad affirmationem veram, puta quum *Socrates currit* et dicimus, Socratem currere. Alio modo, quum enuntiatur, aliquid non esse, quum non est; quod pertinet ad negationem veram, ut quum dicitur: *Aethiops non est albus.* Tertio modo, quum enuntiatur, aliquid esse, quod in re non est; quod pertinet ad affirmationem falsam, ut quum dicitur: *Corvus est albus.* Quarto modo, quum dicitur, aliquid non esse, quod in re est; quod pertinet ad negationem falsam, ut quum dicitur: *Nix non est alba.*“ [2]

Et in hoc Aristoteles indolem iudicii et eius, qua iudicium exprimitur, orationis enuntiativae collocat, quod veritatem falsitatemve continet[3]; veritatem enim et falsitatem non in rebus esse docet, sed in iudiciis[4]. Nunquam autem fieri potest, ut idem iudicium verum simul et falsum sit.

Scholion. Sunt qui dicant, iudicia certi cuiusdam generis simul posse esse vera et falsa; quando videlicet iudicii veritas non solum a realitate rei affirmatae pendeat, sed etiam contra realitas haec rei affirmatae propter existentiam iudicii mutari possit, iam fieri posse, ut iudicium verum sit simul et falsum. Cuius rei exemplum afferunt Epimenidis Cretensis, qui Cretenses omnes nunquam non dicere mendacium dixerit [5]. Verum in hac enuntiatione duo latent iudicia, quorum primum respicit omnia Cretensium iudicia, non tamen ipsum iudicium, quod actu profertur. Et postquam hoc positum est, etiam ad hoc, quod profertur, extendi potest. Posito igitur, quod iudicium prius verum est, hoc secundum falsum est, et contra, si hoc verum est, illud est falsum [6]. Similiter de omnibus illis iudiciis dicendum est, ex quorum veritate videatur sequi eorundem falsitas et contra. Velut quum quis iuraverit, se permansurum

---

[1] Ἐν οἷς καὶ τὸ ψεῦδος καὶ τὸ ἀληθές, σύνθεσίς τις ἤδη νοημάτων ὥσπερ ἓν ὄντων (l. 3 de an. c. 6, 430 a, 27 sqq.). Περὶ γὰρ σύνθεσιν καὶ διαίρεσίν ἐστι τὸ ψεῦδός τε καὶ τὸ ἀληθές. Τὰ μὲν οὖν ὀνόματα αὐτὰ καὶ τὰ ῥήματα ἔοικε τῷ ἄνευ συνθέσεως καὶ διαιρέσεως νοήματι, οἷον τὸ ἄνθρωπος ἢ τὸ λευκόν, ὅταν μὴ προστεθῇ τι· οὔτε γὰρ ψεῦδος οὔτε ἀληθές πω. Σημεῖον δ'ἐστὶ τοῦδε· καὶ γὰρ ὁ τραγέλαφος σημαίνει μέν τι, οὔπω δὲ ἀληθὲς ἢ ψεῦδος, ἐὰν μὴ τὸ εἶναι ἢ μὴ εἶναι προστεθῇ ἢ ἁπλῶς ἢ κατὰ χρόνον. De interpr. c. 1, 16 a, 12.

[2] S. Thom. in l. 1 periherm. lect. 9.

[3] Λόγος ἀποφαντικὸς οὐ πᾶς, ἀλλ' ἐν ᾧ τὸ ἀληθεύειν ἢ ψεύδεσθαι ὑπάρχει. De interpret. c. 4, 17 a, 2; cfr. de an. c. 6 et alibi passim.

[4] Οὐ γάρ ἐστι τὸ ψεῦδος καὶ τὸ ἀληθές ἐν τοῖς πράγμασιν, ἀλλ' ἐν τῇ διανοίᾳ (l. 5 met. c. 4, 1027 b, 25); et: ἡ συμπλοκή ἐστι καὶ ἡ διαίρεσις ἐν διανοίᾳ, ἀλλ' οὐκ ἐν τοῖς πράγμασιν. Ibid. 1027 b, 29.

[5] Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται. [6] Cfr. Ueberweg, System der Logik § 77.

ieiunum, donec aliquem audierit falsum dicentem; veniat autem amicus, qui eum alloquatur: Amice, satis ieiunasti. Haec sententia, si vera est, falsa esse videtur; si autem falsa, vera. Vel quum quis a rege praepositus sit custodiendo ponti, iussus, quemvis ex praetereuntibus falsum dicentem in fluvium proiicere; veniat autem aliquis custodem alloquens: Tu me proiicies in fluvium. Quae sententia iterum, si vera est, falsa est, et contra. Hae cavillandi rationes a veteribus Crocodilites vocabantur, quia crocodilum ferunt aliquando hoc iudicio usum fuisse alloquentem mulierem, cuius filium rapuerat. „Si verum dixeris, reddam tibi filium“; mulierem autem respondisse: „Non reddes“. In quo responso eadem ambiguitas cernitur. Et haec quidem iudicia (falsificantia vocant) si quis accurate inspicere velit, alia ratione vera sunt, alia falsa [1].

Deinde iudicia sunt certa aut incerta, prout mens iudicatae veritati sine ulla errandi formidine adhaeret aut cum aliqua haesitatione.

Praeterea sunt aut prudentia aut temeraria, prout mens solido motivo ducitur, aut levi vel parum perpenso.

269. **Divisio ex parte motivi.** Ita dividuntur iudicia in necessaria et libera. Necessarium est illud, in quod intellectus fertur evidenti intuitu, rem ita esse et aliter esse non posse. Liberum illud est, a quo mens abstinere potest propter evidentiae defectum et vim voluntatis, velut quum quis iudicat: *Iucundius est, studio philosophiae navare operam quam rhetoricae.*

Deinde iudicia aut immediata sunt, aut mediata. Immediatum est iudicium, quod ex ipsa comparatione extremorum immediate nascitur; mediatum est, quum identitas extremorum vel discrepantia cognosci non potest, nisi ope ratiocinii.

Praeterea iudicia aut analytica sunt, aut synthetica. Analytica sunt, quum ex ipsorum extremorum analysi eruitur ratio, ob quam extrema componi vel dividi necessario debeant. Haec igitur iudicia „analytica“ vocantur non ideo, quod semper per simplicem subiecti analysim notitiam praedicati invenire possimus,

---

[1] Illud „Amice, satis ieiunasti“ proxime respicit tempus hanc locutionem praecedens, et sic est falsum. Consequenter ad hanc locutionem falsam amicus cibum sumere potest. Et quia iam locutio altera quadam et consequente significatione extenditur ad tempus subsequens, quo cibum sumere licet, secundum hanc vim locutio est vera. Propter illud „Tu me proiicies in fluvium“ non licet custodi hominem mittere in fluvium, et sic locutio simpliciter falsificatur. Sed haec falsitas consequitur ad ipsam executionem rectam mandati regii, quare haec falsitas sub mandato non cadit. — Similiter propter illud „Non reddes“ crocodilus non tenetur reddere filium, et sic locutio mulieris simpliciter verificatur. Sed haec veritas consequitur ex ipso pacto, quare sub pacto non comprehenditur. Atque ita lis diiudicanda est, tamquam si nil dictum esset.

sed ideo, quod per hanc analysim semper causam aperire possumus, cur huic subiecto hoc praedicatum tribuatur, sive, quod idem est, quia per solam analysim subiecti et praedicati rationem nostri iudicii reddere possumus[1].

Synthetica sunt, quum in ipsis extremis non inest ratio, cur iudicia componantur vel dividantur; sed haec ratio externa est et petita ex sola experientia vel auctoritate. Analytica iudicia sunt: *Circulus est rotundus. Homo est animal. Totum est maius sua parte. Bis bina sunt quattuor. Mundus a Deo creatus est.* Synthetica sunt: *Circulus est viridis. Homo est aegrotus. Corpus est rotundum. Plumbum gravius ferro est.*

Itaque iudicia analytica in materia necessaria vel impossibili sunt, quia res, de qua iudicatur, aliter se habere non potest. Vocantur absoluta, quia a nulla conditione pendent, nec ullam exceptionem admittunt; dicuntur pura, rationalia, metaphysica, quia in ordine ideali sua fundamenta habent et experientiam omnem antevertunt. Iudicia vero synthetica in materia contingenti versantur; et vocantur contingentia, empirica sive experimentalia, hypothetica, physica, quia in sola experientia fundantur nec ulla ratione alterum extremorum ex se rationem praebet, cur cum altero componi vel ab eo dividi debeat, et hinc res, de qua agitur, absolute aliter esse potest.

Scholion 1. Iudicia si in se spectantur, omnia sunt synthetica[2]. Constituuntur enim subiecti et praedicati synthesi, et subiecti quidem, quod secundum explicitam vocis vel cogitationis significationem respectu praedicati indeterminatum quid est[3]; et praedicati, quod subiecto determinationem addit secundum apertum saltem significandi modum. Iudicia autem in analytica et synthetica distinguuntur, quum spectatur eorum origo et ratio, ob quam intellectus synthesim inter praedicatum et subiectum facit[4].

Scholion 2. In hac iudiciorum in analytica et synthetica divisione subiectum, ut quivis videt, secundum suum dumtaxat conceptum attenditur, non autem secundum statum, quem ipsi de facto accidere per experientiam apprehenditur. Unde errat Beneke, qui hanc divisionem ideo reiicit, quod iudicia

---

[1] Cfr. Kleutgen, Philosophie der Vorzeit n. 300.

[2] Σύνθεσις νοημάτων ὥσπερ ἓν ὄντων. Arist. l. 3 de an. c. 6, 430 a, 27.

[3] Id dicimus obloquente Sigwart, Logik, tom. 1 p. 103 in annot.

[4] Dicit Sigwart: „Alle unmittelbar aus den in ihnen verknüpften Vorstellungen entstandenen Urtheile sind analytisch; alle diejenigen, welche noch einer weitern Voraussetzung bedürfen, um Subject und Prädicat zu verknüpfen, sind synthetisch. Ob ein Urtheil in diesem Sinne analytisch oder synthetisch ist, kann niemals (? ?) an seinem Wortlaute abgenommen werden, sondern hängt immer (? ?) von individuellen Voraussetzungen ab.“ Logik, tom. 1 p. 101.

omnia necessario sint analytica, quibus quidem in multis rebus aliqua synthesis inter subiectum ipsum et aliquem eius statum accidentalem antecedere possit [1].

Scholion 3. Omnia ergo iudicia immediata, quae non sunt empirica, sunt analytica. Si enim nulla est experientia sensilis, qua praedicatum subiecto inesse ostendatur, intellectus praedicatum cum subiecto coniungere non potest, nisi in ipsis rerum conceptibus rationem videat, ob quam iudicium fieri possit. Hanc autem videre non potest nisi per analysim. At, inquies, videre potest per solum mentis intuitum. Respondeo: Aut intuitum intelligis, qui feratur in rerum realitatem, ėt tum intuitus erit analyticus. Aut intelligis intuitum pure subiectivum, i. e. aliquam mentis operationem, quae in rerum realitate nulla fundamenta, nullam rationem habeat: et intuitus tuus fictus erit et imaginarius. At, dices, sunt tamen iudicia immediata, quae neque experientia nituntur neque analysi, cuius generis sunt haec: *Quidquid fit, sui causam habet;* vel: *In mutationibus corporeis nulla perit materiae quantitas;* vel: *In motus communicatione semper actioni aequalis est reactio;* vel: *Mundus initium habuit;* vel: $7 + 5 = 12$; vel: *Linea recta est omnium brevissima, quae inter duo data puncta duci possit.* Sed inspicienti tibi rem diligentius patebit, in his iudiciis rationem iudicandi aut ex experientia peti aut ex conceptibus analysi subiectis. Si prius, iudicia synthetica habes, si posterius, iudicia analytica.

Scholion 4. Non raro iudicia distinguuntur etiam in iudicia a priori (ab eo, quod est πρότερον φύσει) et a posteriori (ab eo, quod est ὕστερον φύσει). Verum haec iudiciorum distributio ab aliis aliter intellecta est. Apud Aristotelicos ea potius iudicia mediata, quae comparantur discursu, spectat, quam iudicia immediata, de quibus solis hic dicendum est. Apud quos cognitio rei „a priori" ea est, quae ex cognitis rei causis progreditur, velut quum *Deum esse immensum* ratiocinio aliquo cognitum habeo; et „a posteriori" ea, quae ex rei effectibus proficiscitur, ut quum quis ex existentia mundi *Deum existere* concludit [2].

---

[1] „Das eigentliche Subject des Urtheils ist nicht der Subjectsbegriff, sondern die ganze Subjectsvorstellung. Halten wir diess fest, so zeigt sich beim bejahenden Urtheile das Prädicat in jedem Falle im Subject enthalten: wie ich denn auch in der That nur unter dieser Bedingung berechtigt sein kann, ihm dasselbe beizulegen. In dem Urtheile: ‚dieser Kirschbaum blüht', habe ich vielleicht im Begriffe ‚Kirschbaum' nichts von demjenigen, was ich im Prädicat denke; aber ich darf dieses letztere doch nur aussagen, wo es in meiner Vorstellung (Wahrnehmung, Erinnerung etc.) des Kirschbaumes gegeben ist; und im Verhältniss zu dieser also ist das Urtheil nicht weniger ein analytisches als etwa das Urtheil: ‚Eisen ist Metall'." Beneke, System der Logik. I. p. 157.

[2] Has voces „a priori" et „a posteriori" primus adhibuit Albertus de Saxonia († 1390), quum scriberet: „Demonstratio quaedam est procedens ex causis ad effectum, et vocatur demonstratio a priori . . . alia est demonstratio procedens ab effectibus ad causas, et talis vocatur demonstratio a posteriori." (Cfr. Prantl, Geschichte der Logik. IV. 78.) Aristoteles iam universaliora vocaverat priora, et quae magis particularia sunt, posteriora. Albertus M. distinxerat cognitionem a causis sive per priora, et ab effectibus sive per posteriora. — Simili modo posteriore tempore Leibnizius cognitionem a priori et a

Inter quos effectus certe etiam experientia numeratur, quae a rebus in sensibus nostris internis vel externis effecta est.

Aliter Leibnizius, qui distinguit „prouver a priori par les démonstrations", et „a posteriori par les expériences". Quem secutus Wolff: „Utimur in veritate proprio Marte eruenda vel solo sensu, vel ex aliis cognitis ratiocinando nondum cognita: in priori casu dicimur veritatem eruere a posteriori, in posteriori autem a priori." [1]

Consimiliter Kant eam tantum cognitionem a posteriori vocat, quae sola experientia (sensili) nitatur; et omnem cognitionem aliam, sive ex cognitis causis sive ex cognitis effectibus procedit, vocat a priori, quatenus ea a nulla experientia pendet [2]. Is primus novum iudiciorum genus posuit. Quum

---

posteriori distinxit; at is causas intellexit non solum causas rerum, sed etiam causas cognitionis ipsius. Quas quum in ipso subiecto clare et distincte cognoscente, vel potius in dispositione aliqua subiectiva collocasset, induxit alios (Wolff, Baumgartner, Lambert), ut cognitionem a priori eam dicerent, quae ex sola activitate mentis originem haberet, omissa omni experientia. Ad rem B. Euken: „*A priori* und *a posteriori* bezeichnen im Mittelalter einen Gegensatz in dem Gange des Beweises; von Leibniz beginnt die in Kant abschliessende Umwandlung, damit die Verschiedenheit des Ursprunges unserer Einsichten auszudrücken." Geschichte der philosophischen Terminologie. Leipzig 1879. p. 196; cfr. p. 134.

[1] Logik § 663.

[2] Hac de re Trendelenburg: „Antiquitus ‚a priori demonstrare' nihil aliud significavit quam ex ipsis rei causis, quippe quae per se, Aristotele auctore, natura priores essent: ‚a posteriori' vero ex effectu, qui ipsa causa natura quidem esset posterior, sed nobis notior. . . . Quae vis et potestas ad saeculum superius mansit intacta; adhuc enim traditur in Iac. Facciolati institutionibus logicae peripateticae. Sed quum philosophiae quaestio a rebus ad cognitionis causas verteret atque, quid menti per se, quid experientiae deberetur, investigari coeptum esset: illud a priori, quod in ipsa mentis natura positum experientiam non solum antecederet, sed etiam efficeret, hoc a posteriori, quod ab experientia sola acceptum mentis notiones quasi primas sequeretur, constanter appellatum est. Ita quidem mathesis, quae ipsa spatii et temporis forma menti insita niteretur, cognitio a priori, historia contra tamquam rerum gestarum memoria, a posteriori dictae sunt. Sic vocabulorum usus graviter immutatus est. Cuius rei vestigia iam apud Humium deprehenderis. Mos autem Kantii potissimum auctoritate invaluit." (Elem. log. Arist. § 19.) Similiter Ueberweg: „Kant hat den Begriff a posteriori im Verhältnisse zu dem Aristotelischen ὕστερον φύσει verengt, indem er darunter nicht mehr die Erkenntniss aus den Wirkungen überhaupt, sondern nur noch aus einer Art von Wirkungen (nämlich aus der, unsere Sinne zu afficiren) versteht, und dem Ausdruck a priori eine ganz veränderte Bedeutung untergelegt (die aber seitdem die herrschende geworden ist), indem er damit nicht mehr den Gegensatz zu der Erkenntniss aus den Wirkungen, sondern den Gegensatz zu der Erkenntniss aus der Erfahrung bezeichnet. . . . Uebrigens hat der Kantianische Gebrauch jener Ausdrücke, der die heutige Terminologie beherrscht, mehr verwirrend als fördernd gewirkt. Kant's mystische Fiction eines schlechthin von der Erfahrung unab-

enim iudicia omnia analytica („Erläuterungsurtheile“) a priori esse doceat, inter iudicia synthetica („Erweiterungsurtheile“) distinguit alia, quae a posteriori sint, et alia, quae a priori petantur. Si igitur Kantio credimus, sunt iudicia, quae nullo modo analysi idearum nitantur neque ullo modo pendeant ab experientia, sed sint „a priori“ simul et „synthetica“ et nitantur in sola activitate quadam pure subiectiva.

270. **Divisio ex parte materiae.** Iudicia sunt aut in materia necessaria aut contingente aut impossibili. Iudicium fit in materia necessaria, quum de praedicato agitur, quod subiecto convenit necessario; est in materia contingente, quum praedicatum, quod de subiecto dicitur, vel adesse vel abesse potest; est in materia impossibili, quum praedicatum, de quo disputatur, subiecto convenire non potest[1].

Iudicium igitur in materia necessaria potest ipsum non solum non necessarium esse, sed simul falsum, velut quum dicis: *Homo non est rationalis.* Et potest esse in materia impossibili, et simul esse verum, velut quum dicis: *Homo non est avis.*

Scholion 1. Ad divisionem ex parte materiae revocari potest illa, qua nonnulli iudicia dividunt in iudicia pure indicativa (historica, descriptiva) et subsumptiva (quae subiectum sub praedicato universali subsumunt). De qua divisione quum mox breviter dicturi simus, hoc loco dicere satis sit, in logica iudicia indicativa fere omnino posse negligi, attendendum esse potissimum ad iudicia subsumptiva; quae propterea etiam logica vocantur.

Scholion 2. Hoc loco notanda etiam est differentia, quae est inter praedicationem per se, et praedicationem per accidens. „Quae enim sumuntur a diversis formis, praedicantur de invicem: vel per accidens, puta, quum dicimus: *album est dulce;* vel si formae sint ordinatae ad invicem, erit praedicatio per se in secundo modo dicendi per se, quia subiectum ponitur in definitione praedicati, sicut *superficies* praeambula est ad colorem. Si ergo dicamus, quod corpus superficiatum est coloratum, erit secundus modus prae-

---

hängigen ‚a priori‘ hat, zumal bei dem Mithineinspielen des älteren Sinnes, zahllose Unklarheiten und Paralogismen veranlasst, an denen die Kantische und fast unsere gesammte nachkantische Philosophie krankt. Der reinere Anschluss an Aristoteles wäre heilsam.“ System der Logik § 73.

[1] „Potest accipi divisio enuntiationum secundum materiam, quae quidem divisio attenditur secundum habitudinem praedicati ad subiectum. Nam si praedicatum per se insit subiecto, dicitur esse enuntiatio in materia necessaria vel naturali, ut quum dicitur: *Homo est animal;* vel: *Homo est risibilis.* Sin vero praedicatum per se repugnet subiecto, quasi excludens rationem ipsius, dicetur enuntiatio esse in materia impossibili sive remota, ut quum dicitur: *Homo est asinus.* Si autem medio modo se habeat praedicatum ad subiectum, ut scilicet nec per se repugnet subiecto nec per se insit, dicitur enuntiatio esse in materia possibili sive contingenti.“ S. Thom. in l. 1 periherm. lect. 13.

dicationis per se." [1] Si autem eadem forma est, ex qua ducitur ratio et in subiecto et in praedicato expressa, praedicatio fit per se primo. Ita quia una anima est, qua Socrates est animal et est homo, animal praedicatur de homine per se primo.

271. **Divisio ex parte formae.** Quarto loco iudicia respectu formae dividi possunt; et primo quidem in affirmativa et negativa. Quum enim mens aliquid alicui tribuit, iudicium affirmativum est (κατάφασις); quum autem aliquid ab aliquo seiungit, negativum (ἀπόφασις) vocatur. Qua in re mens a rerum natura pendet. Ideo enim extrema in iudicio coniungenda sunt aut dividenda, quia res ipsae rerumque affectiones aut coniunctae aut disiunctae sunt et sic esse conspiciuntur. Et affirmatio negatiove, quae in iudicio habetur, per se non extrema afficit, sed compositionem ipsam. „Quando negatio additur verbo in enuntiatione posito, negatio removet verbum ab aliquo et sic facit enuntiationem negativam. Non enim enuntiatio efficitur negativa nisi per hoc, quod negatur compositio, quae importatur in verbo." [2] Ex quo effatum: In propositione negativa negatio afficère debet copulam. Unde apparet, errare eos, qui iudicia omnia revera affirmativa esse censent[3].

Scholion 1. Non est dubium, quin negatio omnis ad aliquam, quam consequatur, affirmationem reduci possit. In omni enim iudicio sive affirmativo, sive negativo, qui iudicat, affirmat atque pronuntiat; rem ita se habere, sicut sit cognita.

Scholion 2. Vulgo dicunt, negationem „distribuere" simul subiectum et praedicatum, i. e. tribuere et subiecto et praedicato extensionem, quantum fieri possit, maximam; affirmationem vero distribuere (sive universalizare) subiectum dumtaxat. Verum haec, quae est ab affirmatione, distributio, tum solum valet, quum iudicium est in materia necessaria, et subiectum omni signo coarctante caret.

Scholion 3. Haec, quam indicavimus, divisio ipsam formam sive essentiam iudicii afficit, ita ut affirmatio et negatio sit iudicii qualitas essentialis. Qua de re S. Thomas: „Divisio in affirmationem et negationem est divisio generis in species, quia sumitur secundum differentiam praedicati, ad quod fertur negatio;

---

[1] S. Thom., Summ. theol. I. q. 76 a. 3. Cfr. in l. 1 anal. post. lect. 9; in l. 5 met. lect. 7; Alamanni, Summ. phil. I. q. 3 a. 3.

[2] In l. 2 periherm. lect. 1; cfr. Trendelenburg, Log. Untersuch. II. p. 279.

[3] Inter quos praecipui: W. Hamilton, Lectures on Logic. 3. edit. I. 251 sqq. Sigwart, Logik. I. p. 119 sqq. Quorum prior copulam distinguit duplicem, unam affirmativam, negativam alteram. Sigwart censet, particula „non" novum iudicandi actum significari, qui ad iudicium positivum accedat ad tollendam relationem praedicativam in copula expressam. („Die Copula ist nicht Träger, sondern das Object der Verneinung; die Verneinung ist ein Urtheil über ein Urtheil.") Censet igitur eum, qui iudicet, *animalia bruta non instituere academias,* primo iudicasse, has ab illis institui.

praedicatum autem est pars formalis enuntiationis; et ideo huiusmodi divisio dicitur pertinere ad qualitatem enuntiationis, qualitatem, inquam essentialem, secundum quod differentia significat quale quid.“ [1]

Scholion 4. In iudicio igitur negativo negatio fertur ad removendum praedicatum a subiecto. Si negatio ita ad praedicatum fertur, ut hoc negativum evadat, iudicium manet affirmativum. Ita iudicia: *Homo est non-mortalis,* vel: *Non-homo est mortalis,* sunt affirmativa, sed propter negationem vaga sunt sive infinita [2]. Si particula „non“ subiectum afficit (ὄνομα ἀόριστον), iudicium dicitur infiniti subiecti; si praedicatum (ῥῆμα ἀόριστον), infiniti praedicati vocatur [3]. Et particula „non“ merito malignitatis accusatur eo, quod semper id destruit, cui praeponitur.

272. Praeterea iudicia ratione formae dividuntur in categorica et hypothetica. Categoricum est, quod constat ex subiecto et praedicato tamquam partibus principalibus et copula tamquam unione. Hypotheticum est, quod constat ex pluribus iudiciis tamquam partibus principalibus aliqua unione unitis; ut est Horatianum illud: *Latius regnes avidum domando spiritum, quam si Libyam remotis Gadibus iungas et uterque Poenus serviat uni.* Si quaeratur, quae sit differentia inter iudicium categoricum et hypotheticum, dicendum est:

1° Iudicium categoricum habet subiectum et praedicatum partes sui principales, velut: *Homo est animal.* Hypotheticum duas partes habet, quae in se sunt categoricae, velut: *Si homo est, animal est;* vel: *Si homo currit, homo movetur.* Ex quo apparet, categoricum esse iudicium unum simpliciter; hypotheticum esse iudicium coniunctione unum. Et illud etiam intelligitur, hanc divisionem esse analogi in sua analogata.

2° Altera est differentia, ut in categoricis subiectum nomen praedicati in se suscipiat, ita ut vere aliquid de aliquo praedicetur, aliquid subiecto simpliciter tribuatur vel negetur. Contra in hypo-

---

[1] In l. 1 periherm. lect. 10. [2] Arist., De interpret. c. 3, 16 b, 12.

[3] Sunt, qui de iudiciis sive propositionibus „infinitis“ dicant. (Ita Wolff, Reimarus [Vernunftlehre § 151].) Sed ex dictis colligitur, hanc dicendi rationem minus accuratam esse. — Kant eo loco, quo iudicia distinguit ex qualitate, ponit affirmativa, negativa, infinita sive limitativa. (Kritik der reinen Vernunft § 9—11; Proleg. § 21; Log. § 22.) In qua re ad tres animadvertit a se positas categorias qualitatis (quae sunt realitas, negatio, limitatio). Et limitativa sive infinita ea ducit esse, in quibus negatio non copulam, sed praedicatum afficit; omittit ergo iudicia, quae infiniti subiecti sunt. — Hegel (Log. III. p. 89, 90) nova omnino vocis notatione iudicia infinita vocat ea iudicia negativa, in quibus praedicata omni genere a subiectis diversa sunt, velut: *Spiritus neque est acidus, neque mensa, neque ruber.* — Wundt negat, esse posse iudicia infiniti subiecti vel infiniti praedicati.

theticis unum de altero non praedicatur simpliciter, sed tantum dicitur, aliquid esse, si alterum fuerit[1]; neque aliud quid ponitur nisi affirmationis negationisve unius ab altera dependentia. Unde iudicium categoricum a nonnullis etiam praedicativum vocatur, hypotheticum vero suppositivum. Alii inhaesionis et connexionis iudicia distinguunt[2].

3° Tertia est differentia, quod in iudicio categorico potius exprimitur inhaerentia quam causalitas; in hypothetico potius causalitas quam inhaerentia. In categorico exprimitur identitas, in hypothetico cohaerentia. In categorico affirmatur factum; iudicium hypotheticum vero est potius effectus quidam reflexionis ontologicae. Iudicium categoricum existentiam subiecti indicat, si non realem et physicam, saltem logicam in mente; iudicium autem hypotheticum a consideratione huius existentiae mentem omnino avocat[3].

Scholion 1. De iudiciis categoricis quaesitum est, utrum involvant etiam iudicium de subiecti existentia necne. Si quis igitur dicit: *Deus est iustus;* vel: *Neptunus fuit deus maris,* affirmabitne is implicite, Deum esse, an in ea tantum est sententia: *Si Deus est, est iustus?* Sunt qui negent, unquam iudicium de subiecti existentia cum iudiciis, de quibus diximus, coniunctum esse posse[4]. Sed potius contra dicendum est, iudicia categorica ex natura sua indicare etiam realem subiecti existentiam, deinde autem ex consuetudine effectum esse, ut saepenumero hic ad realem subiecti existentiam respectus omnino omittatur. Vis igitur iudicii ex natura subiecti pendet, de quo dicitur, et inde mens iudicantis interpretanda est.

Si usum hominum et consuetudinem spectemus, hae retineri possunt regulae: 1° Iudicium in materia necessaria vel impossibili existentiam subiecti vel praedicati absolute affirmare non solet, sed solum affirmat, praedicatum subiecto convenire aut repugnare, si illud existat. 2° Iudicium affirmativum in materia contingenti, si habet praedicatum reale (non mere intentionale, cuiusmodi est v. g. „*cognitus*“), affirmare solet non solum praedicati cum subiecto identitatem, sed etiam subiecti et praedicati existentiam. At si subiectum universale est, non affirmat absolute illius secundum totam suam latitudinem exsistentiam. 3° Iudicium, quod indicat causam eventus in materia contingenti *(Fles, quia vapulas)*, affirmare solet non solum dependentiam effectus a causa, sed etiam causae et effectus existentiam pro tempore in copula indicato. 4° Iudicium conditionale neque existentiam conditionis neque conditionati affirmat absolute; sed existentiam eatenus tantum affirmat, quatenus ea in nexu, qui est inter conditionem et conditionatum, involvitur[5].

---

[1] Ita fere auctor opusc. de log. Arist., quod est inter opusc. S. Thomae 48.

[2] Ita Drobisch, N. D. d. L. § 41 „Beschaffenheits-, Beziehungsurtheile“.

[3] De his differentiis extensius Trendelenburg, Logische Untersuchungen, edit. 3. tom. 2 p. 270 sqq.

[4] Ita Herbart, Einleitung in die Philos. §§ 53, 59 Anm.; Beneke, Log. I. p. 165; Drobisch, Log. ed. 3. § 55 p. 59 sqq.

[5] M. Mangold, S. I., Philosophia recentior. Monachii 1763. tom. 1 p. 21.

Scholion 2. Particula „si“, quae in iudicio proprie conditionali adhiberi solet, per se nexum causalem vel logicum significat, quo conditionatum pendet intrinsecus a conditione, non autem ipsam conditionis vel causae existentiam indicat; quod facile vides, si has duas sententias inter se comparare velis: *Quia peccas, puniris* et *Si peccas, puniris.* Unde ubicumque est aliqua interna causalitatis dependentia, quae ut vim generalem habens iudicio est exprimenda, particula „si“ adhiberi potest. Etsi autem haec dicendi formula commodior est, rem tamen si spectes, in omnibus his rebus forma iudicii categorici adhiberi poterit. Unde non est tantum inter iudicium categoricum et hypotheticum discrimen, quantum ab aliquibus fingitur [1]. Qui inepte ARISTOTELEM reprehendunt, quod in libris logicis de iudiciis hypotheticis et de syllogismis hypotheticis parum dixerit.

Scholion 3. Ad iudicium hypotheticum revocatur iudicium disiunctivum et coniunctivum [2]. Proprie hypotheticum vel conditionale est iudicium, si praedicatio temperatur conditione per particulam „si“ vel „nisi“ vel „modo“ apposita. Est disiunctivum, si praedicatio eo temperatur, quod ex compluribus praedicatis oppositis subiecto unum competere affirmatur; est coniunctivum, si praedicatio eo temperatur, quod id unum statuitur, quae iudicantur praedicata simul subiecto inesse non posse, velut quum dicimus: *Nil potest moveri et quiescere.*

Scholion 4. Sunt etiam iudicia, quae speciem aliquam disiunctionis habent, nec tamen proprie disiunctiva sunt, velut quum dico: *Viventia in natura sunt aut plantae aut animalia bruta aut homines.* Quod iudicium in complura categorica resolvendum est: *Aliqua viventia sunt plantae et aliqua bruta animantia et aliqua homines.* Quapropter disiunctiva non sunt; et divisiva vocantur.

---

[1] WUNDT: „Die meisten euclidischen Axiome werden am angenehmsten in hypothetischen Urtheilen ausgedrückt: Wenn man Gleiches zu Gleichem zusetzt, so entsteht Gleiches etc. Wo wir eine Gleichung in Worte umsetzen, nimmt sie, sofern sie sich um die Abhängigkeit über eine Mehrzahl von Begriffen erstreckt, die Form eines hypothetischen Urtheils an. So übertragen wir die Gleichung des Pendelgesetzes:

$$\frac{t}{2\pi} = \sqrt{\frac{l}{g}}$$

in das Urtheil: Wenn ein einfacher Pendel eine ganze Schwingung vollführt, so ist die Zeit derselben der Quadratwurzel aus der Pendellänge direct und der Quadratwurzel aus der Schwerkraft umgekehrt proportional. Oder die Gleichung des NEWTON'schen Gravitationsgesetzes:

$$K = c\,\frac{m \cdot m'}{r^2}$$

lesen wir: Wenn zwei schwere Körper aufeinander wirken, so ist die Kraft ihrer Anziehung dem Produkte ihrer Massen direct und dem Quadrat ihrer Entfernung umgekehrt proportional.“ (Log. tom. 1 p. 186.) Quae tamen iudicia omnia non minus commode ut categorica enuntiaveris, v. g.: „Die Zeit, in welcher ein Pendel eine ganze Schwingung vollführt, ist direct proportional“ etc. Vel: „Die Kraft, mit der zwei“ etc.

[2] Cfr. LAMBERT, Organon § 133.

Sunt etiam iudicia, quae disiunctiva impropria vocantur, in quibus unam saltem ex partibus veram esse affirmatur, velut quum dicis: Pompeius *vel* Caesar *belli gloria* Alexandrum *adaequarunt;* cuius sententiae veritas permittit, ut uterque Alexandrum gloria aequaverint.

273. Tertio iudicia ratione formae in absoluta et modalia dividuntur. Absolutum est iudicium, quo absolute significatur, aliquid alteri inesse vel non inesse; quare ab antiquis iudicium de Inesse vocatum est, quia est de simplici praedicati in subiecto inhaerentia, ut: *Homo est animal.* Modale est, quo praeterea modus significatur, quo quid alteri inest vel non inest; sive id, quo inhaerentia praedicati in subiecto modificatur, ut: *Socratem currere est possibile;* vel: *Homo est necessario animal*; vel: *Summas virtutes omnes iacere necesse est voluptate dominante.*

Modus generatim est omnis adiacens rei determinatio; et exprimi potest nominaliter, quum v. g. *scriptura pulchra* dicitur, atque etiam adverbialiter, quum *homo dicitur pulchre scribere*[1]. Ut autem aliquis modus[2] iudicium modale constituat, requiritur, ut ipsam formam iudicii afficiat, sive ut sit modus, quo subiectum in praedicato insit; neque satis est, ut praedicati materiam determinet. Si dicis: *Socratem currere est possibile aut contingens,* determinatur modus, quo praedicatum *currere* inest in subiecto *Socrate.* Si dicis: *Socrates currit velociter,* determinatur ipsum praedicatum, non autem inhaerentia praedicati in subiecto.

Modi recenseri solent quattuor: necessarius et contingens, possibilis et impossibilis. Unde iudiciorum modalium quattuor sunt genera: *de necessario,* ut hoc iudicium: *Necesse est, hominem esse animal;* de contingenti, ut quum dico: *Contingens est, hominem esse aegrotum;* de impossibili, velut est iudicium: *Impossibile est, hominem esse arborem inversam;* de possibili, ut quum iudico: *Possibile est, hominem esse bicipitem.* Qua de re mox plura.

Scholion 1. Sunt, qui iudicia absoluta vocent assertoria, iudicia de contingenti et de possibili uno nomine iudiciorum problematicorum comprehendant, iudicia de necessario et impossibili uno nomine vocent iudicia

---

[1] Πᾶσα πρότασίς ἐστιν ἢ τοῦ ὑπάρχειν ἢ τοῦ ἐξ ἀνάγκης ὑπάρχειν ἢ τοῦ ἐνδέχεσθαι ὑπάρχειν. Arist. l. 1 analyt. pr. c. 2, 25 a, 1.

[2] Hoc „modi“ et „modalitatis“ nomen non ex ipso Aristotele tractum esse observat Trendelenburg (l. c. § 7), sed ex eius commentatoribus. Hi enim enuntiationes, ad quas vel τὸ ἀναγκαῖον, vel τὸ δυνατὸν, vel τὸ ἐνδεχόμενον, vel τὸ ἀδύνατον accessisset, eas ἀποφάνσεις μετὰ τρόπου (enuntiationes modales) appellaverunt.

apodictica[1]. Id fieri quidem potest, modo concedatur, quattuor, quae indicavimus iudicia, inter se diversa esse. Quod quoad iudicia de necessario et de impossibili facile patet; sed neque quoad iudicia de possibili et de contingenti negari potest. Possibile enim id dicit, quod esse vel fieri potest; contingens autem dicit aliquid et esse vel fieri posse, et etiam non esse vel fieri posse. Aliquid igitur, quod necessarium est, etiam possibilibus annumerari potest, contingentibus consociari non potest. Melius igitur modus quadruplex antiquitus traditus retinetur.

Scholion 2. Duplex hoc loco possibilitas distingui solet, una subiectiva, quam in lingua Graeca voce ἴσως („fortasse") vel per particulam ἄν, quam sequatur optativus, exprimunt; et haec possibilitas est ea, quae inest in iudiciis problematicis. Est praeterea possibilitas obiectiva, quae iterum est duplex: aut enim significat facultatem sive potentiam positivam alicuius causae, quod Graeci vocabulo δύνασθαι (τὸ δυνατόν) significant, aut praeterea etiam praesentiam omnium conditionum ad effectum requisitarum et absentiam omnis impedimenti indicat, quod voce ἐνδέχεσθαι (τὸ ἐνδεχόμενον) indicatur[2]. Et iudicium problematicum tum maxime ad rem accommodatum est, quum opinatio sive incertitudo subiectiva causam habet in possibilitate obiectiva certo cognita[3].

274. Divisio ex parte quantitatis. Haec iudiciorum distinctio ex coniunctione complurium iudiciorum nasci solet, quorum subiecta uno conceptu comprehendi possunt. Iudicii quantitas quae vocatur, ab extensione pendet, quam subiectum habet. Unde se-

---

[1] Dicit Trendelenburg: „Enuntiatio, qua aliquid asseritur (τοῦ ὑπάρχειν), nunc quidem assertoria vocatur; qua autem necessario esse confirmatur (τοῦ ἐξ ἀνάγκης ὑπάρχειν), apodictica; qua denique, num possit fieri, ut sit, in medio relinquitur (τοῦ ἐνδέχεσθαι ὑπάρχειν), problematica." (Elem. log. Arist. § 7.) Alii aliter (qua de re videsis Trendelenburg, Logische Untersuchuugen, edit. 3. II. p. 219 sqq.). Dicit Ueberweg: „Der problematische Charakter liegt in der Ungewissheit der Entscheidung über die Uebereinstimmung der Vorstellungscombination mit der Wirklichkeit; der assertorische Charakter in der unmittelbaren (auf eigene oder fremde Wahrnehmung gegründeten) Gewissheit; der apodictische Charakter in der vermittelnden (auf Beweis, ἀπόδειξις, gegründeten) Gewissheit." (System der Logik § 69.) — Kant causam huius distinctionis ex categoriis modalibus a se positis deduxerat, quas dixit esse possibilitatis et impossibilitatis, existentiae et non-existentiae, necessitatis et contingentiae. (Kritik der reinen Vernunft §§ 9—11; Prolegom. § 21; Log. § 30.) Sed cogitanti cuique satis apertum est, neque impossibilitatem exprimi iudiciis problematicis neque res contingentes iudiciis apodicticis. — Sigwart iudicia problematica ex logica omnia exulare iubet propterea, quod ea non magis iudiciorum rationem habeant, quam iussiones, interrogationes (Log. I. p. 189 sqq.); assertoria ab apodicticis essentialiter differre negat.

[2] Cfr. l. 13 metaph. c. 2, 1088 b, 19: Τὸ δὲ δύνατον ἐνδέχεται καὶ ἐνεργεῖν καὶ μή.

[3] „Ueberall, wo wir assertorisch wissen, dass das Ereigniss eintreten kann oder objective Möglichkeit hat, dürfen wir das problematische Urtheil aussprechen, dass es vielleicht eintreten werde." Ueberweg.

cundum quantitatem iudicia dividuntur in universalia, particularia, indefinita, singularia[1]. Sciendum est enim, eorum, quae intellectus apprehendit, alia esse universalia, quae secundum totam sui rationem in pluribus inveniri possint, alia autem singularia, quae nisi in uno inveniri non possint. Universale autem dupliciter considerari potest; uno modo quasi separatum a singularibus secundum Esse, quod ut unum quid obiective in intellectu habet; alio modo secundum Esse, quod habet in singularibus. Universale primo modo consideratum duplici ratione subiectum enuntiationis esse potest; una ratione, quum aliquid, quod ad solam actionem intellectus pertinet, ei attribuitur, velut quum dicimus: *Homo est praedicabilis de multis;* vel: *Homo est universale;* vel: *Homo est species.* Has enim intentiones intellectus format, et eas naturae intellectae tribuit, quam cum rebus, quae sunt extra mentem, comparat. Sed alia ratione aliquid universali attribui potest, quod non ad actum intellectus, sed ad Esse pertinet, quod natura intellecta in rebus habet, quae sunt extra mentem, ut quum dicimus: *Homo est dignissima creaturarum.* Id enim naturae humanae convenit, ut est in singularibus. Quilibet enim homo singularis creaturis irrationabilibus est dignior, neque tamen omnes homines singulares unus homo sunt extra mentem; id quod tamen in iudicio illo effertur, in quo homo stat pro omnibus singularibus; sed solum in acceptione intellectus unus est.

Secundo modo aliquid de universali enuntiatur, ut in ipsis singularibus est, idque iterum ratione duplici. Una ratione, quum subiecto aliquid attribuitur respectu ipsius universalis, quod ad essentiam ipsius pertinet vel principia essentialia ipsius consequitur, velut quum dicitur: *Homo est animal;* vel: *Homo est risibilis.* Alia ratione, quum ei aliquid respectu singularis, in quo invenitur, at-

---

[1] Aristoteles distinxit iudicium universale, particulare, indefinitum. Πρότασις μὲν οὖν ἐστὶ λόγος καταφατικὸς ἢ ἀποφατικός τινος κατά τινος. Οὗτος δὲ ἢ καθόλου ἢ ἐν μέρει ἢ ἀδιόριστος. Λέγω δὲ καθόλου μὲν τὸ παντὶ ἢ μηδενὶ ὑπάρχειν, ἐν μέρει δὲ τό τινι ἢ μή τινι ἢ μὴ παντὶ ὑπάρχειν, ἀδιόριστον δὲ τὸ ὑπάρχειν ἢ μὴ ὑπάρχειν ἄνευ τοῦ καθόλου ἢ κατὰ μέρος, οἷον τὸ τῶν ἐναντίων εἶναι τὴν αὐτὴν ἐπιστήμην ἢ τὸ τὴν ἡδονὴν μὴ εἶναι ἀγαθόν. (L. 1 analyt. pr. c. 1, 24 a, 16.) — Posteriore tempore „singulare" est additum claritatis gratia. Iudicia singularia, vim logicam quod spectat, facile ad reliquas iudiciorum species reducuntur. (Ita Kant, Kritik der reinen Vernunft §§ 9—11; Proleg. § 20; Logik § 21; Herbart, Einleitung § 62; cfr. Drobisch, Logik § 43.) — Kant distinxit iudicia singularia, particularia sive plurativa, universalia; cuius distinctionis effectum esse duxit categorias quantitatis a se positas, quas dixit esse: unitatis, multitudinis, omnitatis.

tribuitur, quum accidens quoddam individuale subiecto attribuitur, ut quum quis dicit: *Homo ambulat.* Si universali sic accepto aliquid attribuitur ratione prima, ratione videlicet ipsius, ut universale est, notio „omnis" ad subiectum apponi potest, in negativis autem „nullus". Si autem ei aliquid altera ratione attribuitur, ratione videlicet singularis, adhiberi potest signum particulare, ut „quidam" vel „aliquis", quod designat universale sub quadam indeterminatione, unde et „individuum vagum" dicitur.

Itaque tria genera propositionum sunt, in quibus de universali aliquid praedicatur; una, in qua aliquid praedicatur universaliter, ut: *Omnis homo est animal;* secunda, in qua de universali praedicatur aliquid particulariter, velut: *Quidam homo est albus;* tertia, in qua de universali praedicatur aliquid indeterminate, i. e. sine ulla determinatione universali vel particulari, velut quum dico: *Homo est animal.*

Primum iudicium universale dicitur, alterum particulare, tertium indefinitum; quibus si addatur singulare, in quo aliquid de singulari determinato praedicatur, ut: *Socrates currit,* erunt quattuor modi iudiciorum[1].

Scholion 1. Quum universalitas esse possit triplex: metaphysica, quae ex rerum essentiis nascitur, physica, quae ponit leges, secundum quas naturam agere videmus, tertia moralis, quae in hominum consuetudine fundatur, sequitur, etiam iudicia vel metaphysice vel physice vel moraliter universalia esse posse.

Scholion 2. Iudicia indefinita modo ad universalia, modo ad particularia, modo ad singularia revocari possunt. Ita haec enuntiatio: *Virtus cum voluptate non habet commercium,* est universalis; sed haec: *Romani ad Cannas proelio victi sunt,* est particularis; at haec: *Philosophus patriam rogatus mundanum se dicebat esse,* est singularis, quia SOCRATES rogatus id dixerat.

Scholion 3. Quum terminus singularis eo aequiparetur universali, quod secundum extensionem suam non restringitur, iudicium singulare universali aequivalet, quoties vere singulare est, i. e. de re determinata fertur et individua.

Scholion 4. Iudicium indefinitum, si est de materia necessaria vel impossibili, revocatur ad metaphysice universale, velut quum dico: *Homo est liber;* vel: *Effectus indiget causa.* In materia autem contingenti ad moraliter universale revocari solet, ut quum quis dicit: *Pueri sunt leves;* vel: *Mulieres non sunt tenaces secreti*[2].

---

[1] Ita fere auctor opusc. de totius logicae ARIST. Summa, quod est inter opusc. S. THOM. 44 vel 48 tract. de interpret. c. 6. Cfr. S. THOM. in l. de interpret. lect. 10. Observandum autem est, esse enuntiationes, quae specie externa sunt particulares, re autem singulares; velut, quum quis videns, quinque ex militum cohorte vulneratos esse, dicit, *aliquos milites vulneratos esse;* vel vespere decem stellas videns dicit, *aliquas apparere stellas.* Cfr. SIGWART, Log. I. p. 168 sqq.

[2] Cfr. DROBISCH, Logik § 68.

Scholion 5. Si in subiecti extensione exceptio quaedam facienda sit, iudicium universale erit solum in sensu accommodato, cuiusmodi est illud Curtii: *„Nulla potentia scelere quaesita cuiquam est diuturna."* Vel illud Catilinae apud Salustium: *Semper in proelio iis maximum est periculum, qui maxime timent; audacia pro muro habetur.* Et sexcenta alia.

275. **Aliae iudiciorum divisiones.** Nos retinentes divisionem „naturalem" antiquo usu receptam, iudicia disposuimus ex parte qualitatis, i. e. perfectionis et motivi, ex parte materiae, ex parte formae, ex parte quantitatis. Quibus divisionibus addi possunt aliae, quae facillime intelliguntur vel ex seipsis, vel ex iis, quae de divisione enuntiationum externarum dicturi sumus.

Ita distinguunt iudicia necessaria, probabilia, erronea; vel iudicia rationalia, experimentalia, testimonialia; vel iudicia in materia necessaria et naturali, in materia contingenti, in materia remota et falsa; vel iudicia completa et incompleta sive elliptica. Vel dividunt perspicua, et obscura sive ambigua, quae exponibilia vocantur, quia ob additam ambiguam aliquam particulam expositione egent, quae efficitur iudicio, quod exponens dicunt; vel iudicia de rebus in ordine ad se et de rebus in ordine ad nos. Distinguunt quoque iudicium simplex et complexum, prout termini aut simplices sunt aut complexi; iudicia definita sive finita, et indefinita sive infinita, cuiusmodi est iudicium: *Non-homo est lapis;* vel: *Lapis est non-homo.*

Quum iudicii primitivi partes sint subiectum, copula, praedicatum, pro diversitate uniuscuiusque ex his partibus diversitas aliqua in iudiciis statui potest. Ita ex consideratione subiecti loquuntur de iudicio impersonali, collectivo, abstracto, aliis; ex consideratione copulae de iudicio essentiali, accidentario; ex consideratione praedicati de iudicio verbali, adiectivo, substantivo.

Distinguunt quoque iudicia existentialia et attributiva, prout iudicio effertur tantum alicuius rei vel eventus existentia, aut praedicatum subiecto attribuitur ut proprium vel essentiale [1].

Si copula latet in praedicato, ita ut praedicatum immediate subiecto adiaceat, iudicium de secundo adiacente vocatur, velut: *Homo vivit; Deus est;* si autem copula expressa est et praedicatum nonnisi interveniente copula subiecto adiacet, iudicium dicitur de adiacente tertio.

Praeter copulativa et disiunctiva distinguunt adversativa (sed, autem, tamen); conclusiva sive rationalia (itaque, ergo); causalia (nam, enim, quia); exclusiva (modo, dumtaxat), sive exclusi subiecti, sive exclusi praedicati; exceptiva (praeter, nisi); reduplicativa (ut, formaliter ut, quatenus), quia in iis terminus quasi duplicatur; quodsi non duplicatur terminus, iudicium manet specificativum (qua voce solum omissio reduplicationis indicatur).

Scholion 1. Hodie apud multos in usu est divisio, qua Kant iudicia divisit hoc modo:

---

[1] Iul. Bergmann, Allgemeine Logik. 1879. p. 29.

Ex quantitate in universalia, particularia, singularia;
ex qualitate in affirmativa, negativa, infinita;
ex relatione in categorica, hypothetica, disiunctiva[1];
ex modalitate in problematica, assertoria, apodictica (n. 273 *Schol.* 1).

Ex his iudicandi modis KANTIUS suas traxit categorias:

ex quantitate: unitatem, multitudinem, omnitatem;

ex qualitate: realitatem, negationem, limitationem;

ex relatione: subsistentiam atque inhaerentiam, causalitatem dependentiamque, communitatem;

ex modalitate: possibilitatem et impossibilitatem, Esse et Non-esse, necessitatem et contingentiam.

Quae in hac Kantiana iudiciorum divisione vera sunt, facile ad divisiones a nobis propositas revocantur; id quod etiam de aliis recentiorum divisionibus putandum est.

Scholion 2. Praeter partitionem iudiciorum naturalem, quam secuti sunt Peripatetici, apud recentiores etiam reperiuntur aliae iudiciorum partitiones secundum considerationem idealisticam, prout diversa est Idealismi species. Ita HEGEL (retinens schema Kantianum) iudicia omnia ut formas considerat, quarum alia ex alia per longam generationum seriem nascatur[2].

Alii in distribuendis iudiciis ex consideratione psychologica procedendum esse censent.

Alii in hoc negotio potissimum ad considerationem grammaticalem attendendum esse arbitrantur.

Scholion 3. Hoc loco iuvat, breviter indicare aliquas iudiciorum distributiones, quae apud recentiores reperiuntur novae.

DROBISCH distinguit ratione qualitatis iudicia affirmativa et negativa; ratione quantitatis universalia et particularia; ratione relationis inter subiectum et praedicatum categorica et hypothetica; ratione modalitatis assertoria, problematica, apodictica[3]. Is a „iudiciis simpliciter" distinguit iudicia imperfecta sive „in fieri", in quibus videlicet subiectum quasi fit, velut quum quis per interiectionem clamat: *En Petrus!* vel: *Fulgurat*[4].

SIGWART distinguit iudicia simplicia et pluralia. Simplex est iudicium, in quo de subiecto uno praedicatur aliquid. Plurale est, quo praedicatur aliquid de subiectis multis. Simplicia sunt aut narrativa aut explicativa. In narrativo iudicio edicitur aliquid de re singulari existente; in explicativo autem de re aliqua in universali sive in communi.

---

[1] Iudicium disiunctivum est multiplex et resolvitur in hypothetica; velut *A est B aut C* resolvitur in haec: *Si A est B, A non est C;* et *si A non est B, A est C.* Ex quo intelligitur, iudicia disiunctiva perperam coordinari hypotheticis. Quodsi quis coordinare velit ista, is impedire non poterit, quin ponantur iudicia coniunctiva *(A non est simul B et C)* ut membrum quartum.

[2] Logik III. p. 65 sqq. Encyclopaed. § 167. Praeclare hac de re TRENDELENBURG, Logische Untersuchungen, edit. 3. tom. 2 p. 294—311.

[3] N. Darstell. d. Log. § 63. [4] L. c. § 49.

Iudicia narrativa aut sunt pure denominantia sive appellativa, velut: *Istud est lignum, hic est Socrates*[1]; aut sunt iudicia proprietatis, velut: *Pratum est viride;* vel actionis, velut: *Socrates currit* (in quibus si proprietas vel actio primo percellit mentem iudicantis, oriuntur impersonalia vel aliae formae iudicii imperfectae); aut sunt iudicia relationis, velut: *Dominus percutit canem; avis sedet in arbore;* in quibus, ut putat SIGWART, praedicata manent extra subiectum.

Iudicia explicativa (§ 16) vim habent universalem.

Iudicia pluralia (§ 26) aut sunt copulativa (A et B et C sunt P) aut pluralia proprie dicta (plura N sunt P). Haec aut universalia sunt aut particularia.

His ex dictis manifestum est, iudiciorum divisionem a SIGWART non tam ex ipsis iudiciis tractam esse, sed potius ex rebus, de quibus fertur iudicium. Unde hoc loco nonnulla tanguntur, quae a veteribus rectius et subtilius in tractatu de praedicabilibus et de praedicamentis disputata sunt.

TRENDELENBURG divisionem iudiciorum ex fine petens iudicia distinguit comprehensiva et extensiva. Comprehensiva dicuntur, quae notas in subiecto comprehensas patefaciunt, velut quum quis dicit: *Vivens est substantia praedita activitate immanente.* Extensiva autem, quibus indicantur res, ad quas subiectum sese extendit, velut quum quis dicit: *Viventia in natura sunt plantae, bestiae, homines;* quae igitur aliquam disiunctionis speciem habent[2].

Si in iudiciis attenditur comprehensio, id intenditur, ut significetur aliqua causalitas; aut per modum inhaerentiae in iudiciis categoricis, aut per modum conditionis in iudiciis hypotheticis[3]; deinde aut per modum activitatis geneticae in iudiciis affirmativis, aut per modum repulsionis vel exclusionis in iudiciis negativis; atque ita deinceps. — Si in iudiciis attenditur extensio, id intenditur, ut significetur universalitas et necessitas. Atque ita iudicia sunt aut divisiva aut disiunctiva[4].

Sed nemo non videt, iudicium istud extensionis potius esse iudicium multiplex sive iudiciorum multitudinem. Si vero loco iudicii comprehensivi ponimus iudicium definitivum *(homo est animal rationale)* et loco iudicii extensivi iudicium divisivum *(homines et bruta sunt animalia)*, habemus divisionem, qua veteres distinguunt iudicia copulativa ex parte subiecti et ex parte praedicati.

---

[1] Σύνθεσις νοημάτων ὥσπερ ἓν ὄντων. ARIST. l. 3 de an. c. 6, 430 a, 27.

[2] „Der Begriff Kegelschnitt legt seinen Inhalt in dem Urtheile dar: die Kegelschnitte sind regelmässige Curven zweiter Ordnung; und gliedert seinen Umfang in dem Urtheile: die Kegelschnitte sind entweder Kreise oder Ellipsen, oder Parabeln oder Hyperbeln. . . . In dem Urtheile des Inhalts werden die Elemente des Begriffes ausgesprochen, die allgemeiner Natur sind; im Urtheile des Umfanges wird die Beschränkung ausgesprochen, welche sich das Allgemeine in den Formen der Arten gibt.“ Logische Untersuchungen, edit. 3. II. p. 262.

[3] Logische Untersuchungen. II. p. 276.

[4] „So entwickeln sich die Formen des Urtheils einfach und bedeutsam. Das ganze System derselben stellt die Genesis der Sache dar.“ L. c. p. 294.

Wundt distinguit iudicia narrativa, descriptiva, explicativa; deinde iudicia identitatis, subordinationis, coordinationis, dependentiae, quibus accedunt iudicia negativa et problematica [1].

Scholion 4. Aliquid hoc loco dicendum videtur de divisione, qua iudicia ab aliquibus distingui diximus indicativa (sive historica) et subsumptiva (sive logica); illis enuntiari, aliquid esse vel non esse, his iudicari, subiecta subesse universalioribus [2]. Alii negant existere „iudicia", quae solum sint indicativa; sed puras indicationes reperiri tantum in enuntiationibus [3], quae iudiciis annumerari non possint [4]. His igitur si assentimur, multas dicemus esse enuntiationes, quibus iudicia nulla contineantur manifestenturve.

Verum res ita non est. Nam in enuntiatione omni, si perfecta est, res aliquo modo sub nostra de re habita cognitione consideratur; et a nobis affirmatur, nostram de re habitam cognitionem veram esse. Id autem iudicii est proprium, ut rem veram esse enuntiet [5]. In omni ergo enuntiatione iudicium est.

---

[1] Log. tom. 1 p. 161 sqq. Iudicia dependentiae apud Wundt eadem sunt, quae apud veteres vocantur hypothetica. Ea ordinat Wundt ex hoc schemate:

Spatium:	Tempus:	Conditio:
Woher, woraus.	Nachdem.	Wenn, warum, weil.
Wo.	Als, wann.	Wie, dass, ob.
Wohin.	Worauf.	Wozu, wofür.
Wobei.	Während.	Womit, damit.

Atque ita distinguit: Urtheile der Raumbeziehung *(Wo die Alpenflora beginnt, da gedeihen keine Waldbäume mehr)*; der Zeitbeziehung *(Sobald der Frühling anfängt, kommen die Schwalben)*; der Bedingung: Haec (Urtheile der Bedingung) sunt aut Begründungsurtheile *(Wenn Dreiecke gleiche Höhe und gleiche Grundlinie haben, so haben sie gleichen Flächeninhalt)*, aut Beschaffenheitsurtheile *(Wie der Herr, so der Diener)*, aut Zweckurtheile *(Wozu wir bestimmt sind, ist jedem Denkenden bekannt)*, aut Urtheile des Hilfsmittels *(Er weiss nicht, womit er sich Anerkennung erwerben soll)*. Et fieri potest, ut respectus causae, qualitatis, finis, medii in uno iudicio expressi sint, velut quum quis diceret: *Quia dominus sicut servus habet stomachum, sicut servus cibi indiget, ut vivat.*

[2] „Existentialurtheile sind solche, welche Thatsachen aussprechen (Behauptungssätze oder Aussagesätze, welche blosse Mittheilung von Thatsachen bezwecken); Subsumptionsurtheile, welche ein Einzelnes unter ein Allgemeines subsumiren." Ita Sigwart, Logik, tom. I. p. 17.

[3] „Blosse Bemerkungen, thatsächliche Mittheilungen." Ita Ulrici: „Vom blossen grammatischen Satz unterscheidet sich das Urtheil dadurch, dass es stets die Subsumption eines Besonderen unter sein Allgemeines ausspricht." Compendium der Logik, edit. 2. Lips. 1872. p. 267.

[4] Consimiliter Hegel: „Ein Satz hat gerade im grammatischen Sinne Subject und Prädicat, ist aber darum noch kein Urtheil. Zu Letzterem gehört, dass das Prädicat sich zum Subject nach dem Verhältniss von Begriffsbestimmungen, also als ein Allgemeines zu einem Besonderen oder Einzelnen verhalte. Aristoteles ist im 73. Jahre seines Alters, in dem 4. Jahre der 115. Olympiade gestorben, ist ein blosser Satz, kein Urtheil." Logik. Opp. tom. IV. 69.

[5] Λόγος ἀποφαντικὸς οὐ πᾶς, ἀλλ᾽ ἐν ᾧ τὸ ἀληθεύειν ἢ ψεύδεσθαι ὑπάρχει. Arist. l. de interpret. c. 4; l. 3 de an. c. 6.

Potest quidem enuntiatio a naturali sua perfectione deficere; at tum continebit iudicium, quod plus minusve ad illud accedit, quod apprehensivum diximus (n. 264).

Dubitari igitur non potest, quin reperiantur, praeter iudicia subsumptiva, etiam iudicia pure indicativa, quae ut plurimum sunt existentialia, et quia existentia contingenter accidit rebus, revocantur ad iudicia accidentaria; haec per se non ad logicum, sed ad historicum spectant. Interdum sunt identica, et solam aequalitatem exprimunt *(Petrus* et *Paulus* et *Plato sunt tres)*, quae potius ad mathematicum quam ad logicum spectant. Verum et haec iudicia pure indicativa sub conceptibus vel principiis universalioribus subsumi possunt, et hoc pacto etiam ad logicum spectant.

His de iudicio explicatis iam ordo postulat, ut de enuntiatione praecipiatur.

SECTIO SECUNDA.

De iudicii signo sive de enuntiatione externa.

276. **Oratio quid sit et quotuplex.** Quoniam enuntiatio sive propositio est oratio, qua iudicia nostra manifestamus, eaque definiri solet: oratio verum vel falsum significans, prius breviter, quid sit generatim oratio, in memoriam revocandum, quam ad declarandam ipsam enuntiationem veniamus.

Et omnem quidem vocabulorum complexionem, quae ad exponendam animi sententiam fit, orationem vocamus. Ea ab Aristotele definita est, ut sit locutio significans, cuius pars aliqua separata significat ut dictio, non ut affirmatio vel negatio. Qua conditione indicatur, partem orationis esse posse terminum simplicem, i. e. satis esse, ut eius pars rationem simplicis termini habeat, qui sit dictio, nec requiri, ut sit affirmatio vel negatio. Est igitur de ratione orationis, ut pro parte admittat quidem affirmationem negationemve, neque tamen necessario requirat. Quod si oratio eius generis affirmationem vel negationem loco partis habet, iam non erit simplex et unica, sed multiplex sive complexa.

Est autem oratio aut perfecta aut imperfecta. Imperfecta est, quae ex sese sententiam perfectam in animo audientis non gignit, sed audientem suspensum tenet; cuius generis orationes illae sunt, in quibus verbum deest vel aliud quidpiam ad complementum sententiae desideratur, ut quum dicis: *Homo tristis,* vel: *Quamvis laudabile sit,* vel: *Qui peccat.* Perfecta est oratio, quae in audiente sententiam integram gignit et absolutam.

Oratio perfecta in enuntiativam dividitur et non enuntiativam. Oratio enuntiativa ea est, quae verum vel falsum significat.

Restat igitur, ut oratio non-enuntiativa ea sit, quae, quamvis sententiam perfectam gignat in audientis animo, non tamen verum vel falsum significat.

„Quia intellectus vel ratio non solum concipit in seipso veritatem rei, sed etiam ad eius officium pertinet, secundum suum conceptum alia dirigere et ordinare, ideo necesse fuit, quod, sicut per enuntiativam orationem significatur ipse mentis conceptus, ita etiam essent aliquae aliae orationes significantes ordinem rationis, secundum quam alia diriguntur. Dirigitur autem ex ratione unius hominis alius homo ad tria. Primo quidem ad attendendum mente, et ad hoc pertinet vocativa oratio. Secundo ad respondendum voce, et ad hoc pertinet interrogativa. Tertio ad exequendum in opere, et ad hoc pertinet, quantum ad inferiores, oratio imperativa, quantum autem ad superiores, oratio deprecativa, ad quam reducitur oratio optativa, quia respectu superioris homo non habet vim motivam nisi per expressionem sui desiderii. Quia igitur istae quattuor orationis species non significant ipsum conceptum intellectus, in quo est verum et falsum, sed quendam ordinem ad hoc consequentem, inde est, quod in nulla earum invenitur verum et falsum, sed solum in enuntiativa, quae significat id, quod de rebus concipitur. Et inde est, quod omnes modi orationis, in quibus invenitur verum et falsum, sub enuntiatione continentur, quam quidam dicunt indicativam vel suppositivam; dubitativa autem ad interrogativam reducitur.“ [1]

Ad has quattuor orationis non-enuntiativae species: vocativam, interrogativam, imperativam, deprecativam, revocari possunt reliquae omnes, ut sunt prohibitiva, exhortatoria, consolatoria, admirativa, permissiva, aliae.

In qualibet orationis perfectae specie verbum suppositive animi actum significat, qui utcunque circa identitatem obiectivam duarum conceptionum versatur. Quum v. g. deprecando dicis: *Miserere mei, Deus,* Deum non affirmas esse miserentem, sed, ut misereatur, exoptas et precaris; et oratio tua motum animi indicat, deprecando tendentis in identitatem obiectivam conceptuum *Deus* et *Miserere.* At ex sese hae orationes potius actum voluntatis significant, qui intellectui adiungitur; unde ad vitam practicam, ut ea affectionibus regitur, et ad poësim et ad rhetoricam, non autem ad logicam pertinent.

277. **Oratio enuntiativa.** Quum logica de operationibus mentis earumque signis non agat, nisi quatenus veritatem vel falsitatem significent, sola ea oratio ad logicam spectat, quae signum est veritatis; id autem solius orationis enuntiativae proprium esse ex supra dictis elucet. Si enim quis dicet: *Noli me tangere;* vel: *Quis es tu?* tu contra respondere non poteris: *Verum dicis;* vel: *Falsum est, quod dicis.*

---

[1] S. Thom. in l. 1 periherm. lect. 7.

Sola igitur oratio enuntiativa sive enuntiatio verum vel falsum dicit[1] vel significat, aliquid esse aut non esse, sive in praeterito, sive in praesenti, sive in futuro, sive omni temporis differentia praetermissa[2]. Quamobrem omnes illae orationes enuntiativae sunt, quarum verbum est indicativi modi, cuiuscunque est temporis; in his enim omnibus verum vel falsum indicatur. Quod quum de enuntiatione omni dicendum sit, sive pure indicativa sit (per narrationem vel descriptionem) sive subsumptiva (subsumendo subiectum sub praedicato universali vel conceptu mea operatione abstracto), praecipue tamen in enuntiationibus subsumptivis locum habet; in his enim veritas, i. e. convenientia inter rem subiectam et meam de re cognitionem, magis exprimitur.

Quoniam autem in enuntiatione omni tria attendenda sunt: indoles sive principia, quibus constituatur, variae species, in quas dividatur, affectiones, secundum quas adhibeatur, tres erunt huius sectionis paragraphi. Enuntiatio si ad discursum sive syllogismum refertur, ideo propositio, πρότασις, vocari solet, quia proponit sententiam, quam conclusio consequatur.

§ 1.

De enuntiationis sive propositionis indole.

278. **Enuntiatio, signum iudicii.** Quae sit enuntiationis sive propositionis natura vel indoles, ex iis, quae de iudicio diximus, satis declaratur. Tum enim inde profecta est disputatio, ut iudicium diceretur esse actus cognoscentis, quo aliquid esse vel non esse cum assensu perspiceretur. Haec igitur perspicientia sive assensio per enuntiationem sive propositionem externe exprimitur.

Duplici autem ratione propositio vera esse potest. Quum enim propositio actum intellectus exprimat, et veritas in conformitate intellectus cognoscentis cum re cognita quaerenda sit, primo modo propositio vera aut falsa dici potest, non tam, quia cognitioni nostrae, quam quia rei cognitae conformis est, aut a re cognita aberrat. Quare fieri potest, ut propositio actui intellectus iudicantis sit conformis, et tamen sit falsa, quatenus rei cognitae conformis non est, velut quum quis revera iudicat: *Sidera sunt animalia*, et hoc iudicium accurate enuntiat. Et fieri etiam potest, ut pro-

[1] Σύνθεσις νοημάτων, ἐν ᾗ τὸ ἀληθεύειν ἢ ψεύδεσθαι ὑπάρχει. ARIST., De interpret. c. 4, 17 a, 3.

[2] Ἔστιν ἡ ἁπλῆ ἀπόφανσις φωνὴ σημαντικὴ περὶ τοῦ ὑπάρχειν ἢ μὴ ὑπάρχειν. L. c. c. 5, 17 a, 24.

positio respectu rei cognitae sit vera, et simul falsa respectu mentis propositione exprimendae. Altero igitur modo propositio aut vera aut falsa est, quatenus cum cogitatione interna, ad quam exprimendam est destinata, aut conformis est aut non conformis.

279. **Enuntiationis partes.** Quum enuntiatio aliqua in syllogismo ad aliquid inferendum proponitur — unde et nomen „propositionis“ ductum esse diximus — per se eius veritas vel falsitas a logico non attenditur, sed solum eius assertio, sive ut est oratio aliquid de alio affirmans aut negans. Sicut iudicium omne ad has formulas reducitur: A est B; A non est B, omnis etiam propositio ad has formulas trahatur oportet. Unde duae eius partes principales esse patet, subiectum et praedicatum, quibus ut pars tertia complens adiici potest copula[1].

Subiectum propositionis est terminus, qui significat id, de quo aliquid enuntiatur; praedicatum est terminus, qui id significat, quod de aliquo enuntiatur; copulam diximus esse verbum „esse“ affirmans aut negans. Subiectum et praedicatum eandem rem in propositione significant; et subiectum quidem secundum materiale significatum, i. e. pro re ipsa in se considerata, cui forma in praedicato expressa inest, praedicatum autem secundum formale significatum, i. e. pro forma, quae habetur de subiecto cognita, ut subiecto conveniens.

Ex quo consequitur, partes praecipuas propositionis „nomine“ et „verbo“ contineri (ὄνομα καὶ ῥῆμα), quorum quae sit vis et significatio, supra (n. 222) satis indicatum est. Reliquae autem partes, ut sunt pronomina, adverbia, praepositiones, aliae, vel afficiunt, vel connectunt nomina et verba, quibus propositio constat; unde potius quasi complementum et ligamen sunt, quam verae orationis partes.

Scholion 1. Copula duplici ratione considerari potest. Si attenditur formaliter ut copula, significat compositionem interiorem, qua mens in iudicio praedicatum cum subiecto coniungit; et hoc modo, si copulam consideras, copula non est in propositione terminus, sed terminorum coniunctio. Si autem attenditur realiter ut significans actum essendi, simul cum re, quae praedicatur, facit unum praedicatum (qui enim dicit: *Petrus est homo,* „esse hominem“ edicit de Petro); et hoc modo, si copulam consideres, revera rationem termini habet.

Scholion 2. Tribus terminis constitui propositionem diximus. Sed non oportet hos tres terminos poni explicitos. Saepe enim propositio duabus vocibus constat, velut quum dico: *Deus miseretur;* vel: *Homo peccat.* Immo una voce tota propositio comprehenditur, quum dicitur: *Venio;* vel: *Vides.* Neque

---

[1] Cfr. Prantl, Geschichte der Logik. I. p. 96 Anm., 124; II. p. 196 et p. 266. Ritter, System der Logik und Metaphysik. Götting. 1858. tom. 2 p. 85.

tres illae orationis partes ad tres terminos incomplexos restringi debent; dicere enim possum: *Initium sapientiae est timor Domini;* vel: *Fortuna parvis momentis magnas rerum commutationes efficit.*

Scholion 3. Etsi in propositione verbum „est" ex intentione et quasi formaliter significat praedicati in subiecto inhaerentiam obiectivam, tamen is, qui propositionem enuntiat, ad hunc enuntiandi finem pervenire non potest, nisi quatenus proxime et quasi materialiter compositionem a se factam significat. Significat igitur copula immediate (sive directe) quidem actum mentis iudicantis, sed nonnisi connotando; mediate autem (sive indirecte) actualitatem aliquam subiecti, verum id ex intentione.

Scholion 4. Sunt qui inter partes enuntiationis praeter subiectum et praedicatum etiam obiectum velint enumerari. Sed obiectum in multis enuntiationibus nullum est, et si quando est et exprimitur, praedicati ad obiectum relatio pro consideratione logica est secundaria, quamvis fortasse pro consideratione grammatica non minore digna sit attentione quam praedicati ad subiectum relatio [1].

280. **Nomen substantivum, adiectivum; verbum.** Nomen rem per modum substantiae significare potest, et substantivum vocatur; aut etiam per modum accidentis, et est adiectivum. Ex quo intelligitur, nomini substantivo per se competere in propositione locum subiecti. Et nomen substantivum indicat, subiectum praedicato coniunctum vel a praedicato separatum id efficere, ut propositio vera sit. Nomini adiectivo per se competit in propositione locus praedicati.

A nomine differt verbum (n. 223), quod, sive substantivum est sive adiectivum, per se sibi petit locum praedicati.

In eo igitur conveniunt nomina adiectiva et verba, quod formam vel affectionem alicuius subiecti significant. Id tamen est discriminis, ut nomen adiectivum hanc affectionem significet per modum qualitatis sive „in facto esse", verbum autem per modum activitatis sive „in fieri".

Et verbum quidem substantivum semper actum significat aut essentiae aut existentiae [2]. Actum essentiae significat, quum dicit, „quid res sit", coniungendo aliquid praedicato expressum cum subiecto; actum existentiae significat, quum dicit, „quod res est".

---

[1] Qua de re recte Trendelenburg: „Die Logik versteht unter Prädicat, was von dem Subject ausgesagt wird, unangesehen, ob das Ausgesagte ein einfacher oder ein durch ein Object bestimmter Begriff ist, und begreift das grammatische Object mit zum Prädicat. Die Grammatik hat die Bestimmungen, die als grammatisches Object zum Thätigkeitsbegriff, sei es ergänzend als Casus, oder nur ausführend, adverbial, hinzutreten, näher zu erwägen." Logische Untersuchungen, edit. 3. II. p. 277.

[2] S. Thom. in l. 1 periherm. lect. 5 et 6.

281. **Dispositio propositionis naturalis sive directa** ea est, ut primo loco subiectum ponatur, quod est tanquam materia praedicato subiiciendum, et deinde praedicatum, quod est forma eaque universalior, quae subiecto inesse dicitur[1]. Subiectum etsi ratione comprehensarum in se notarum praedicato maius est, est tamen minus ratione rerum, ad quas sese extendit; e contrario praedicatum est subiecto universalius. Itaque prae substantivo adiectivum, et inter substantiva illud, quod magis universale est, naturaliter locum praedicati tenet. Si autem relicto hoc ordine terminus universalior vel accidens pro subiecto ponitur, dispositio propositionis dicitur innaturalis vel contra ordinem, vel indirecta, velut quum dico: *Aliquis homo est Socrates;* vel: *Aliqua virtus est pietas;* vel: *Risibile est homo.*

Distinguunt quoque propositionem naturalem et praeternaturalem. Naturalis est, si inter formam praedicato expressam et rem, ut loco subiecti exprimitur, nexus per se necessarius est. Qui nexus si deest, propositio praeternaturalis vel praeter ordinem vocatur, velut quum dico: *Album est dulce;* vel: *Philosophus canit.* Non enim album per se dulce est, nec philosophus cantat, ut philosophus est, sed per accidens, quatenus videlicet et albedo et dulcedo in eodem subiecto reperiuntur, et etiam cantus et philosophia. Qua in re in illam distinctionem recidimus, qua distinguere solent praedicationem per se et praedicationem per accidens (n. 270 *Schol.* 2).

§ 2.

De variis propositionum speciebus.

282. **Enuntiationum sive propositionum divisio.** Ex divisione iudiciorum divisio propositionum ducitur. Quamobrem sicut iudicia, ita etiam propositiones dividi possunt (n. 266 sqq.).

Ex parte materiae distinguunt propositionem in materia necessaria sive naturali, in materia impossibili sive remota, in materia possibili sive contingente.

Ex parte formae propositio primo est affirmativa vel negativa; secundo categorica vel hypothetica (ad quam referunt omnem

---

[1] Hac de re recte Wundt: „Diese Gewohnheit hat offenbar darin ihren Grund, dass unser logisches Interesse häufiger verlangt, einen gegebenen Gegenstand des Denkens in Bezug auf die Gattung, zu der er gehört, zu bestimmen, als umgekehrt aus einer Gattung einen Einzelbegriff hervorzuheben." Logik. I. p. 172.

propositionem compositam, quae aut aperte composita est, aut occulte ita, ut expositione egeant; atque etiam propositiones complexas); tertio absoluta vel modalis.

Ex parte quantitatis est propositio universalis vel particularis vel singularis vel indefinita.

Nonnulla autem iis, quae supra de singulis iudiciorum classibus indicata sunt quaeque etiam ad propositiones trahuntur, hoc loco adiiciantur oportet.

I. De propositionibus affirmativis et negativis.

283. **Quae sit huius divisionis ratio**, ex iis, quae de distinctione iudicii affirmativi et negativi sunt constituta, satis perspicuum est. Recordandum praecipue est, ut propositio sit negativa, particulam „non“ afficere debere ipsam copulam vel verbum, quatenus copulam implicat. Inter propositiones complexas eae solum negativae sunt, in quibus vocula „non“ copulam principalem, quam „propositionis“ vocant, afficit, nec satis est, ut aliqua copula secundaria, quam „implicationis“ vocant, neganter sit posita. Quum igitur dicis: *Omnis homo, qui non peccat, est bonus,* propositio est affirmativa; si autem dicis: *Omnis homo, qui peccat, non est bonus,* propositionem negativam habes. Sola enim copula propositionis aliquid affirmatur aut negatur simpliciter, dum copula implicationis aut subiectum restringitur aut praedicatum.

284. Quid autem propositio affirmativa et negativa proprie significet, ex his quattuor, quae a logicis regulae statui solent, facile intelligitur:

1° In propositione affirmativa praedicatum subiecto tribuitur secundum omnes et singulas notas comprehensionis suae. Ita quum quis *hominem animal esse* dicit, *homini* notas omnes tribuit, quae in conceptu animalis comprehenduntur.

2° In propositione affirmativa praedicatum non sumitur secundum totam suam extensionem, sed suppositionem disiunctivam vel disiunctam habet, et ideo est terminus particularis. Ita quum *columbam avem esse* dicimus, ad propositionis veritatem satis est, ut columba sit ex avibus aliqua. Sed ab hac regula excipienda sunt praedicata, quae definitionem continent, vel termini singulares sunt vel singularibus aequivalent; ut sunt ea, quae collective supponuntur.

3° In propositione negativa praedicatum removetur a subiecto secundum totam praedicati comprehensionem collective sumptam,

non autem secundum singulas eius notas. Ita quum dicis: *Canis non est planta,* certe non vis dicere, *canem* nihil prorsus eorum habere, quae habeat *planta,* sed satis est, si non habeat omnia, quae *plantam* constituunt.

4º In propositione negativa praedicatum sumitur semper secundum totam suam extensionem; atque ita est terminus universalis vel universali aequivalens. Si igitur dicis: *Homo non est lapis,* reapse mente cogitas, hominem nec hunc, nec illum nec alium quempiam esse lapidem. Et si dicis: *Hic homo non est Plato,* praedicati loco terminum singularem quidem habes, qui tamen ideo universali termino aequiparandus est, quia secundum totam, quam habere potest, extensionem sumitur.

Et haec quidem, quae explicavimus, a logicis ita breviter sunt dicta; si S significat subiectum et P praedicatum, has formas habemus:

S est P i. e.: S idem est atque aliquod P;
S continetur sub P;
S continet notas, quas habet P.

S non est P: S non est unum ex inferioribus P;
S non continetur sub P;
S a se excludit ea, quae collecta habet P.

II. De propositionibus aperte compositis.

285. Propositionum divisio in simplices et compositas. Generatim propositio aut una est aut multiplex. Multiplex vocatur, si in multas propositiones completas coordinatas resolvi potest. Quodsi hoc modo resolvi non potest, est una. Ut igitur propositio sit una, requiritur, ut partes suas ita inter se nectat, ut hae ad quandam unitatem positivam coniungantur.

Propositio multiplex esse potest vel ex parte subiecti, vel praedicati. Ex parte subiecti multiplex est illa Sallustii: *Praeclara facies, magnae divitiae, ad hoc vis corporis et alia omnia huiuscemodi brevi dilabuntur.* Ex parte praedicati multiplex est illa Horatii sententia: *Imberbis iuvenis tandem custode remoto gaudet equis canibusque et aprici gramine campi.* Ex parte subiecti et praedicati Terentianum illud: *Obsequium amicos, veritas odium parit.*

Propositio omnis, quae est multiplex, est composita. Propositio autem, quae est una, aut composita est (sive coniuncta) aut simplex. Est simplex, quum constat ex subiecto et praedicato tamquam partibus principalibus et copula tamquam unione; cuiusmodi est haec: *Pythagoras Samius, Italicae sectae institutor, docuit transmigrationem animarum de corpore in corpus;* vel: *Plato est homo, est propositio;* vel: *Deus, qui est sapientissimus, hunc mundum,*

qui ex innumerabilibus constat rebus, creavit. Est vero composita, quum constat multis propositionibus tamquam partibus principalibus aliqua unione unitis; cuiusmodi est haec: *Si mundus est, Deus mundum creavit.* Nam huius propositionis nullum est subiectum, nullum praedicatum, sed duae propositiones secundum cohaerentiam quandam coniunguntur[1].

Haec propositionis, quae est una, in compositam et simplicem divisio tantundem valet atque illa, qua iudicia distinguuntur in hypothetica et categorica (n. 272). Reprehendendi autem sunt, qui audientes, propositiones compositas vocari hypotheticas, etiam propositiones, quae multiplices sunt, hypotheticas vocant, velut hanc: *Magister docet et discipulus audit.* Non enim omnis propositio composita est hypothetica, sed ea tantum, quae una est.

Alia est divisio, qua distinguunt propositionem complexam et incomplexam. Complexa est, quum vel subiectum vel praedicatum vel utrumque terminus complexus est.

Atque his breviter indicatis primo dicemus de propositionibus compositis, quae ita aperte sunt compositae, ut earum compositio illico innotescat; deinde de iis, quae compositionem suam ita occultant, ut expositione sive propositionibus „exponentibus“ egeant, quapropter ipsae „exponibiles“ vocari solent.

Propositiones aperte compositae sunt copulativae, adversativae, relativae atque eae, quae aliquo modo sunt hypotheticae; et hae, quia speciali ratione a propositionibus categoricis differunt, specialem in syllogismo considerationem desiderant.

Ad propositiones hypotheticas praeter eas, quae proprie sunt conditionales, revocantur illae, quae sunt disiunctivae, coniunctivae, causales, illativae. Sed veniamus ad singulas.

286. **Propositio copulativa** est propositio multiplex, cuius partes coniunctione copulativa utcunque in quandam unitatem coniunguntur, sive quae complura subiecta vel praedicata particulis coniunctivis in unitatem grammaticalem connectit.

In ea igitur aut complura praedicata de uno subiecto aut unum praedicatum de compluribus subiectis aut de compluribus complura enuntiantur. Cuius enun-

---

[1] Propositio multiplici ratione composita dicitur. Aut enim intelligis compositam ex propositionibus coordinatis tamquam ex partibus; et hoc modo propositio, quae est multiplex, est composita. Aut intelligis compositam ex antecedente et consequente, et hoc modo propositio, quae est conditionalis, est composita. Aut intelligis compositam ex terminis, qui obiecto vel praedicato adiunguntur, et hoc modo propositio, quae est complexa, vocari potest composita. Simili ratione propositio simplex intelligitur aut una aut categorica aut incomplexa.

tiationis exempla sunt: Aristoteles erat celeberrimus philosophus, et Demosthenes oratorum celeberrimus. Homo probus est simplex et prudens. Petrus et Paulus Romae mortui sunt. Neque divitiae neque honores faciunt hominem beatum. Commoda, quibus utimur, lucemque, qua fruimur, spiritum, quem ducimus, a Deo nobis dari et impertiri videmus. Hoc et ratio doctis et necessitas barbaris, et mos gentibus et feris natura ipsa praescripsit, ut omnem semper vim, quacumque ope possent, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent.

Copulativae propositionis veritatem ex omnium simplicium, quas contineat, veritate pendere, res manifesta est. Quamobrem propositiones copulativae, quae partim verae sunt, partim falsae, absolute negari possunt, distingui tamen solent ita, ut pars vera concedatur, negetur falsa.

287. **Propositio conditionalis**, quae est proprie hypothetica, non absolute vel simpliciter aliquid enuntiat, sed dicit, aliquid esse vel non esse, modo aliquid aliud sit vel non sit; ut quum dicis: *Si peccas, puniris;* vel: *Si Achilles non pugnasset, Troia capta non esset.* Constat igitur duabus enuntiationibus categoricis, quarum prior praefixa particula „si" ponitur ut conditio sive antecedens, ex qua altera, quae conditionatum sive consequens vocatur, cum aliqua necessitate pendet. Ea tantum conditio in disciplina logica attenditur, qua posita, altera ponatur necesse est. Et haec quidem propositio vera est aut falsa non ex veritate aut falsitate alterutrius membri separatim accepti, sed ex nexu aut defectu nexus inter consequens et antecedens. Si quis dicit: *Si Plato homo est, vixit in Graecia,* propositio falsa est, licet utrumque membrum verum sit. Et si dicit: *Si non est Deus, neque mundus existere potuit,* propositio vera est, licet utrumque membrum falsum sit[1]. Id igitur, quod in propositione conditionali ponitur, nexus est et consecutio conditionati ex conditione. Quapropter propositioni conditionali contradicit is, qui connexionem inter duas partes negat esse veram. Ita propositioni modo de Platone positae contradicit, qui affirmat: Inde, quod Plato homo fuit, eum in Graecia vixisse non sequitur.

---

[1] Immo cuilibet conditionali verae, cuius utrumque membrum vel verum vel falsum est, per terminorum conversionem alia vera respondet, cuius utrumque membrum e contrario vel falsum vel verum est; velut huic: *Si A est Q, S est P,* respondet: Si *S non est P, A non est Q.* Quae duae conditionales semper simul sunt verae, quamvis ipsarum membra simul verae esse non possint. Ita vera est haec: *Si mundus exsistit, Deus est;* consequenter vera est haec: *Si Deus non exsistit, mundus non exsistit.* Sed prioris propositionis utrumque membrum verum; et ideo posterioris utrumque membrum falsum esse debet, quia membra membris contradictorie opponuntur.

Ex natura propositionis conditionalis facile intelligitur, in conditione rationem positam esse debere, ob quam in conditionato praedicatum subiecto conveniat aut non conveniat; sed non requiri, ut ea ratio sit causa realis sive ontologica, cur haec convenientia sit vel non sit. In hac enim propositione non significatur dependentia conditionati a conditione in essendo, sed in affirmando. Unde satis est ut conditio rationem logicam conditionati contineat.

Vim affirmativam vel negativam propositionis conditionalis quod spectat, manifestum est, et alterutram et utramque partem esse posse affirmativam aut negativam. Verum quaecumque est haec partium qualitas, tota propositio erit affirmativa, si ipse nexus inter conditionem et conditionatum affirmatur; velut quum tibi dico: *Si non moveris, non ambulas.* Erit autem ipsa propositio negativa, si ille nexus negatur, velut quum ille dixit: *Non si miserum fortuna Sinonem finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.* Quae negatio etiam particula „etsi" et „non tamen" vel similibus dicendi formulis significari solet sibi correspondentibus: *Etsi sum miser, non tamen sum mendax.*

Scholion. Quamquam nunquam licet ponere hypothesim absurdam, convenit tamen saepe ponere hypothesim absurdi, ut opponens deducatur ad absurdum. Si quis probare velit, A esse B, is indirecte argumentabitur: Si A non esset B, sequeretur, C esse D. Atqui id impossibile est. Ergo A est B.

At nunquam licet apponere ad conditionem absurdam sive impossibilem conditionatum absolutum. Nam posito absurdo, in ordine absoluto sequitur quodlibet. Secus enim posset quis argumentari hoc modo: *Deus non est minus potens, quam equus rationalis si esset. Atqui si esset equus rationalis, alium equum rationalem producere posset. Ergo Deus producere potest equum rationalem.* Quod manifeste ridiculum est.

Quum igitur tanta sit in propositione conditionali inter conditionem et conditionatum dependentia, ut pars antecedens esse non possit omissa veritate consequentis, efficitur, ut duplici ratione ex propositione conditionali argumentari possimus. Ex affirmatione enim antecedentis sive conditionis ad affirmationem consequentis sive conditionati legitimam esse consequentiam, antea (n. 163) dictum est; et eodem iure ex negatione consequentis sive conditionati ad negationem conditionis sive antecedentis.

Et nuper etiam monuimus, contradici propositioni conditionali eo, quod negetur, legitimum esse nexum, qui inter duo propositionis membra intercedat.

288. **Propositio disiunctiva** ad hypotheticam eo accedit, quod nullum eius membrum per se solum affirmat quidquam, sed vis tota in eo posita est, ut unum saltem extremorum subiecto conveniat, velut in propositione: *Aut prodesse volunt aut delectare poëtae.*

Potest propositio esse proprie disiunctiva atque etiam improprie. Propositio improprie disiunctiva est, quum (adhibita particula „vel") indicatur, si minus omnes propositionis partes, vel saltem unam ex iis veram esse. Hac

interdum ratione significatur quaedam correctio vel pars potior. Propositio proprie disiunctiva est, quum (adhibita particula „aut") significatur exclusio indicaturque, ex compluribus rebus enumeratis unum accipi exclusis aliis.

Ut propositio proprie disiunctiva vera sit, requiritur, 1° ut disiunctio sit adaequata; itaque dicere non licet: *Aut sedet aut ambulat;* 2° ut duo vel complura membra simul vera esse non possint; itaque dicere non licet: *Aut sedet, aut scribit, aut loquitur;* 3° (quae conditio cum prima cohaeret), ut quae indicantur membra, simul falsa esse non possint; itaque dicere non licet: *Spiritus aut est substantia solida, aut liquida, aut aërea.*

Unde propositioni disiunctivae contradicit, qui negat disiunctionem.

Scholion 1. Ad propositionem disiunctivam revocatur divisiva (n. 272 *Schol.* 4); quae eo differt a disiunctiva, quod in hac unum membrum disiunctionis de toto subiecto vim habet, cetera enuntiationem falsam efficiunt; in divisiva vero singula membra verum enuntiant, sed de diversis subiecti partibus. Disiunctiva est haec: *Petrus aut maior est Paulo, aut minor, aut aequalis;* divisiva est haec: *Triangula aut aequilatera sunt, aut aequicrura, aut inaequalium laterum.* Ad propositiones divisivas etiam eae pertinent, quae hoc vel simili modo enuntiantur: *S est modo P, modo Q;* in qua divisio fit secundum tempus, quo res durat. Quum igitur multae subiecti divisiones excogitari possint, a logicis potissimum divisio subiecti generici in species et quasi species attendi solet.

Scholion 2. Propositionis divisivae tres species distingui possunt. Prima est propositio proprie divisiva (in qua adhiberi solet „partim"), qua exhibentur illa inferiora, secundum quae conceptus superior distinguitur, velut: *Viventia* sunt *partim homines, partim bestiae, partim plantae.* Altera est propositio improprie divisiva, quum divisio est quidem adaequata, sed non exclusiva. Tertia est propositio divisive coniunctiva, in quo genere est haec: *Homines illi aut viri sunt, aut mulieres;* qua idem significatur, ac si dicerem: Illi homines aut omnes sunt viri, aut omnes mulieres, aut partim viri, partim mulieres.

Scholion 3. Ut propositio proprie divisiva vera sit, requiritur: 1° ut divisio sit adaequata, i. e. nihil inveniatur in genere diviso, quin ad unum ex recensitis membris pertineat; 2° ut divisio sit exclusiva, i. e. ut nihil inveniatur in genere subiecti, quod pertineat ad complura vel omnia membra recensita.

289. **Propositio coniunctiva** est, qua duas partes simul veras esse posse negatur (n. 272 *Schol.* 3). A propositione disiunctiva eo differt, quod hac positive affirmatur, unum ex enumeratis praedicatis subiecto inesse; coniunctiva id tantum statuitur, praedicata illa esse incompossibilia. Ea facile ad conditionalem reducitur. Si enim dicis: *S non est simul P et Q,* idem est, ac si diceres: *Si S est P, non est Q;* et: *Si S est Q, S non est P.* Ad veritatem coniunctivae requiritur, ut praedicata vere sint incompossibilia. Varia autem

est formula, qua propositio coniunctiva proferri potest. Ita dicere poteris:

Esse non potest, ut corpus simul et moveatur et quiescat;
Corpus non movetur simul et quiescit;
Corpus simul moveri et quiescere non potest.

Scholion 1. Praeter has propositiones coniunctivas, quae sensu strictiore tales vocantur, sunt aliae propositiones, quae vocantur coniunctivae, vi vocis latius accepta, in quibus invenitur quaecumque coniunctio in sensu composito, velut quum quis dicit: *Corpus potest esse simul dulce et album.* Haec differt a propositione copulativa, in qua coniunctio „et" vel „nec" accipitur in sensu diviso, quum in propositione coniunctiva accipiatur in sensu composito.

Praeterea distingui potest sensus divisivus, velut quum quis dicit: *Bruta volare et natare possunt,* i. e. alia bruta volare, alia natare possunt.

Scholion 2. Quum propositio coniunctiva omnes notas colligit, quae satis sunt, ut subiectum ab omnibus aliis distinguatur, propositio vocatur definitiva vel descriptiva, velut: *Brutum est animal irrationale*; *homo est vivens sensitivum, rationale, risibile, bipes, non alatum.* Patet eiusmodi propositiones converti posse hoc modo: *Omne animal irrationale est brutum*, atque ita deinceps.

290. **Propositio adversativa sive discretiva** ea est, in qua subiecta complura vel etiam praedicata particulis adversativis (ut sunt tamen, sed) inter se coniunguntur, velut quum dicitur: *Vos mundi estis, sed non omnes. Non formosus erat, sed facundus Ulysses. Christianus occidi potest, vinci non potest.* Ut eius generis propositio vera sit, requiritur, ut ambae partes verae sint et inter utramque sit aliqua vel latissima oppositio vel certe diversitas. Itaque propositioni adversativae contradicit, qui aut partem alterutram vel utramque esse veram negat, aut negat oppositionem illam, de qua diximus. Qui igitur contradicere velit huic propositioni: *Casus pecuniam, sed non honorem rapere potest,* propositionem copulativam adhibebit dicetque: *Casus et pecuniam et honorem rapere potest.*

291. **Propositio causalis, illativa, relativa.** Propositio causalis, quum duas propositiones particulis causalibus: nam, quod, quia, quoniam, inter se connexas contineat, affirmat duo, et ex his alterum alterius causam esse enuntiat, velut quum dico: *Deus patiens est, quia aeternus.* Unde, ut vera sit, necesse est, utramque partem veram esse et alteram partis alterius causam realem esse. Sed haec secunda conditio per se priorem supponit. Si enim revera inter ambas partes ea connexio est, quae est inter causam et effectum, iam utraque pars vera esse debet; nam quod verum non est, neque effectus neque causa esse potest. Qui igitur propositioni causali contradicere vult, nexum causalem, quem diximus, negabit.

Propositio illativa sive rationalis est, quum dicis: *Homo peccavit, ergo poena dignus est;* vel: *Canis est animal, ergo est ens.* Haec a causali differt, quia in propositione illativa antecedens non semper est causa realis consequentis. A conditionali differt, quia, ut vera sit, praeter veritatem consecutionis requiritur, ut utraque pars vera sit, quum utraque pars affirmetur, id quod etiam in propositione causali contingere diximus. Itaque propositiones illativae in conditionales semper converti possunt, in causales non semper. Illativae propositioni contradicit, qui vel antecedens negat vel consequentiam.

Propositio relativa est, quae partes suas particulis relativis, ut sunt is — qui, tum — quum, tantum — quantum, inter se connexas habet, ut quum quis dicit: *Sicut vita, mors ita.* Id quod in ea affirmatur, est relatio identitatis, quae vel quantitatem afficit vel qualitatem vel aliam quamlibet habitudinem. Quare propositionis relativae veritas a veritate pendet enuntiatae relationis; quam qui negat, ipsi propositioni contradicit.

III. De propositionibus occulte compositis.

292. **Propositio exponibilis et exponens.** Propositiones occulte compositae etiam exponibiles vocantur, quia expositione indigent, adhibita alia clariore propositione, quae exponens appellatur. Est igitur propositio specie externa simplex, revera tamen composita, et addita propositione exponente in aperte compositam converti potest. Eius species ab aliis aliae recensentur, quarum praecipuae sunt tres: exclusiva, exceptiva, reduplicativa (quibus accedit comparativa atque etiam inceptiva et desitiva). Generatim propositio exponibilis vera erit, si et singulae eius exponentes verae sunt, et nexus, qui inter eas affirmatur, revera locum habet.

293. **Propositio exclusiva** est, quae particula exclusiva vel a subiecto praedicatum aliud eiusdem generis excludit, vel a praedicato aliud subiectum; velut quum dicis: *Socrates est tantum philosophus;* vel: *Tantum Socrates est philosophus.* Quae exempla eo inter se differunt, quod propositio prior est exclusi praedicati, et resolvitur: Socrates est philosophus et aliam scientiam non habet; altera autem est exclusi subiecti et resolvitur: Socrates est philosophus et alius nemo est philosophus. Itaque propositio exclusiva exponitur duabus simplicibus, quarum una est affirmativa, altera negativa; priorem vocant „praeiacentem", alteram „subsequentem".

Scholion. Quae in propositione exclusiva inest negatio, aut potest afficere ipsam particulam excludentem, aut copulam, aut utramque. Afficit particulam excludentem, si dicis: *Non solus homo est intelligens;* vel: *Homo non est solummodo intelligens.* Afficit copulam, si dicis: *Solus Deus non habet initium.* Afficit et copulam et particulam excludentem, si dicis: *Non solum bestia non est intellectus capax;* vel: *Anni tempora non sunt non tantum quattuor.* Ad quam diversitatem in exponendis his propositionibus diligenter attendendum est.

294. **Propositio exceptiva** est, in qua subiectum in sua extensione addita particula „praeter" vel simili restringitur, ut in hoc exemplo: *Nemo bonus nisi Deus;* vel: *Omnes discipuli praeter Petrum student.* Ut haec propositio recte exponatur, dici debet: *Petrus non studet et reliqui omnes student.* Falso enim diceres: *Omnes discipuli student, et inter hos Petrus non studet.* Exceptiva propositio re congruit cum exclusiva et eo tantum differt, quod exclusiva exclusionem in recto respicit, exceptiva in obliquo.

Observandum est autem, propositione exceptiva aliquid nonnunquam ita affirmari, ut non affirmetur oppositum de re, quae excipiatur, sed haec solum in affirmatione omittatur. Quod discrimen a mente enuntiantis pendet et ex orationis circumstantia explicandum est.

295. **Propositio reduplicativa** est, quae particulis afficitur reduplicantibus, ut sunt quatenus, ut, quantum, qua; quibus particulis subiectum vel praedicatum duplicatur. Sed particula reduplicativa multiplicem vim in propositione habere potest: a) Interdum causam indicat, ob quam praedicatum subiecto conveniat; qui enim dicit: *Homo, quatenus est rationalis, est docibilis,* dicere vult: Homo, quia est rationalis, est docibilis. Praeterea significare potest b) extremum reduplicatum exprimere rationem formalem, ob quam praedicatum subiecto conveniat, ut quum dico: *Musicus, quatenus est musicus, artem musicam exercet;* c) extremum multiplicatum exprimere solum rationem remotam sive radicem, unde praedicatum subiecto conveniat, ut quum dico: *Musicus, quatenus est musicus, delectat;* d) reduplicationem continere conditionem, quae requiratur, ut praedicatum subiecto convenire possit, ut quum dico: *Ignis in propinquo, ut in propinquo est, calefacit;* e) extremum multiplicatum significare partem, ex qua subiectum praedicatum admittat, ut quum dico: *Homo, ut est corporeus, coloratus est;* f) extremum multiplicatum accipere in se aliquam modificationem inde, quod praedicatum subiecto conveniat, velut quum dico: *Anima intellectiva ut intellectiva est in homine forma corporis;* quo significare

volo, animam etiam intellectivam accipere ex informatione corporis specialem rationem intellectivitatis sive rationalitatis.

Reduplicativae in eo conveniunt cum exclusivis, quod subiecto praedicatum etiam tum convenire debet, si propositio accipitur absoluta sive praeiacens, ut aiunt, i. e. omisso signo reduplicativo. Unde dicere licet: *Musicus, qua musicus, cantat;* quia dicere licet: *Musicus cantat.* Et non licet dicere: *Aethiops, quatenus dentatus est, est albus;* quia non licet dicere: Aethiops est albus. Tamen dicere licet: *Aethiops est albus secundum dentes.* Itaque propositio reduplicativa supponit, praedicatum secundum se subiecto convenire, et addit aliquam rationem, ob quam vel secundum quam praedicatum subiecto conveniat. Si quis igitur diceret: *Homo, quatenus est alatus, est volatilis,* recte responderes negando suppositum.

Generatim terminus aliquis reduplicative sumitur, ut significetur vis, quae primo termino attribuitur, vel ratio, cur praedicatum subiecto conveniat. Specificative autem intelligitur, quum ad eius generis rationem non attenditur, sed simpliciter praedicatum subiecto reapse inesse enuntiatur. Si igitur dicis: *Philosophus dormit,* id verum est, si specificative intelligitur; si autem dicis: *Philosophus arcana naturae scrutatur,* id etiam verum est, si intelligitur reduplicative. Et si quis dicit: *Aethiops est niger, quantum homo est,* distinctione opus est: reduplicative, ita ut ratio, cur sit niger, sit, quia sit homo, id negandum est; specificative autem, ita ut ille, qui sit homo, sit ille ipse, qui niger sit, id concedendum est.

IV. De propositionibus complexis.

296. Quae sit propositionis complexae natura. Generatim propositio complexa ea est, quae saltem unum terminum complexum habet, i. e. terminum ex compluribus terminis compositum. Ex his componentibus terminis is, qui rem principalem indicat, principalis vocatur, qui principali adiacet, incidens; qui, si principali secundum totam extensionem convenit, explicativus est, si ex parte tantum, restrictivus vocatur. Propositio igitur complexa est, si dicis: *Deus omnipotens creavit mundum finitum;* vel: *Mundus necessario a Deo pendet.* Quum deinde complexio tum in propositionis materiam (sive in subiectum sive in praedicatum) cadere possit, tum in formam (sive copulam), de complexis secundum materiam separatim dicemus, quae proprie complexae vocari solent, et a veteribus dicebantur de extremo coniuncto[1].

---

[1] Attamen, ut recte auctores intelligantur, notandum est, extremum maxime proprie tum dici coniunctum vel complexum, quum concurrunt essentia et accidens contingens, velut quum dicis: *Homo albus.* Iam minor erit com-

Propositiones complexae secundum formam sunt eaedem, quas modales vocari diximus (n. 273), de quibus postea agendum erit.

Propositio secundum materiam complexa est ea, cuius subiectum vel praedicatum est terminus complexus. Ex natura huius propositionis sequitur, eam in duas saltem resolvi posse, quarum principalis iudicium praesens exprimit formaliter, reliquae incidentes iudicia praeterita continent virtualiter vel saltem supponunt.

Scholion 1. Observandum est, propositiones omnes, quarum copula praeteriti temporis est vel futuri, aliquo modo complexas esse. Quum enim dicis: *Romulus urbem Romam condidit,* enuntiare vis: *Romulus est ille, qui urbem Romam condidit.*

Et clarius etiam complexio in iis propositionibus apparet, in quibus simul cum verbo activo exprimuntur variis casibus grammaticis res, ad quas verbum refertur, ut quum dicis: *Homo probus aversatur omnem adulationem*, quae eadem est, ac si dicis: *Homo probus aversatur aliquid, quod est adulatio omnis.*

Sunt quoque propositiones, in quibus unus idemque terminus multipliciter complexus reperitur.

Sunt aliae, in quibus plures termini sunt complexi. Si in propositione: *Anima rationalis est forma humani corporis,* complexionem subiecti attendis, resolves: Anima aliqua est forma humani corporis et haec anima rationalis est. Quod si complexionem praedicati consideras, resolvas: Anima rationalis est forma alicuius corporis et hoc corpus humanum est.

Scholion 2. Has propositiones complexas vocant propositiones per subordinationem compositas; quam subordinationem in eo consistere dicunt, quod una enuntiatio alteri vel tota, vel ex parte inseritur, quod fit vel per infinitivum coniunctionemve vel per pronomen relativum. Et enuntiatio, quae inseritur, unamquamque enuntiationis, cui inseritur, partem afficere potest [1].

Si de iudicio complexo agitur, aliter de propositione incidente restrictiva sentiendum est, aliter de explicativa. Restrictivam

---

plexio ex essentia et proprio, velut: *Homo risibilis.* Solent autem veteres negare, esse complexionem ex particularibus pariter essentialibus. Et secundum hunc dicendi modum haec propositio: *Homo est animal rationale,* non est de praedicato coniuncto, sed est incomplexa. Contra haec: *Philosophus studet,* est de subiecto coniuncto, quia *philosophus* est terminus connotativus, quasi dicas: *Homo philosophus.* Apud B. ALBERTUM M., S. THOMAM, alios propositio coniuncta sive, quae est coniunctione una, intelligitur propositio, quae est una et composita, i. e. hypothetica.

[1] „Das subordinirte Urtheil ist entweder Subjectiv- oder Prädicativ- oder Attributiv- oder ergänzender oder bestimmender Objectiv-Satz. Die bestimmenden Objectiv- oder Adverbial-Sätze zerfallen wiederum in locale, temporale, causale, condicionale (oder hypothetische), concessive, consecutive und finale. Mehrere Sätze, welche dem nämlichen Hauptsatze untergeordnet sind, können einander nebengeordnet oder untergeordnet sein, und so z. B. copulativ-hypothetische, disjunctiv-hypothetische Sätze etc. gebildet werden.“ (UEBERWEG § 68.) Haec omnia ex grammatica iam sunt nota. (Cfr. GÖTZINGER, Deutsche Sprachl.)

habes, si dicis: *Homines peccantes punientur;* explicativam, si dicis: *Homines mortales sunt mutabiles.* Propositio incidens, quae principalem restringit, si per se et absolute consideratur, nulla ratione nunc iudicium continet; si res ita ferat, eius generis iudicium supponit. Et vis eius tota in eo est, ut subiectum vel praedicatum propositionis principalis coarctet et determinet. Contra, si incidens principalem explicat, iam etiam nunc absolute et per se considerata iudicium saltem virtualiter continet, quamvis formaliter nihil sit nisi elementum termini compositi.

297. **Propositionis complexae veritas et falsitas.** Si de propositionibus incidentibus agitur, manifestum est, in propositionibus hisce, si explicativae sint, quum iudicium aliquo modo contineant, etiam falsitatem reperiri posse. Incidentes autem restrictivae falsae esse non possunt, possunt tamen iudicium falsum supponere. Id sane fieret, si quis diceret: *Animae, quae igneae sunt, nobiliores sunt animabus aëreis.*

Si ipsa propositio principalis attenditur, manifestum est, veritatem eius ab incidentis veritate pendere, si incidens propositio restrictiva est; non autem, si explicativa est. Nam adiuncta restrictiva praedicatum principalis subiecto non convenire enuntiatur, nisi terminus ita coarctatus et determinatus sit, ut in incidente effertur. Propositio autem explicativa principali enuntiationi nullam conditionem ponit.

V. De propositionibus modalibus.

298. **Quae sit propositionis modalis natura.** Hanc propositionem in ipsa forma sive copula complexionem habere diximus. Eius enim indolis est, ut non tam enuntiet, praedicatum subiecto inesse vel non inesse, quam potius, id ei hoc vel illo modo inesse. Si dicis: *Deus est sanctus,* propositionem absolutam enuntiasti. Si dicis: *Deus necessario est sanctus,* vel: *Necessarium est, Deum esse sanctum,* propositio est modalis. Itaque propositio, ut sit modalis, complexa esse debet. Quum dicis: *Omnis homo est mortalis,* propositio non est modalis, quamvis mortalitas necessario homini conveniat. Ratio est, quia haec necessitas in ista propositione non exprimitur neque intelligitur. Propositio igitur non ideo iam modalis est, quia est in materia contingenti vel necessaria; sed requiritur, ut modus contingentiae vel necessitatis verbis exprimatur, velut quum dicitur: *Omnis homo necessario est mortalis.* Et complexio quidem debet inesse in ipsa copula (n. 273), idque se-

cundum significationem obiectivam copulae. Unde a conceptu propositionis modalis illas propositiones excludimus, quae statum mentis iudicantis subiectivum exprimunt, velut: *Homo certe est mortuus; homo forsan est mortuus.* Quae propositiones non sunt modales, sed vocantur subiectivae, vel certae, probabiles.

Quidam tamen has propositiones subiectivas vocant modales; qui distinguunt modales subiectivas et obiectivas. At nos veterum vestigia sequentes ab hoc modo loquendi abstinemus, ne materia implicata reddatur intricatior.

Propositio igitur modalis exprimit modum obiectivum convenientiae praedicati ad subiectum, i. e. exprimit modum obiectivum ipsius Esse vel Non-esse, quod copula significatur. Iam vero modus omni „Esse" vel „Non-esse" communis duplex est: actus et potentia. Unde aliquod „Esse" ita est „Esse", ut sit potentia in subiecto ad „Non-esse". Et hoc Esse vocatur contingens, velut si dico: *Socrates est aeger,* illud „aegrum esse" coniunctum est cum potentia ad sanitatem. Propterea dico: *Socratem contingit aegrum esse.* Aliud „Esse" ita est „Esse", ut sit actus purus, quatenus in subiecto non est potentia ad „Non-esse". Hoc Esse vocatur necessarium. Unde dico: *Homo necessario est rationalis.* Consimiliter „Non-esse" duplex est. Aliud, quod vocatur possibile, coniunctum est cum potentia ad „Esse", velut quum dico: *Socrates potest aeger esse* (intelligatur: sanus est, sed aegrotare potest). Aliud „Non-esse", quod vocatur impossibile, cum illa potentia coniunctum non est, velut si dico: *Brutum impossibile est loqui.* Quibus dictis intelligitur, secundum rerum naturam modos esse quattuor: necessarii, impossibilis, possibilis, contingentis.

Sunt qui etiam „verum et falsum" inter modos recenseri velint. Sed parum accommodate id quidem. Nam verum et falsum non indicant modum ipsius Esse vel Non-esse, sed a modo hoc potius abstrahunt, et simpliciter indicant aliquid esse vel non esse attendendo ordinem ad intellectum.

Quoniam autem logici solent propositiones considerare secundum oppositionem contrarietatis, contradictionis, subalternationis (qua de re mox), propositiones modales hac ratione in scholis tradi solent:

1. Propositiones necessariae[1].

a) *Necesse est omne S esse P,* i. e. in singulis S necessitas quasi inhaeret, ut sint P.

b) *Necesse est aliquod S esse P* (quae propositio primae subalterna est).

---

[1] Necessaria dici potest: a) propositio non libera; b) propositio in materia necessaria, in qua modus necessitatis voce non exprimitur; c) propositio illa modalis, de qua nunc dicimus.

c) *Necesse est nullum S esse P,* i. e. in singulis S est necessitas, ut non sint P (quae est primae contraria).

d) *Necesse est aliquod S non esse P* (quae est primae contradictoria).

2. Propositiones possibiles.

a) *Possibile est omne S esse P,* i. e. omne S potentiam (vel actum vel necessitatem) habet, ut sit P.

b) *Possibile est aliquod S esse P.*

c) *Possibile est nullum S esse P.*

d) *Possibile est aliquod S non esse P.*

3. Propositiones impossibiles.

a) *Impossibile est omne S esse P,* i. e. in aliquo saltem S est necessitas, ut non sit P.

b) *Impossibile est aliquod S esse P,* i. e. in omnibus et singulis S est necessitas, ut non sint P.

c) *Impossibile est nullum S esse P,* i. e. in aliquo saltem S est necessitas, ut sit P.

d) *Impossibile est aliquod S non esse P,* i. e. in omnibus et singulis S est necessitas, ut sint P.

4. Propositiones contingentes.

a) *Contingens est omne S esse P,* i. e. possibile est omne S esse P et omne S non esse P.

b) *Contingens est aliquod S esse P,* i. e. possibile est aliquod S esse P et idem S non esse P.

c) *Contingens est nullum S esse P;* significat idem quod a.

d) *Contingens est aliquod S non esse P;* significat idem quod b.

Praeter has propositiones considerandae sunt etiam:

Propositiones non necessariae.

a) *Non necesse est omne S esse P,* i. e. in aliquo saltem S est (necessitas vel actus vel) potentia, ut non sit P.

b) *Non necesse est aliquod S esse P,* i. e. in omnibus et singulis S est potentia, ut non sint P.

c) *Non necesse est nullum S esse P.*

d) *Non necesse est aliquod S non esse P.*

Scholion 1. In aliquibus ex his propositionibus apparet, modum scholae non omnino congruentem esse modo naturae. Si modum naturae attendis, propositio: *Possibile est, omne S esse P,* significare potest: *Nullum S est P, sed omne S potest esse P.* Si vero modum scholae sequeris, sensus erit, quem supra indicavimus.

Scholion 2. Propositio absoluta, cui modus tribuitur, „dictum" appellatur. Itaque in exemplis allatis *S esse P* est „dictum". Distinxerunt veteres propositionem modalem de re et modalem de dicto, prout modus dicto interponitur, velut: *Homo necessario est mortalis,* vel postponitur, velut: *Hominem mortalem esse est necesse.*

Scholion 3. In propositionibus modalibus triplex quantitas distingui debet: duplex ex parte subiecti, tertia ex parte modi. Est enim in modalibus duplex

subiectum: alterum ipsius dicti, alterum totius modalis. Ita in propositione: *Possibile est, S esse P,* S est subiectum dicti, *S esse P* est subiectum totius propositionis modalis. Et secundum hanc subiectorum dualitatem duplex quantitas distinguitur, altera in subiecto dicti, altera in subiecto totius propositionis. Secundum quantitatem priorem propositio tota dicitur universalis (velut: Possibile est, omne S esse P), particularis (velut: Possibile est, aliquod S esse P), indefinita, singularis. Secundum autem quantitatem alteram propositio tota semper singularis est, nam integrum illud dictum tenet locum subiecti singularis. Tertia quantitas ex parte modi petitur. Atque hac ratione propositio: *S esse P est necessarium,* habetur generaliter affirmativa; haec: *S esse P possibile est,* habetur particulariter affirmativa; haec: *S esse P non est necessarium,* habetur particulariter negativa; *S esse P est impossibile,* habetur generaliter negativa.

Scholion 4. Quum modi, quos hactenus consideravimus, immediate afficiant copulam sive ipsam rationem compositionis inter subiectum et praedicatum, propositiones illae modales vocantur complexae in forma; hae igitur „adverbia modalia" proprie dicta continent. Ab his adverbiis modalibus bene distinguenda sunt alia, quae „adverbia modi" vocantur, quae immediate afficiunt praedicatum secundum se, eiusque partem constituunt ipsiusque rationem determinant. Propositiones, in quibus haec adverbia modi insunt, nuncupantur complexae in materia tantum. Qua de re Albertus Magnus: „Dicamus, inquit, quod dupliciter dicitur enuntiatio modalis, scilicet a modo compositionis, et a modo rei praedicatae. A modo autem rei praedicatae, ut quando dicitur: *Socrates legit bene, vel alte, vel male;* et hic modus, quia non modificat totam enuntiationem, sed tantum rem praedicati, non potest facere totam enuntiationem modalem. Est autem modus compositionis, qui specialis modus est disponens et in formam specialem ponens compositionem . . ." [1]

VI. De propositionibus ex parte quantitatis consideratis.

299. Propositionum partitio ratione extensionis. Haec partitionem iudiciorum (n. 274) sequitur. Propositionem universalem quod attinet, observandum est, in ea requiri, ut subiectum habeat suppositionem distributivam, i. e. ut praedicatum subiecti inferioribus singillatim attribui possit [2]. Si solum collective conveniat, propositio erit collectiva et propositio tota vim singularis habet, ut quum dicis: *Omnes milites huius centuriae dividi possunt in partes quattuor, quarum unaquaeque continet milites viginti quinque vel quindecim.*

---

[1] L. 2 periherm. tract. 2 c. 1.

[2] „In toto autem altero alterum esse et alterum alteri omni attribui, idem est. Dicimus autem, omni attribui, quando nihil subiecti accipere licet, de quo alterum non dicatur; ac nulli attribui dicitur eodem modo." (Arist. l. 1 anal. prior. c. 1.) Has propositiones universales solo intellectu percipi posse Stagirita docet: Καὶ ἡ μὲν καθόλου νοητή, ἡ δὲ κατὰ μέρος εἰς αἴσθησιν τελευτᾷ. L. 1 analyt. post. c. 24, 86 a, 29.

Suppositio praedicati in propositione universali ea est, quam disiunctam vel confusam vocant (n. 253), quae fit substituendo termino communi inferiora eius, per particulam disiunctivam connexa, neque tamen oratio pro numero individuorum multiplicatur.

Propositiones indefinitas pro sua indole ad aliam propositionum speciem revocari posse supra satis indicatum est. Si de materia necessaria vel impossibili enuntiantur, eandem vim habent atque universales, ut: *Circulus est rotundus;* vel: *Cadaver ad vitam non redit;* vel: *Senex est querulus.* De cetero autem semper ex vi sententiae vel ex orationis contextu iudicandum est, utrum illa ad universalem an ad particularem an ad singularem revocanda sit.

Itaque in descriptione vel narratione propositiones indefinitae saepe vim habent propositionum particularium vel etiam singularium, propter subiecti restrictionem; id quod ex sermonis contextu aperitur. Quum *philosophum* aliquid praecepisse legis, intelliges, dici de philosopho illo, cuius mentio supra facta erat. — Et universe statui potest, si subiecti suppositio sit materialis vel logica vel realis absoluta, propositioni indefinitae vim singularis inesse; velut quum dicis: *Homo est nomen substantivum; . . . est species; . . . est animal rationale.*

Si autem suppositio subiecti est personalis, propositio indefinita ex communi hominum consuetudine loco universalis accipitur; et vera iudicabitur, quum praedicatum inferioribus convenit universalitate saltem morali, velut: *Mulier est loquax;* existimabitur esse falsa, quum praedicatum tantum paucioribus convenit, velut: *Homo est niger.*

Perspicuum est, propositionum omnium, attenta etiam quantitate, formas esse quattuor: propositionis universalis affirmativae (**a**) et universalis negativae (**e**) et particularis affirmativae (**i**) et particularis negativae (**o**). De quibus formis hi sunt (adhibitis vocalibus quattuor vocum **affirmo** et **nego**) versiculi:

Asserit **a**, negat **e**, verum generaliter ambo.
Asserit **i**, negat **o**, sed particulariter ambo.

Horum signorum non est exigua utilitas in logica, quia concinniorem et breviorem reddunt doctrinam. Unde si scribimus S o P, leges: aliquod S non est P. Si scribimus: *propositio* **a**, leges: propositio universalis affirmativa. Si audis: *propositioni* **i** *contradicit* **e**, intelliges: propositioni particulari affirmativae contradicit universalis negativa, et ita in similibus. Praeterea hae litterae iuvant ad voces quasdam memoriales conficiendas, quarum usus est praecipue in doctrina syllogistica.

300. Quid ad veritatem propositionis universalis et particularis requiratur. In propositione universali, si non est universalis metaphysice, semper restrictio quaedam subaudienda est; et in propositione quidem physice universali: Nisi ex lege naturali per exceptionem aliquid derogetur; in propositione autem moraliter


universali: Secundum id, quod communiter inter homines contingit. Ut propositiones universales verae sint, generatim satis est, ut sint moraliter universales.

Deinde propositiones particulares non solum verae sunt, quum subiectum praedicato subordinatur, vel subiectum et praedicatum reciprocantur, sed etiam tum, quum praedicatum subiecto est inferius, vel quum subiectum et praedicatum ex parte tantum inter se subiiciuntur, ex parte autem se excludunt.

301. **Quantitas considerata ex parte praedicati.** In propositione S a P (omnia S sunt P) subiectum universale est, praedicatum autem per se particulare est, quia per se etiam ad alia subiecta extendi potest. In propositione S e P (nullum S est P) subiectum universale est, et etiam praedicatum. In propositione S i P (aliquod S est P) subiectum particulare est, et etiam praedicatum per se particulare est. In propositione S o P (aliquod S non est P) subiectum particulare est, praedicatum autem universale. In a et i praedicatum, quod per se quoad extensionem particulare est, per accidens esse potest universale[1].

Haec res (quam „quantificationem praedicati" vocant) a logicis recentis aetatis hoc modo figuris geometricis (cfr. n. 212) describi solet[2].


Pro propositionibus S a P:



Pro propositionibus S e P:




Pro propositionibus S i P:




---

[1] Cfr. Aristot., De interpretat. c. 7.

[2] Cfr. Ueberweg, System der Logik § 71; Trendelenburg, Logische Untersuchungen, edit. 3. II. p. 337; William Hamilton, Lectures on Logic. 1860. 3. edit. vol. II. appendix p. 249; Wundt, Logik. I. p. 229; Stanley Jevons, The Principles of Science. 2. edit. London and New-York. 1877. p. 41.




Pro propositionibus S o P:




Quodsi indeterminationem extensionis solis punctis indicare velimus, res brevius exhiberi potest hoc modo:


Pro propositionibus S a P:




Pro propositionibus S e P:



Pro propositionibus S i P:



Pro propositionibus S o P:



In his schematis sphaera P extensionem praedicati significat. In figura a 1 subiecta omnia pars tantum sunt eorum, quibus praedicatum convenit (velut: *Homo est bipes*); in figura a 2 extensio praedicati eadem est atque extensio subiecti (velut: *Homo est rationalis*), atque ita deinceps.

SECTIO TERTIA.

De propositionum usu et affectionibus relativis.

302. **Proprietates propositionum relativae.** Praeter proprietates propositionum absolutas, quae sunt earum universalitas, particularitas, veritas, falsitas, affirmatio, negatio, de quibus dictum est hactenus, sunt etiam relativae sive respectivae, quae propositionibus inter se collatis et comparatis conveniunt. Inter quas tres praecipuae propositionum rectum usum respiciunt. Potest propositio una aut cum seipsa in aliam conversa comparari, aut cum alia, cui secundum vim significandi aequivalet, aut cum propositione alia opposita. Quamobrem primo de propositionum oppositione, deinde de aequipollentia dicemus, ac tertio de propositionum conversione. Quibus ultimo loco aliqua addemus, quae transitum spectant unius propositionis in alteram.

I. De propositionum oppositione[1].

303. **Oppositio propositionum quid sit et quotuplex**[2]. Oppositio (ἀντικεῖσθαι) vi vocis latissima quamlibet propositionum diversitatem per se significare potest. Quia tamen propositionum, quae neque subiecto neque praedicato inter se conveniunt, nulla est relatio, quae utilem habeat considerationem logicam, ad veram oppositionem, de qua hic agitur, requirunt logici, ut propositiones oppositae idem habeant subiectum idemque praedicatum, et uterque terminus re et significatione unus sit. Iam eius generis propositiones, quas simplices et categoricas esse posuimus, aut sola qualitate aut sola quantitate differre possunt, aut qualitate et quantitate. Atque ita propositionum oppositiones — vera quidem, sed latiore vi nominis retenta — inveniuntur quattuor[3]:

---

[1] Quae hoc loco de oppositione propositionum constituuntur, etiam de rebus ipsis earumque terminis dicenda sunt; at non sine consideratione et delectu ad res, voces, conceptus transferri et applicari possunt. Cfr. Trendelenburg, Logische Untersuchungen, edit. 3. II. p. 173.

[2] De hac agit Aristoteles in l. de interpret. c. 7 sqq.; S. Thom. in l. 1 periherm. lect. 10 sqq.

[3] Λέγω δ' ἀντικειμένας εἶναι προτάσεις κατὰ μὲν τὴν λέξιν τέτταρας, οἷον τὸ παντὶ τῷ οὐδενί καὶ τὸ παντὶ τῷ οὐ παντί, καὶ τὸ τινὶ τῷ οὐδενί, καὶ τὸ τινὶ τῷ οὐ τινί, κατ' ἀλήθειαν δὲ τρεῖς· τὸ γὰρ τινὶ τῷ οὐ τινὶ κατὰ τὴν λέξιν ἀντίκειται μόνον. Τούτων δ'ἐναντίας μὲν τὰς καθόλου, τὸ παντὶ τῷ μηδενὶ ὑπάρχειν, οἷον τὸ πᾶσαν ἐπιστήμην εἶναι σπουδαίαν τῷ μηδεμίαν εἶναι σπουδαίαν, τὰς δ'ἄλλας ἀντικειμένας. Arist. l. 2 analyt. pr. c. 15, 63 b, 23.

1° Propositiones universales, quae sola qualitate differunt et vocantur contrariae[1],

velut: *Omnis homo est iustus* — { *Omnis homo non est iustus.* / *Nullus homo est iustus.* }

2° Propositiones particulares, quae sola qualitate differunt et appellari solent subcontrariae[2],

velut: *Aliquis homo est iustus* — *Aliquis homo non est iustus.*


3° Propositiones affirmativae vel negativae, quae sola quantitate distinguuntur et communi appellatione subalternae vocantur; et propositio quidem universalis dicitur subalternans, particularis autem subalternata,

velut: *Omnis homo est iustus* — *Aliquis homo est iustus.*
Nullus homo est iustus — *Aliquis homo non est iustus.*

4° Propositiones, quae et qualitate et quantitate diversae sunt et vocantur contradictoriae[3],

velut: *Omnis homo est iustus* — *Aliquis homo non est iustus.*
Nullus homo est iustus — *Aliquis homo est iustus.*

Quum antiquo more propositio universalis affirmativa indicari soleat littera **a**, propositio universalis negativa littera **e**, particularis affirmativa littera **i**, particularis negativa littera **o**, variae propositionum oppositiones hac formula exhiberi possunt[4]:



---

[1] Ἐναντίως ἀντικεῖσθαι, ἡ ἐναντία ἀπόφανσις.

[2] Κατὰ τὴν λέξιν ἀντικεῖσθαι μόνον. (Arist. l. 2 analyt. prior. c. 15.) Posteriore tempore has propositiones προτάσεις ὑπεναντίας vocarunt.

[3] Ἀντιφαντικῶς ἀντικεῖσθαι. Ἡ ἀντικειμένη ἀπόφανσις ἔστω ἀντίφασις τοῦτο· κατάφασις καὶ ἀπόφασις αἱ ἀντικείμεναι. Arist., De interpret. c. 6.

[4] A perfectione huius figurae in schola usitatae nonnihil deficiunt schemata posita ab Aristotele (Periherm. c. 10, 19 b, 27—29 et 32—35). Quae a Porphyrio, Boethio, S. Thoma hoc modo explicantur:

I.	1. Ἔστι δίκαιος ἄνθρωπος	2. οὐκ ἔστι δίκαιος ἄνθρωπος
	4. οὐκ ἔστιν οὐ δίκαιος ἄνθρωπος	3. ἔστιν οὐ δίκαιος ἄνθρωπος.
II.	1. Πᾶς ἐστιν ἄνθρωπος δίκαιος	2. οὐ πᾶς ἐστιν ἄνθρωπος δίκαιος
	4. οὐ πᾶς ἐστιν ἄνθρωπος οὐ δίκαιος	3. πᾶς ἐστιν ἄνθρωπος οὐ δίκαιος.

304. Leges propositionum oppositarum. Lex prima: Propositiones contradictoriae in nulla materia simul possunt esse verae (fieri enim non potest, ut idem sub eodem respectu simul sit et non sit) neque in ulla materia simul esse possunt falsae (quidlibet enim aut est aut non est).

Lex altera: Propositiones contrariae in nulla materia simul esse possunt verae (si enim **a** et **e** essent verae, verae etiam essent **i** et **o**; atqui **o** contradictorie opponitur ad **a**, et **i** ad **e**; binae ergo contradictoriae simul verae essent); possunt tamen in materia contingenti simul esse falsae (in hac enim materia saepissime accidit, ut aliquod praedicatum neque individuis omnibus subiecto designatis tribuendum sit neque omnibus negandum, sed aliis conveniat, aliis non conveniat).

Lex tertia: Propositiones subcontrariae in nulla materia simul falsae esse possunt (si enim **i** et **o** simul essent falsae, **e** et **a**, quae sunt earum contradictoriae, simul essent verae); possunt tamen in materia contingenti simul esse verae (sicut enim **a** et **e** in materia contingenti simul possunt esse falsae, ita **o** et **i**, quae sunt earum contradictoriae, simul possunt esse verae).

Lex quarta: Si propositio subalternans superior vera est, inferior subalternata pariter erit vera. Si superior est falsa in materia necessaria, inferior quoque falsa est; in materia contingenti potest esse vera.

Scholion. His ex dictis luculenter apparet:

1° Propositiones contradictorias quod attinet: a) ex veritate unius contradictoriae necessario inferri alterius falsitatem (si **a** est verum, falsum est **o**; si **e** verum, falsum **i**; si **i** verum, falsum **e**; si **o** verum, falsum **a**); b) ex falsitate unius contradictoriae necessario inferri alterius veritatem (si **a** est verum, falsum est **o**, et ita deinceps); c) propositionem disiunctivam duabus contradictoriis formatam evidenter completam et veram esse.

2° Propositiones contrarias quod attinet: a) ex veritate unius contrariae legitime inferri falsitatem alterius (si **a** est verum, falsum est **e**; si **e** est verum, falsum est **a**); b) ex falsitate unius non concludi posse ad veritatem alterius, nisi in materia necessaria.

3° Propositiones subcontrarias quod attinet: a) ex falsitate unius subcontrariae necessario inferri alterius veritatem; b) non vero inferri ex veritate unius veritatem alterius nisi in materia necessaria.

4° Propositiones subalternas quod attinet: a) ex veritate subalternantis sequi veritatem subalternatae; b) ex falsitate subalternatae sequi falsitatem subalternantis[1], sed non contra.

---

[1] Cfr. Sylv. Maurus, Comment. in Arist. l. 1 de interpret. c. 5. Regulas modo statutas alii alia ratione ad breviorem formam redigere sunt conati. Inter quos W. Stanley Jevons, Elementary Lessons on Logic. Less. 9 p. 79.

305. Varii oppositionis gradus. Ut hi gradus statuantur, animadvertendum est, oppositionem propositionum consistere in earum inter se repugnantia, quae ex simultanea affirmatione et negatione eiusdem de eodem sub eodem respectu nascatur. Quemadmodum enim determinationes quaelibet eo sunt inter se oppositae, quod, quum altera in sua ratione alterius negationem contineat, non possunt esse unum quid, neque simul sub eodem respectu in eodem subiecto reperiri: ita propositiones eo inter se sunt oppositae, quod manente et subiecti et praedicati identitate, una negando destruit, quod altera affirmando ponit, ita ut simul in veritate convenire non possint. Ex quo efficitur, ut hi sint oppositionis gradus:

Maximam et absolutam oppositionem esse inter contradictorias, inde demonstratur, quod et quantitate et qualitate inter se diversae nunquam aut simul verae aut simul falsae esse possunt; opponuntur ergo non solum secundum affirmationem et negationem, sed etiam in veritate et falsitate.

Minor est oppositio, quae est inter contrarias, quae non est oppositio simpliciter et absoluta, sed res admixtas habet, in quibus non est oppositio. Harum enim propositionum altera plus dicit, quam satis est ad refellendam alteram. Unde nunquam quidem simul verae, tamen falsae simul esse possunt; pugnant igitur in veritate, non in falsitate[1].

Sequitur tertio loco oppositio inter subcontrarias, quae, quum quantitate conveniant, differunt tantum qualitate. Ambae propositiones, quia particulares sunt, possunt simul esse verae, sed nunquam simul falsae; repugnant ergo solum in falsitate, non in veritate[2].

Oppositio inter subalternas, quae ultimo loco ponitur, vix vera oppositio vocari potest. Quapropter ab Aristotele omnino praetermissa est. Quum enim hae propositiones per se simul verae et simul falsae esse possint, neque in veritate neque in falsitate opponuntur.

306. De propositionibus contradictoriis et contrariis dicitur accuratius. Inter omnes propositionum oppositiones nulla magis at-

---

[1] Neque obstat id, quod docet Aristoteles: Τὰ πλεῖστον ἀλλήλων διεστηκότα τῶν ἐν τῷ αὐτῷ γένει ἐναντία ὁρίζονται (i. e. quae ex rebus uni eidemque generi subiectis plurimum inter se distant, eas contrarias definiunt. L. categ. c. 6, 6 a, 17. Cfr. S. Thom. in l. 1 periherm. lect. 10). Distantia enim non idem significat atque oppositio.

[2] Cfr. Arist. l. 2 anal. prior. c. 15; Sylv. Maurus, Comment. in anal. prior. II. c. 18.

tentione digna est quam contradictoria. Haud raro enim in variis disciplinis veritas alicuius enuntiationis non demonstratur nisi ostendendo falsitatem contradictoriae. Neque minus saepe plurimum interest, ut accurate statuatur, quaenam alicuius propositionis vere sit contradictoria. Quo in negotio distinctio inter contradictorias et contrarias diligenter est animadvertenda[1].

Retinendum igitur est, propositione contradictoria negari tantum vel affirmari, quantum satis est et requiritur, ut altera falsa sit; propositione contraria vero, si huic voci subiiciatur sententia arctior, ultra statui ex opposito extremum alterum; si autem vis vocis accipitur latius, contrariae habentur propositiones omnes, quarum altera plus negat, quam ad alterius falsitatem statuendam requiritur.

Ex his sequitur, inter propositiones contradictorias nullam propositionem inveniri posse mediam, quae utramque quodammodo coniungat; eiusmodi vero propositionem intermediam reperiri semper inter contrarias. Quod iam ab Aristotele observatum est: „Contradictio nihil medii patitur, admittunt autem contraria.“ [2]

Breviter nunc videndum est, quo modo propositionis alicuius contradictoria formetur; quae res, si de propositione simplici agitur, facilis quidem est, neque tamen semper difficultate caret.

Generatim contradictoria obtinetur, quum propositioni praefigitur particula „non“, vel „non est verum“, vel „falsum est“. Ita propositio: *Bis fui Parisiis,* contradictoriam habet: *Non bis fui Parisiis.*

Speciatim vero haec observanda sunt:

1° Quae de contradictoria propositionis universalis supra diximus, valent de propositione metaphysice universali, quippe quae nullam omnino exceptionem admittat. In formandis autem contradictoriis propositionum physice vel moraliter universalium, ratio exceptionum habenda est, quae locum habere possunt. Ita propositioni: *Omnes senes sunt sapientes,* contradictoria est: *Posito etiam morum ordine consueto falsum est, omnes senes esse sapientes.*

2° Quum subiectum propositionis universalis supponitur distributive, sed incomplete, i. e. pro solis speciebus (n. 253), ad statuendam contradictoriam sensus distributionis incompletae in altera propositione exponendus est. Ita notum illud: *Omne animal fuit in arca Noë,* contradictoriam habet: *Ex aliqua specie animalium nullum animal fuit in arca Noë.*

3° Contradictoria propositionis singularis efficitur mutata tantum qualitate, i. e. addendo vel tollendo particulam „non“. Dicenti: *Plato est sapiens,*

[1] Cfr. Arist. l. de interpret. c. 7; S. Thom. in l. 1 periherm. lect. 10 et 11; Sylv. Maurus, Comment. in h. l. l. 1 c. 5.

[2] L. (9) 10 met. c. 4, 1055 b, 2.

vel: *Petrus non est iustus,* contradices: *Plato non est sapiens,* vel: *Petrus est iustus.* Si enim contradiceres: *Aliquis philosophus non est sapiens,* vel: *Omnis homo est iustus,* non diceres id, quod ad removendam propositionem propositam requireretur et satis esset.

4° Propositio, cuius subiectum habet suppositionem materialem (n. 251), vel logicam, vel absolutam, singulari aequivalet. Itaque contradictoriae sunt: *Leo est vox — leo non est vox; homo est species — homo non est species; virtus et vitium sunt habitus — virtus et vitium non sunt habitus.*

5° Idem praecipiendum de propositione, in qua particula „omnis" supponitur collective, cuius igitur contradictoria formatur mutata dumtaxat qualitate, i. e. negatione addita aut sublata.

6° Propositioni particulari (in numero singulari) contradicit universalis qualitate opposita, si suppositio subiecti est disiunctiva. Ita dicenti: *Aliquis Apostolus Christum negavit,* contradices: *Nullus Apostolus Christum negavit.* Si autem suppositio est disiuncta, hac ratione contradicere non poteris. Dicenti enim: *Alteruter oculus ad videndum est necessarius,* haud recte contradices: *Neuter oculus ad videndum est necessarius.* Verum est enim, neque determinate dextrum neque determinate sinistrum oculum ad videndum requiri. Neque satis certo contradiceres: *Aliquis oculus ad videndum non est necessarius;* nam huius enuntiationis subiectum per se etiam disiunctive supponi potest. Recte igitur effugio illo uteris: *Falsum est, aliquem oculum, etiam indeterminate sumptum, ad videndum esse necessarium;* vel: *Non est alteruter oculus ad videndum necessarius.*

7° Si denique propositio est indefinita, prius eius vis et significatio accurate est explicanda, ita ut proferatur in forma aut universali aut singulari aut particulari[1].

8° Reperiuntur quoque signa mixta ex universali et particulari, in quibus ad vim vocabulorum diligenter attendatur oportet. Ita „uterque" et „neuter" opponuntur contrarie; „alter" et „alter non" subcontrarie; contradictorie opponuntur „uterque" et „alteruter non", vel „neuter" et „alteruter".

307. De oppositione propositionum compositarum. Hae quum multiplici ratione falsae esse possint, attentum animum postulant:

1° Propositioni copulativae contradictoria est improprie disiunctiva. Ut enim falsa sit, satis est, ut non omnes propositiones componentes simul verae sint. Si igitur habes copulativam: *Auctoritas ecclesiastica et civilis a Deo est constituta,* contradictoria est: *Auctoritas aut ecclesiastica aut civilis a Deo non est constituta.* Contraria esset: *Auctoritas neque ecclesiastica neque civilis a Deo constituta est.*

2° Adversativae et causali eadem contradicit propositio improprie disiunctiva. Sit adversativa: *Omnis homo est liber, sed non a Deo independens;* sive: *Omnis homo est liber neque tamen a Deo independens.* Contradictoria est: *Aliquis homo vel non liber, vel a Deo independens est.* Sit causalis: *Homo iustus felix est, quia est amicus Dei.* Huic contradictoria est: *Homo iustus vel non felix est, vel non amicus Dei, vel certe non ideo felix, quia amicus Dei.*

[1] Cfr. S. Thom., Opusc. 48. Totius logicae summa tract. 6 c. 8.

3° Conditionali propositioni contradictoria est altera conditionalis, qua nexus inter conditionem et conditionatum negatur neque tamen ultra aliud quid statuitur. Sit conditionalis: *Si in figura plana summa angulorum aequalis est duobus rectis, haec figura est triangularis.* Contradictoria est: *Si summa angulorum aequat duos rectos, figura interdum non est triangularis,* i. e. *figura non necessario est triangularis.* Contraria esset: *Si summa aequat duos rectos, figura nunquam est triangularis,* i. e. *figura necessario non triangularis est.* Quum igitur in contradictoria nexus dumtaxat inter antecedens et consequens negetur, in contraria statuitur nexus contrarius.

4° Disiunctivae propositiones resolvantur in duas conditionales, et facile invenies contradictoriam et contrariam. Sit proprie disiunctiva: *A est aut B aut C = Si A est B, A non est C;* et *Si A non est B, A est C.* Contradictoria est: *Si A est B, interdum A est C;* vel *Si A non est B, interdum A etiam non est C.* Contraria est: *Si A est B, A est C;* et *Si A non est B, neque C.*

Sit improprie disiunctiva: *A est B vel C = A est B vel C vel utrumque.* Contradictoria vel contraria est: *A est nec B nec C.*

Propositio coniunctiva nullam parit difficultatem. Nam si habes: *A non est simul B et C,* contradictoria vel contraria erit: *A est simul B et C.*

5° Relativae et comparativae propositioni qua ratione contradici possit, exemplo satis illustratur. Sit relativa: *Tenebrae crescunt tantum, quantum lux decrescit.* Contradictoria est: *Tenebrae non crescunt tantum, quantum lux decrescit.* Contraria esset: *Tenebrae decrescunt tantum, quantum lux decrescit.*

Sit comparativa: *Theologia est scientia nobilior philosophia.* Contradictoria est: *Theologia non est scientia philosophia nobilior,* i. e. *theologia est scientia aeque vel minus nobilis quam philosophia.* Contraria esset: *Theologia est scientia minus nobilis philosophia,* i. e. *philosophia est scientia nobilior theologia.*

6° Exclusivae et exceptivae propositionis exempla:

a) Exclusiva subiecti: *Solus Deus est omnipotens.* Contradictoria est: *Non solus Deus est omnipotens.* Cuius loco dicere poteris per improprie disiunctivam: *Deus non est omnipotens; vel aliquid quod non est Deus, est omnipotens; vel utrumque.* Contraria esset: *Solus Deus non est omnipotens,* i. e. *Deus non est omnipotens, et quidquid non est Deus, est omnipotens.*

b) Exclusiva praedicati: *Angelus est natura sua tantum intellectivus,* i. e. *non est praeterea sensitivus.* Contradictoria est: *Angelus est natura sua non tantum intellectivus.* Cuius loco dicere poteris per proprie disiunctivam: *Angelus est aut non intellectivus, aut intellectivus et sensitivus.* Contraria esset: *Angelus est natura sua tantum non intellectivus,* i. e. *tantum sensitivus.*

c) Sit exceptiva: *Omne quod est, initium habet praeter Deum.* Huic contradictoria est, quae profertur per improprie disiunctivam: *Deus initium habuit, vel reliquorum quiddam initium non habuit; vel utrumque.* Contraria esset: *Deus initium habuit, reliqua omnia non habent.*

7° Reduplicativae propositionis vix opus est mentionem facere; revocatur enim ad causalem, de qua satis diximus[1].

308. **De oppositione propositionum modalium.** Scimus, propositiones posse esse complexas aut secundum formam aut secundum


[1] Cfr. Tolet., Introduct. in dial. l. 3 c. 8 sqq.

materiam; priores modales vocari, has complexas simpliciter. Nunc de oppositione propositionum modalium.

Quum in his propositionibus affirmatio et negatio non sint in praedicato dicti, sed in modo, manifestum est, oppositionem petendam esse ab affirmatione et negatione modi. Ita propositio: *Socratem currere possibile est,* non habet oppositam: *Socratem non currere possibile est,* sed: *Socratem currere non est possibile.* Semper igitur habetur contradictoria, quum ipsi „modo“ particula „non“ praefigitur.

Et quattuor illi, quos novimus, modi quandam inter se oppositionem habent, quae hac figura illustrari potest:

Necessarius Contrarii Impossibilis




Possibilis Non necessarius

Modus necessarius vocari potest universalis affirmativus, modus impossibilis universalis negativus. Reliqui vero modi („possibile“ sive „contingens“, „non necesse“) per se vim particularem habent.

Quum quattuor sint modi, et ad modos singulos accedere possit dictum **a** (i. e. dictum universale affirmativum), **e**, **i**, **o**, quater quaternae sive sedecim propositionum formae occurrere possunt. Ut autem facilius intelligatur, quae sit inter eas oppositionis varietas, hoc schema triplex usui esse potest:

1. Necesse est **a** [1] / Impossibile est **o** — Contrariae — Necesse est **e** / Impossibile est **i**




Non necesse est **e** / Possibile est **i** — Subcontrariae — Non necesse est **a** / Possibile est **o**

---

[1] Loco **a** legendum est, omne S esse P. Binas usque ponimus propositiones, quae formaliter quidem differunt, eandem tamen vim habent significandi.

2. Necesse est i / Impossibile est e — Quasi-subcontrariae — Necesse est o / Impossibile est a



Non necesse est o / Possibile est a — Quasi-subcontrariae — Non necesse est i / Possibile est e

3. Necesse est a / Impossibile est o — Contrariae — Necesse est e / Impossibile est i

Subalternae — Subalternae

Necesse est i / Impossibile est e — Possibile est a / Non necesse est o — Necesse est o / Impossibile est a — Possibile est e / Non necesse est i

Subalternae — Subalternae

Possibile est i / Non necesse est e — Subcontrariae — Possibile est o / Non necesse est a

309. De oppositione propositionum complexarum simpliciter. Quum hae propositiones praeter partem principalem contineant unum vel plura incidentia, propositio tota falsa esse potest ob cuiuscunque membri falsitatem; ex quo sequitur, tot esse in propositione complexa rationes oppositionis, quot sint eius membra. Quamobrem videndum est, in quo propositionis membro cardo quaestionis vertatur.

Illa propositio: *Ens perfectissimum est Creator rerum materialium,* contradictoriam habet: *Ens perfectissimum non est Creator rerum materialium;* vel alio modo: *Ens, quod est Creator rerum materialium, non est perfectissimum.* Propositio: *Miles necavit furem*, contradictoriam habet: *Miles non necavit furem;* vel alio modo: *Ille, quem miles necavit, non erat fur.* Dicenti: *Petrus aliquando ambulat,* non contradices: *Petrus aliquando non ambulat;* sed *Petrus „non aliquando"*, i. e. *nunquam, ambulat.* Dicenti: *Deus est ubique praesens,* contradices: *Deus non est ubique*, i. e. *alicubi non est praesens;* et contraria erit: *Deus ubique non est*, i. e. *nullibi est praesens.* Quum quis dicit: *Deus Creator natura visibili certo manifestatur*, contradictoria multiplex esse potest,

prout quis pro diverso argumentationis fine et obiecto insistere velit aut voci *Deus,* aut voci *Creator,* aut voci *visibili,* aut voci *certo.* Quod quidem exemplum paullo accuratius inspicere liceat.

In suppositione prima propositio hoc modo exponetur: *Aliquis Creator natura visibili certo manifestatur, et Creator manifestatur Deus.* Contradicitur aut negando suppositum sive primam partem huius exponentis, aut negando assertum sive partem alteram, aut negando utrumque. Quodsi brevitatis gratia negationem „suppositi" negligere velimus, quaerentes tantum „asserti" contradictoriam, haec erit: *Creator non manifestatur Deus;* vel: *Non constat, sitne Deus.* Contraria autem est: *Creator manifestatur ut non Deus,* i. e. *constat esse non Deum.* — Quodsi vis ponitur in voce „Creator", propositio exponenda est: *Deus natura visibili certo manifestatur* (quod est suppositum), *et Deus manifestatur Creator* (quod est assertum). Et contradictoria asserti erit: *Deus non manifestatur Creator.* Contraria esset: *Deus manifestatur ut non-Creator.* — Si vero vis ponitur in „natura visibili", contradictoria erit: *Non natura visibili Deus certo manifestatur Creator,* i. e. *sola natura visibilis non ostendit satis hanc veritatem.* Contraria autem esset: *Ipsa natura visibili certo manifestatur, non esse Deum Creatorem.*

II. De aequipollentia [1].

310. **Aequipollentia quid sit.** Aequipollentes generatim vi vocis eae propositiones dicuntur, quarum est eadem significatio cum eadem significationis amplitudine. Ita universalis propositio aequipollet copulativae ex omnibus singularibus sibi subiectis. Aequipollentia igitur est duarum propositionum eadem significationis vis ex aequivalentia signorum proveniens.

Apud logicos autem haec vox coarctari solet ad eam, quae speciali diligentia attendi debet; quod accidit in propositionibus,

---

[1] Cfr. Galeni (n. 38) Opusculum: Περὶ τῶν ἰσοδυναμουσῶν προτάσεων. Vocem aequipollentiae primus adhibuit Appuleius, cuius haec definitio: „Aequipollentes dicuntur propositiones, quae alia enuntiatione tantundem possunt, et simul verae fiunt aut simul falsae, altera ob alteram scilicet." Boethius iudicia haec „convenientia" vocat vel „consentientia". — Sunt ex schola Wolffiana, qui doctrinam de aequipollentia et similibus praetermittendam esse ducant. Inter quos Antonius Genuensis: „Quaeris, inquit, cui bono sit conversionis et aequipollentiae doctrina? nempe nunc tota fere inanis est: olim tamen, quum sophistarum disputationes valerent, eorum concertationibus aut alendis aut finiendis percommoda erat." (Logic. critic. c. 13.) Verum errant isti putantes, sophistarum genus extingui unquam. Alii Wolffiani, quos etiam secutus est Kant (Log. § 41 Anm.), aequipollentiam a logicis neglegi posse arbitrati sunt, quum nihil sit nisi ordo vel lusus in vocabulis. Contra quos recte Ueberweg: „Da bei der Aequipollenz die Qualität des Urtheils in die entgegengesetzte übergeht, so betrifft die Veränderung, die hier stattfindet, so leicht sie ist, doch offenbar die Form des Urtheils selbst, und nicht bloss den sprachlichen Ausdruck." System der Logik § 96.

quae ex eodem subiecto et praedicato constantes una vel altera negatione differunt et tamen idem significant. Quae aequipollentia definitur: duarum propositionum oppositarum eadem significandi vis orta ex unius alteriusve negationis additione vel subtractione. Aequipollentes sunt propositiones: *Nullus homo non est animal,* et: *Omnis homo est animal.* Et haec propositio: *Nullus homo est avis,* cui contraria est: *Omnis homo est avis,* fit huic contrariae aequivalens, addita particula negativa: *Nullus homo non est avis.* Et sicut additione, ita etiam detractione particulae negativae aequipollentia fieri potest. Unde quia quaelibet propositio habet aliam sibi oppositam, etiam habet aequipollentem; et altera ex aequipollentibus concessa, altera negari non potest.

311. **Aequipollentium rectitudo.** Quum inter propositiones aequipollentes ex natura sua necessario identitas et hinc quasi consequentia quaedam reperiatur, generalis haec regula statui potest: Propositiones, quae iisdem constant terminis, sunt vere aequipollentes, si altera ex altera legitima illatione eruitur. Sit propositio: *Omnis homo est mortalis.* Huius contradictoria est: *Aliquis homo non est mortalis.* Ex qua contradictoria recte infers: *Ergo non omnis homo est mortalis.* Et vicissim, *si non omnis homo est mortalis,* sequitur: *Aliquis homo non est mortalis.* Quare istae propositiones: *Aliquis homo non est mortalis,* et: *Non omnis homo est mortalis,* inter se aequipolleant necesse est.

Eadem sumatur propositio: *Omnis homo est mortalis.* Contraria erit: *Nullus homo est mortalis.* Ex hac autem legitime deducas hanc alteram: *Ergo omnis homo non est mortalis;* et contra ex hac illa infertur. Quo ostenditur, duas has propositiones: *Nullus homo est mortalis,* et: *Omnis homo non est mortalis,* esse aequipollentes.

Sit iterum exemplum: *Omnis homo est mortalis.* Cuius subalterna erit: *Aliquis homo est mortalis.* Ex qua sequitur: *Ergo non omnis homo non est mortalis;* et contra ex hac fluit illa. Hinc vides aequipollere inter se propositiones: *Aliquis homo est mortalis,* et: *Non omnis homo non est mortalis.*

Ex triplici, quod posuimus, exemplo patent tres celeberrimae illae regulae de aequipollentibus inveniendis, quas veteres comprehendebant vel potius leviter indicabant hoc uno versiculo memoriali:

Prae contradic; post contra; prae postque subalter[1].

[1] Enucleatius hac de re Ioh. a S. Thom., Curs. phil. p. 1 l. 2 c. 18.

Prima regula est: Ut propositio aliqua fiat aequipollens suae contradictoriae, negatio subiecto ipsius est praeponenda.

Omne A est B.	Contradictoria:	Aliquod A non est B.	Huic aequipollet:	Non omne A est B.
Nullum A est B.		Aliquod A est B.		Non nullum A est B.
Aliquod A est B.		Nullum A est B.		Non aliquod A est B.
Aliquod A non est B.		Omne A est B.		Non aliquod A non est B.

Secunda regula est: Ut propositio aliqua fiat aequipollens suae contrariae, negatio subiecto ipsius est postponenda (vel, quod in idem recidit, negatio praeponatur praedicato).

Omne A est B.	Contraria:	Nullum A est B.	Huic aequipollet:	Omne A non est B.
Nullum A est B.		Omne A est B.		Nullum A non est B.
[Aliquod A est B.	Subcontraria:	Aliquod A non est B.		Aliquod A non est B.]
[Aliquod A non est B.		Aliquod A est B.		Aliquod A est B.] [1]

Tertia regula est: Ut propositio aliqua fiat aequipollens suae subalternae, negatio subiecto eius et praeponenda et postponenda est.

Omne A est B.	Subalterna:	Aliquod A est B.	Huic aequipollet:	Non omne A non est B.
Nullum A est B.		Aliquod A non est B.		Non nullum A non est B.
Aliquod A est B.		Omne A est B.		Non aliquod A non est B.
Aliquod A non est B.		Nullum A est B.		Non aliquod A est B.

Scholion 1. Regulae, quas posuimus de aequipollentia propositionum simplicium eruenda, vim habent etiam ad statuendam aequipollentiam in iis adverbiis loci vel temporis, quae quantitatis differentiam admittunt. Itaque hi aequipollentium adverbiorum loci ordines ordinibus supra positis omnino respondent:

Ubique.	Contradictorium:	Alicubi non.	Huic aequipollet:	Non ubique est.
Nullibi.		Alicubi.		Non nullibi est.
Alicubi.		Nullibi.		Non alicubi est.
Alicubi non.		Ubique.		Non alicubi non est.

Ubique. Contrarium: Nullibi. Huic aequipollet: Ubique non.
Nullibi. Contrarium: Ubique. Huic aequipollet: Nullibi non.

Ubique.	Subalternum:	Alicubi.	Huic aequipollet:	Non ubique non est.
Nullibi.		Alicubi non.		Non nullibi non est.
Alicubi.		Ubique.		Non alicubi non est.
Alicubi non.		Nullibi.		Non alicubi [non non] est.

Similiter omnes aequipollentias invenire poteris in adverbiis temporis: Semper, nunquam, aliquando, aliquando non.

Scholion 2. De aequipollentia propositionum compositarum, exceptis modalibus, de quibus mox dicemus, nihil explicandum restat. Satis est in memoriam revocare, quae de diverso descensu a termino communi, de varia terminorum suppositione, de propositionum expositione tradidimus, et facile quisque ea huic loco applicabit.

---

[1] Vides postposita negatione non inveniri propositionem subcontrariae aequipollentem, sed ipsam subcontrariam. Cuius rei causa est, quod, quum pro „*omne non*“ dicatur *nullum*, pro „*aliquod non*“ speciale signum inventum non est.

312. **Aequipollentia propositionum modalium.** Haec iisdem fere regitur praeceptis atque propositionum simplicium. Itaque negatio ipsi modo praeposita propositionem aequipollere facit suae contradictoriae, negatio postposita (i. e. dicto inserta ita, ut dictum mutetur in contrarium vel subcontrarium) propositionem aequipollere facit suae contrariae vel subcontrariae vel quasi-subcontrariae; negatio praeposita et postposita propositionem aequipollere facit suae subalternae vel coordinatae.

Exemplo sint haec:

1. Impossibile est, aliquod S esse P.

Contraria est: *Necesse est, omne S esse P.* Huic aequipollet: *Impossibile est, aliquod S non esse P.*

Contradictoria est: *Non necesse est, nullum S esse P.* Huic aequipollet: *(Non im)possibile est, aliquod S esse P.*

Subalterna est: *Non necesse est, omne S esse P.* Huic aequipollet: *(Non im)possibile est, aliquod S non esse P.*

2. Possibile est, nullum S esse P.

Quasi-subcontraria est: *Non necesse est, aliquod S non esse P.* Huic aequipollet: *Possibile est, nullum S non esse P (omne S esse P).*

Contradictoria est: *Necesse est, aliquod S esse P.* Huic aequipollet: *Non possibile (= impossibile) est, nullum S esse P.*

Coordinata est: *Necesse est, aliquod S non esse P.* Huic aequipollet: *Non possibile est, nullum S non esse P (impossibile est, omne S esse P).*

Praeterea notandum est, unamquamque propositionem modalem fieri sibi ipsi aequipollentem, si modus sumatur contrarius (vel subcontrarius) et dictum contradictorium. Ita aequipollentes sunt hae: *Necesse est, omne S esse P; impossibile est, aliquod S non esse P;* vel hae: *Non necesse est, aliquod S esse P; possibile est, nullum S esse P.*

III. De conversione et contrapositione propositionum.

313. **Conversio quid sit**[1]. Conversio propositionum dicitur unius propositionis ex altera per terminorum transpositionem necessaria deductio, retenta qualitate ipsius propositionis. Itaque conversione

[1] Cfr. Arist. l. 1 anal. prior. c. 2, 13, 17. Conversionem vocat ἀντιστροφήν, ἀντιστρέφειν. Galenus distinguit ἀναστρέφειν (conversionem) et ἀντιστρέφειν (contrapositionem), Boethius „conversionem simplicem" et „conversionem per contrapositionem". Qui conversionem simplicem fieri dicit aut principaliter aut per accidens. — Hodie conversionem late acceptam distinguere solent in conversionem proprie dictam et conversionem per contrapositionem. Conversionem proprie dictam iterum duplicem distinguunt, eam, quam simplicem vocant (reine Umkehrung), et eam, quae fit per accidens (veränderte Umkehrung). Sed de his mox. Cfr. Twesten, Die Logik, insbesondere die Analytik. 1825. § 77 sqq. — De nova conversionis theoria, quam William Hamilton proposuit adhibita „quantificatione praedicati", cfr. Trendelenburg, Log. Unters. II. p. 337.

subiectum fit praedicatum, et praedicatum fit subiectum, ita ut affirmatio negatiove atque etiam veritas conservetur. Propositio, quae in aliam vertitur, appellatur convertenda vel conversa (quia conversionem quasi patitur), altera, in quam prior conversa est, dicitur convertens (quia priorem quasi in se convertit). Hanc conversionem dialectici praecipue adhibent, quum agitur de revocatione syllogismorum ad figuram principalem.

Conversionem fieri posse, facile intelligitur ex ipsius propositionis natura et significatione. Iudicio enim affirmativo enuntiatur aliqua duorum conceptuum inter se convenientia; iudicio negativo aliqua eorum inter se discrepantia. At vero, quum A vel res conceptu A expressa convenit cum B vel re conceptu B expressa, evidens est, etiam B convenire cum A. Quum A repugnat B, etiam B repugnat A.

In conversione id maxime cavendum est, ut terminorum extensio et suppositio in utraque propositione servetur eadem, vel saltem ne augeatur extensio. Quum enim in propositione conversa convenientia obiectiva vel discrepantia intra certos extensionis et suppositionis limites statuta sit, non licet salva veritate in propositione convertente limites illos negligere. Augeretur extensio termini, quum quis terminum a suppositione disiuncta vel disiunctiva ad distributivam transferret, vel particularem verteret in universalem. Potest tamen, ut patet, in convertente extensio et suppositio, illaesa veritate, minui vel contrahi.

Ad hunc locum spectat quoque terminorum status, ampliatio et distractio, restrictio (n. 256 sqq.), id genus alia, quae res bene attendendae et, si opus est, apertis verbis exprimendae sunt, ut falsitas a propositione convertente arceatur.

Hoc igitur cognito omnem, quae de conversione est, praeceptionem videmus paucis a De Benedictis recte constrictam esse: „Tenet universe conversio, quoties praedicatum non ampliat in convertente suppositionem, sed vel retinet priorem, vel restringit.“ [1] A qua generali regula ea tantum conversio est excipienda, quae dicitur „praeter quantitatem“, in qua praedicatum est quidem confuse in conversa, distribuitur tamen in convertente, velut: *Tantum homo est magister;* ergo: *Omnis magister est homo.*

314. Conversio proprie dicta. Haec duplex distingui solet. Aut enim simplex est (vel mutua, sine limitatione), aut per accidens (vel non mutua, cum limitatione). Conversio simplex dicitur mutatio praedicati in subiectum et subiecti in praedicatum, servata eadem propositionis quantitate, i. e. universalitate vel particulari-

[1] Log. p. 135.

tate. In hac igitur nihil mutatur in terminis nisi locus. Conversio per accidens est mutatio praedicati in subiectum et subiecti in praedicatum, non servata propositionis quantitate[1].

De duplici hac conversione duo sunt tenenda:

1. Conversione simplici legitime convertuntur solae propositiones universales negativae (e) et particulares affirmativae (i):

Nullus homo est angelus; ergo: *Nullus angelus est homo.*

Aliquis homo est iustus; ergo: *Aliquis iustus est homo.*

Cuius conversionis ratio aperta est; nam in propositione priore negativa praedicatum et subiectum sumuntur universaliter, unde in convertente latius accipi non possunt. In altera vero affirmativa praedicatum conversae propter affirmationem accipitur particulariter, et particulare manet, dum fit subiectum convertentis.

2. Conversione per accidens legitime convertuntur propositiones universales affirmativae (a) et universales negativae (e):

Omnis homo est mortalis; ergo: *Aliquod mortale est homo.*

Nullum corpus cogitat; ergo: *Aliquid, quod cogitat, non est corpus.*

Et prioris conversionis ratio in eo est, quod praedicatum conversae, quae est affirmativa, particulare est, unde non potest fieri universale per conversionem simplicem; conversione autem per accidens manet particulare in convertente. Alterius vero conversionis ratio in eo est, quod praedicatum, quod est universale in conversa, in convertente non solum non accipitur latius, sed potius angustius. Verum haec conversio parum utilis est.

Ex principiis, quae posuimus, hae fluunt regulae:

1. Propositio particularis affirmativa (i) converti potest simpliciter, non vero per accidens.

2. Propositio universalis affirmativa (a) non potest converti simpliciter, potest tamen per accidens.

3. Propositio universalis negativa (e) et simpliciter et per accidens converti potest.

4. Propositio particularis negativa (o) neque simpliciter neque per accidens legitime converti potest. In utraque enim conversione subiectum particulare transiens in praedicatum propositionis ne-

[1] Opinatur Hamilton, propter quantificationem praedicati omnem conversionem esse conversionem simplicem. Verum fallitur ille quidem. Affert enim ipse conversionis exempla, in quibus, quum non servetur eadem quantitas, conversio per accidens fit. Ita in propositione, quam toto-partialem dicit: *Omnis homo est aliquod animal;* ergo: *Aliquod animal est omnis homo,* quantitas universalis mutatur in quantitatem particularem.

gativae fieret universale ex ipsa propositionis negativae natura. Ut autem hae propositiones utcunque converti possint, alius a logicis conversionis modus excogitatus est, qui dicitur per contrapositionem, de quo mox dicturi sumus.

Scholion 1. Quando logici de possibilitate conversionis legitimae disputant, solam formam attendunt, non vero propositionis materiam. Interdum accidit, ut ratione materiae conversio fieri possit, quae ratione solius formae, sive iure logico, ut aiunt, fieri non potest. Propositio particularis negativa ratione materiae converti potest, quum praedicatum est accidens, quod igitur neque omni neque soli subiecto natura sua inest [1], vel quum praedicatum est infinitum sive negativum.

Aliqui homines non sunt albi; convert.: *Aliqua alba non sunt homines.*

Aliquis homo non est non-philosophus; convert.: *Aliquis non-philosophus non est homo.*

Scholion 2. Quoties in propositione particulari affirmativa praedicatum est eiusmodi, ut soli subiecto competere possit, ea converti potest in universalem affirmativam, velut propositio: *Aliqui lapides sunt gemmae,* legitime convertitur in hanc: *Omnes gemmae sunt lapides.*

Scholion 3. Propositio singularis affirmativa convertitur in particularem affirmativam; et singularis negativa in universalem negativam; et contra.

Hic homo est philosophus; ergo: *Aliquis philosophus est hic homo.*

Hic homo non est medicus; ergo: *Nullus medicus est hic homo.*

Aliquis imperator est Alexander; ergo: *Alexander est imperator.*

Nullus poëta est homo iste impius; ergo: *Homo iste impius non est poëta.*

Scholion 4. Si praedicatum propositionis universalis affirmativae est subiecti vel definitio vel proprium vel aliquid, quod omni et soli subiecto convenit, haec propositio est convertibilis simpliciter seu reciprocabilis [2], id quod accidit in his exemplis: *Omnis homo est ens animatum, quod ridere potest;* convert.: *Omne ens animatum, quod ridere potest, est homo. Ubi lux, ibi umbra;* convert.: *Ubi umbra, ibi lux.*

Scholion 5. Res mathematicas quod attinet, theses geometricae fere omnes conversionem simplicem admittunt; sed res semper secundum subiectam materiam diiudicanda est. In thesibus algebraicis caveas oportet, ne putes signum aequalitatis posse aequiparari copulae logicae. Et spectata hac aequalitate conversio speciali ratione efficienda est.

Scholion 6. Quum praedicatum alicuius propositionis effertur in obliquo, prius quam convertatur, mutanda est in propositionem praedicati recti; et tempus futurum vel praeteritum mutandum prius est in tempus praesens; secus illegitima erit conversio, velut: *Petrus videt caecum;* ergo: *Caecus videt Petrum. Aliquis homo desinit esse frigidus;* ergo: *Aliquod frigidum desinit esse homo. Senex fuit puer;* ergo: *Puer fuit senex.*

---


[1] Cfr. Trendelenburg, Elem. log. Arist. adnot. § 14. — Sanseverino, Log. Vol. II. p. 1 c. 2 p. 748.

[2] Cfr. Arist. l. 1 topic. c. 8 n. 3. Cfr. Sylv. Maurus, Comment. in loc. cit. c. 7 n. 3.


Praeterea non est negligendum, utrum subiectum vel praedicatum intelligatur secundum statum realis existentiae an secundum conceptum mentis vel imaginationem tantum. Quae res ut aliquo pateat exemplo, ante inventam grammaticam cum veritate quis dixerit: *Nullus homo est grammaticus;* et tamen falso dixisset: *Nullus grammaticus est homo.* In quo exemplo patet, propositionem conversam per se falsam esse, i. e. secundum absolutam universalitatem; esse autem veram per accidens, i. e. spectato statu existentiae realis.

Simili modo resolves exemplum positum ab HERBART. Vera est, inquit, propositio: *Ira deorum Homeri est terribilis;* et falsa est convertens: *Aliquod terribile est ira deorum Homeri.* In quo exemplo propositio conversa falsa est, si intelligatur deorum HOMERI ira realis. Potius ergo dicendum erat: *Ira deorum Homeri est terribile imaginativum.* Et vera erit convertens: *Aliquod terribile imaginativum est ira deorum Homeri.*

Scholion 7. Hanc de conversione doctrinam adhibitis circulis logici sic oculis subicere solent:



a *1. Homo est animal;* ergo: *Aliquod animal est homo.*
a *2. Homo est animal rationale;* ergo: *Animal rationale est homo.*



i *1. Aliqua parallelogrammata sunt figurae rectangulae;* ergo: *Aliquae figurae rectangulae sunt parallelogrammata.*
i *2. Aliqua parallelogrammata sunt quadrata;* ergo: *Quadrata sunt parallelogrammata.*

315. Quid sit contrapositio. A conversione proprie dicta, in qua termini iidem servantur, differt conversio per contrapositionem terminorum, qui propter additam negationem ex determinatis mutantur in infinitos. Ita per contrapositionem propositio: *Omne animal est vivens,* convertitur in alteram: *Omne non vivens est non animal.* Definitur contrapositio: unius propositionis ex altera deductio necessaria propter duplicis negationis additionem et terminorum extremorum inversionem. Ex qua definitione apparet, contrapositionem legitimam esse permutandi formam; si enim omne S est P, sequitur, omne, quod non sit P, neque esse S. Si nullum S est P, sequitur, nullum S non esse non P.

Sicut conversio, ita etiam contrapositio esse potest aut simplex aut per accidens, prout propositionis quantitas aut servatur, aut ex universali in particularem minuitur.

Contrapositione simplici propositio universalis affirmativa (a) transit in universalem negativam (e); et particularis negativa (o) transit in particularem affirmativam (i):

Omne honestum est pulchrum; ergo: *Quidquid non est pulchrum, non est honestum.*

Aliqui poëtae non sunt laudandi; ergo: *Aliqui, qui non sunt laudandi, sunt poëtae.*

Contrapositione per accidens propositio universalis negativa (e) transit in particularem affirmativam (i):

Nullum elementum dissolubile est; ergo: *Aliquid, quod non est dissolubile, est elementum.*

Scholion 1. Quae diximus, vim habent, si spectatur forma. Ratione materiae etiam aliae per contrapositionem conversiones fieri possunt. Ita non raro propositio particularis affirmativa contrapositione verti potest in particularem negativam, velut: *Aliquod pulchrum est gratum;* et: *Aliquid, quod non est gratum, non est pulchrum.* Sed falso converteres: *Aliqua entia intellectualia sunt corporea;* ergo: *Aliqua entia, quae non sunt corporea, non sunt intellectualia.* Neque minus falso: *Aliquod vivum est cognitione carens;* ergo: *Aliquid quod non est cognitione carens, non est vivum.*

Et propositio universalis affirmativa contrapositione verti potest in particularem negativam; velut: *Omne corpus est extensum;* ergo: *Aliquod non extensum non est corpus.*

Scholion 2. Quae de conversione et contrapositione praecepta sunt, his versiculis expressa habes:

Feci simpliciter convertitur; Eva per accid.
Asto per contra; sic fit conversio tota.

Scholion 3. Contrapositioni nonnisi vi vocis impropria nomen conversionis attribui potest. Qua de re Albertus: „Conversionem, inquit, per contrapositionem hic conversionem non vocamus, quia in tali conversione iidem termini non manent, sicut si dicam: *Omnis homo animal,* et convertam reflectendo oppositum de opposito et dicam: *Omne non-animal non-homo; non-homo* enim et *non-animal* non sunt iidem termini cum his: *homo, animal,* qui sunt termini eius propositionis, quae est conversa. Haec igitur, quae est per contrapositionem conversio, non est conversio nisi valde extensa et communi significatione huius nominis, ut omnis reflexio propositionis conversio dicatur: qua sive in terminis sive in oppositis terminorum praedicatum reflectitur in subiectum.“ [1]

316. **Conversio propositionum compositarum.** Quae statutae sunt regulae, proxime referuntur ad propositiones categoricas; sed facile applicantur hypotheticis; in quibus id, quod est contradictorium partis conditionatae in conversa, fit in convertente conditio. Si est A, est B; ergo: Si non est B, non est A. Quae contrapositionis ratio magnae utilitatis est ad statuendam „conditionem sine qua non“.

---

[1] L. 1 in anal. prior. t. 1 c. 8.

Sed conversio propositionum modalium cautionem habet. Modus, quum in his propositionibus necessario habeat vim praedicati (quamquam interdum, externam formam quod attinet, loco subiecti ponitur), nunquam in locum subiecti transferri potest; quamobrem conversio non fit in modo, sed in subiecto et praedicato propositionis absolutae, quod „dictum" appellant, velut: *Necesse est, nullum hominem esse lapidem;* ergo: *Necesse est, nullum lapidem esse hominem.*

Haud paucae statuuntur de propositionibus modalibus regulae [1], ex quibus hae potiores esse nobis videntur:

1. Si dictum est universaliter negativum (e), propositio necessaria convertitur, possibilis non convertitur. Unde si *necesse est, nullum hominem esse equum,* etiam *necesse est, nullum equum esse hominem.* Sed inde, quod *possibile est, nullum hominem esse grammaticum,* non sequitur: *Possibile est, nullum grammaticum esse hominem* [2].

2. Si dictum est particulariter vel universaliter affirmativum, propositio possibilis convertitur, atque etiam propositio necessaria converti potest. Ita si *possibile est, omnem vel aliquem hominem esse album,* etiam *possibile est, aliquod album esse hominem.* Et si *necesse est, omnem vel aliquem hominem esse animal, necesse est* quoque, *aliquod animal esse hominem* [3].

317. Aliae propositionum affectiones relativae. Sunt praeterea aliquae propositionum relationes, utiles quidem, quae tamen, quum intelligantur facilius, vix accuratiore tractatione indigent.

Inter quas: a) Subalternatio est transitus ab extensione subiecti universali ad particularem. Ita ex propositione universali categorica (S a P vel S e P) propositio particularis (S i P vel S o P) recte infertur ex illa lege: Quidquid valet de omnibus, valet etiam de quibusdam et singulis. Et quidquid de nullo valet,

---

[1] Cfr. Arist. l. 1 anal. prior. c. 3 et 4 et comment. in h. l.; Tolet., Introduct. ad dial. l. 3 c. 1; Fonseca, Instit. dial. l. 3 c. 9.

[2] Sed in hac re Aristoteli contradicunt Theophrastus et Eudemus, qui censent, has propositiones de possibili converti posse, hac nixi ratione: Quum quis dicit: Possibile est, nullum S esse P, dicere vult, neque necessarium esse, neque impossibile, nullum S esse P. Sed inde sequitur, neque necessarium esse, neque impossibile, nullum P esse S. Unde consequens est, ut sit possibile, nullum P esse S. Cfr. Prantl, Geschichte der Logik. tom. 1 p. 267 et 364.

[3] Hoc Aristotelis de propositione necessaria placitum ab aliquibus in dubium est vocatum, qui volunt inde, quod *necesse sit, aliquem grammaticum esse hominem,* non sequi, *necesse esse, ut aliquis homo sit grammaticus.* Quibus respondendum est: Etsi non est necesse, ut quidam homines determinati sint grammatici, tamen necesse est, aliquem hominem ex iis omnibus, quos concipere possumus, esse grammaticum. Necesse est igitur, aliquem hominem esse grammaticum, non quidem sensu disiunctivo, tamen sensu disiuncto. Ipse igitur Aristoteles per suppositionem conceptualem posuit, *aliquem hominem esse grammaticum;* quod qui negant, suppositionem potius realem attendunt.

etiam de quibusdam et singulis negatur. Recte infertur: *Omnes sibi malunt melius esse quam alteri; ergo aliqui sibi malunt melius esse quam alteri.* Quarum prior subalternans est, altera subalternata.

b) Illa sententiae sive sensus identitas, propter quam iudicia categorica et hypothetica inter se transformari possunt[1]. Cuius rei haec sint exempla: *Homo est mortalis;* ergo *si Petrus homo est, mortalis est. Omnis homo, qui laborat, mercede dignus est;* ergo *si homo laborat, mercede dignus est. Animal est aut rationale aut irrationale;* ergo *si animal est rationale, non est irrationale;* et *si animal est irrationale, non est rationale;* et *si animal non est rationale, est irrationale;* et *si animal non est irrationale, est rationale.*

Scholion. De reductione propositionum ad iudicium identitatis (velut: *Homo est aliquod animal)* et subsumptionis (velut: *Homo est animal)* multa habet Wundt, quae et parum sunt utilia et admodum facilia; quae Scholastici omittenda esse censuerunt[2].

IV. De transitu ex una propositione ad alteram.

318. **Transitus per modum illationis sive consequentiae.** Mens, quum ab aliqua propositione ad aliam cum priore connexam transit, propositionem novam inferre dicitur. In illatione igitur mens a propositione antecedente transit ad propositionem consequentem propter eam, quae est inter has propositiones, consequentiam. Est autem illationis genus duplex. Illatio mediata, quae dicitur ratiocinium sive argumentatio (n. 105), ea est, quae ad concludendum indiget termino tertio, qui est inter extremos medius; de quo illationis genere postea plura dicenda erunt. Illatio immediata, quae etiam consequentia simplex vocatur, illa est, in qua propositiones duae adeo perspicue inter se connexae sunt, ut mens sola attentione sine termini tertii adminiculo in consequente edicere possit id, quod in antecedente implicite iam enuntiatum est[3].

---

[1] Cfr. Ueberweg, System der Logik § 94.

[2] Logik I. p. 206. Wundt sibi ipsi dictum existimet, quod (p. 200) exprobravit Scholasticis: „Viele der allgemeinen Transformationsweisen sind von so einfacher Art, dass sie sofort als selbstverständliche erscheinen. Hier wie überall ist gerade das Selbstverständliche von der scholastischen Logik mit der grössten Breite behandelt worden; wir werden darüber kurz hinweggehen."

[3] De illationibus immediatis praeclare scripsit P. Fabri, S. I., Logica. Cfr. etiam, quae habet Twesten, Logik, insbesondere Analytik § 77 sqq. — Wolff, quum has consequentias immediatas nihil esse putaret nisi syllogismos hypotheticos mutilatos vel abbreviatos, de iis tractandum esse duxit, postquam de ipso syllogismo disputatum esset. Log. § 460.

319. Illationum immediatarum varia genera. Illationes immediatae claritatis gratia ad tres classes revocari possunt. Prima est, quum utraque propositio idem significat, terminis nonnihil tantum variatis; altera est, quum non idem significat utraque propositio, etsi iisdem fere terminis constat; tertia, quum utraque propositio neque idem significat, et terminis constat satis inter se discrepantibus [1].

In prima classe sunt illationes per aequipollentiam propositionum suppeditatae. Quum illae propositiones sint aequipollentes, quibus eadem vis est et significatio, patet, alterutra posita, implicite poni etiam alteram, et sublata alterutra, tolli alteram. Mens ergo suapte vi et natura cogitando ab altera labitur ad alteram.

Omnis homo necesse est rationem reddat Deo; ergo: *Nullus homo liber est a ratione Deo reddenda.*

Anima humana nunquam non vivet; ergo: *Anima humana semper vivet.*

Altera classe comprehenduntur illationes illae, quae ex conversione propositionum (vel contrapositione) nascuntur. Quum in conversione simplici conversa et convertens sint plane identicae, consequens est, ut posita alterutra ponatur altera, et sublata alterutra tollatur altera. Id quod dici non potest de conversione per accidens, in qua, posita quidem conversa, ponitur convertens; sed non contra; et sublata convertente tollitur conversa, sed non contra. Haec, quae est a conversione, illatio saepenumero ad explorandam alicuius definitionis vim legitimam usurpatur.

320. In tertia classe reperiuntur illationes multiplicis generis, quae hoc ordine proponi possunt:

1° Illationes, quae in propositionum oppositione nituntur. Postquam enim aliqua propositio est posita, immediate inferri potest, propositionem illi oppositam, quatenus opposita sit, esse negandam. Itaque in contradictoriis posito vel sublato priore tollitur vel ponitur alterum. In contrariis posito priore tollitur alterum, v. g.: *Haec vestis est alba, ergo non est nigra;* sed sublato priore nihil sequitur de altero. In subcontrariis sublato antecedente ponitur consequens, sed posito antecedente nihil sequitur de propositione subcontraria.

---

[1] Alii aliter. Kant in distinguendis illationibus immediatis ex tabula categoriarum procedit a se statuta. Ex quantitate subalternationem trahit, ex relatione conversionem, ex modalitate contrapositionem, ex qualitate oppositionem (Log. § 41). Omittit aequipollentiam, quippe quae solum voces, non autem formam ipsius iudicii tangat.

2° Illationes ab uno praedicato ad aliud.

Hoc modo fit, ut a) concludatur affirmative a termino inferiore sive minus universali ad terminum superiorem sive magis universalem; negative autem a termino superiore ad inferiorem.

Suum cuique tribuere est iustum. Ergo est honestum.

Homo est animal. Ergo est corpus. Ergo est substantia.

Lapis non est vegetans; ergo non est animal. Sed non valet: *Non est animal; ergo non est vegetans.*

b) Concludatur a praedicato coniuncto ad singulas eius partes, modo subiecto simpliciter tribui possint, neglecta determinatione per alteram partem significata. Ita valet: *Virtus est habitus bonus. Ergo est et habitus et bonum aliquid.*

c) Concludatur a praedicato diviso ad praedicatum coniunctum, si una pars praedicati subiecto convenit, quod iam est altera parte determinatum.

Bona est illatio: *Divitiae sunt bona, sed fallaces. Ergo sunt bona fallacia. Infidelitas est superbia et stultitia. Ergo est stulta superbia et superba stultitia.*

Ambigua erit: *Saul fuit Israelitarum maximus et fuit eorum rex. Ergo fuit maximus Israelitarum rex.*

Falsa autem est: *Homerus fuit caecus et maximus poëta. Ergo fuit maxime caecus poëta.*

3° Illationes ab una suppositione ad aliam.

Ad hunc locum spectat: a) Illatio per subalternationem, i. e. quae fit ab uno iudiciorum subordinatorum ad alterum affirmandum vel negandum, vel etiam a suppositione distributiva ad disiunctivam et singularem. Itaque posita propositione subalternante ponitur subalternata, sed non contra; et sublata subalternata tollitur subalternans, sed non contra. Et generatim id, quod convenit vel repugnat notioni superiori, convenit vel repugnat etiam notioni inferiori. Sed quod a superiore abest, potest inesse in inferiore. Quod autem abest ab inferiore, abest etiam a superiore. Quod convenit vel repugnat inferiori, non ideo convenit vel repugnat superiori.

In hoc autem illationum genere illud recordandum est, quod supra (n. 400) de universalitate physica et morali monuimus. Ex quo iudicabis, sintne legitimae hae illationes: *Omnis virtus est laudanda; ergo aliqua virtus, atque etiam modestia est laudanda. Mortui non resurgunt; ergo neque Christus resurrexit. Senes sunt queruli; ergo hic senex est querulus.*

b) Illatio a suppositione distributiva ad collectivam et contra. Qua in re ad vim praedicati diligenter attendendum est. Praedicatum enim unicuique collectionis individuo convenire potest, aut ut est pars cum reliquis partibus totum constituens, aut ut est pars a ceteris separata, aut praetermisso omni ad totum et partes reliquas respectu. Ex quo discrimine veram a falsa illatione discernes, velut quum dicitur: *Singulae creaturae a Deo pendent; ergo etiam omnes simul. Singuli homines habent unam tantum animam; ergo etiam tota collectio habet unam tantum animam. Corpus non potest cogitare; ergo totus homo non potest cogitare. Unus miles non potest vincere; ergo totus exercitus non potest vincere. Duodecim Apostoli Christi sunt collegium Apostolorum;*

ergo Ioannes est collegium Apostolorum. Omnes Episcopi Ecclesiae sunt infallibiles doctores; ergo quivis Episcopus est infallibilis doctor. Omnis homo est mortalis; ergo totum genus humanum est mortale.

4º Illationes ab uno subiecto ad aliud propter evidentem utriusque identitatem.

Vocantur quoque illationes per substitutionem; et locum habent, quum identitas terminorum inferenti aperta est ita, ut sine termino medio perspici possit, velut: *Sphaera est rotunda; ergo globus est rotundus.*

5º Illationes a modalitate propter nexum, quo haec tria: actus (esse), potentia (posse), necessitas (necesse esse) ita inter se cohaerent, ut actus supponat potentiam tantum, necessitas supponat potentiam et actum, ex sola autem potentia nihil sequatur.

1º Valet illatio: a necessitate ad actum;
ab actu ad potentiam;
a necessitate ad potentiam;
a defectu potentiae ad defectum actus;
a defectu actus ad defectum necessitatis;
a defectu potentiae ad defectum necessitatis.

2º Non valet illatio: a potentia ad actum;
ab actu ad necessitatem;
a potentia ad necessitatem;
a defectu necessitatis ad defectum actus;
a defectu actus ad defectum potentiae;
a defectu necessitatis ad defectum potentiae[1].

3º Valet illatio ab actu primo proximo (i. e. a potentia agendi proxime expedita) ad actum vel operationem ipsam in causa necessaria, non vero in causa libera, nisi forte coniecturaliter. *Lapis omnibus, quae requiruntur, suppositis potest cadere; ergo lapis cadet. Homo hac in occasione potest vitare peccatum; ergo fortasse vitabit, fortasse non vitabit.*

4º Valet illatio a potentia simultaneitatis ad simultaneitatem potentiae; sed non contra. Ex eo enim, quod quis actus duos diversos ponere atque coniungere possit, bene infertur, eum habere simul potentiam ad utrumque, velut quum dico: *Ambulare et legere possum simul; ergo habeo simul potentiam ad ambulandum et potentiam ad legendum.* Verum ex eo, quod duo simul sunt possibilia, non sequitur, ambo posse etiam simul transire in actum. Aliis verbis: Ex eo, quod quis habet simul potentias ad diversos actus, non sequitur, eum posse hos actus simul ponere. Ita male argues: *Habeo simul potentiam ad loquendum et tacendum; ergo possum loqui et tacere simul. Philosophus verum et falsum dicere potest; ergo simul eodem tempore eodemque vel respectu verum falsumque dicere potest. Omne animal et vigilare potest et dormire; ergo — Solus homo potest et plorare et ridere; ergo —.*

321. 6º Postremo loco veniunt illationes enthymematicae reliquae, quae ita ex se evidentes sunt, ut sine ullo termino

[1] Cfr Ubaghs, Logic. n. 195.

medio facile intelligantur. Sunt enim enthymemata (n. 165), in quibus etsi terminus medius latet, nulla tamen est utilitas, ut hic terminus explicite efferatur.

Cuius generis exempla sunt: *Non est pax impiis; ergo vana omnis peccatorum felicitas. Iustitia est virtus; ergo impune violari non potest. Sol lucet; ergo dies est. Vera est propositio: homo est animal; ergo falsum est, hanc propositionem esse falsam. Petrus occisus est; ergo vixit. Hic sunt Matthaeus, Marcus, Lucas, Ioannes; ergo hic quattuor sunt Evangelistae.*

Sed nemo non videt, magna in his illationibus diligentia opus esse, ne error irrepat. Si quis e. g. infert: *Omnibus rite perpensis nulla apparet in hac re repugnantia; ergo haec res est possibilis,* facile fallitur, certum quid se conclusisse putans; sed recte dicit, quatenus onus ostendendi rei impossibilitatem in adversarium reiicit; iure enim suo sententiam suam tenet, quamdiu eius absurditas apertis rationibus non evincitur. — Si quis infert: *Nulla st huius rei necessitas; ergo non existit,* dicit, quod, si simpliciter accipiatur, falsum est; nam nulla est, si res absolute accipiatur, in rebus creatis necessitas, et tamen mundus existit. Recte tamen concludit, si, nihil sine ratione proportionata admittendum esse, velit significare. — Si quis infert: *Posita hac causa, iam phaenomena hucusque cognita rite explicantur; ergo haec est phaenomenorum huiusmodi causa,* falso argumentatur. Si enim haec causa omnia illa phaenomena, ob quae sumitur, commode explicet, et ceteras hypothesis dotes habeat, erit bona hypothesis, felix praestantis ingenii partus. At inde non illico sequitur, hanc reapse phaenomenorum illorum causam esse. Secus singulis fere saeculis novum atque a priore diversum se vidisset mundus; quum excogitatae ab aliis aliae hypotheses innumerabiles phaenomena tum cognita rite explicare viderentur, quae tamen detectis postmodum phaenomenis aliis, unanimi consensu reiectae sunt. Nec ulla ratione haec arguendi ratio vim habet, si hypothesis, quae commendatur, supposita sumat, quae in veritates aliunde certo cognitas vel in alias naturae leges impingant, vel quae certe simplici, quem natura tenet, operandi modo parum conformia sint [1].

CAPUT TERTIUM.

De iis, quae ad tertiam mentis operationem spectant.

322. **Quae sit haec tertia mentis operatio.** Quum hominis natura neque in pura spiritualitate sit posita, neque ut pure sensitiva et bruta in hoc rerum sensibilium ambitu contineatur, ipsius proprium est, ut a sensibilium rerum perceptione profectus paulatim per ratiocinia ad eam cognitionem intellectualem perveniat, quae humanae naturae congruens est et necessaria.

„Perfectio spiritualis naturae, ait S. Thomas, in cognitione veritatis consistit. Unde sunt quaedam substantiae spirituales superiores, quae sine aliquo

[1] M. Mangold, Philosophia recentior, 1763, tom. 1 n. 78.

motu vel discursu statim, in prima et subita sive simplici acceptione, cognitionem obtinent veritatis, sicut est in angelis, ratione cuius intellectum deiformem habere dicuntur; quaedam vero sunt inferiores, quae ad cognitionem veritatis perfectam venire non possunt, nisi per quendam motum, quo ab uno in aliud discurrunt, ut ex cognitis in incognitorum notitiam perveniant; quod est proprie humanarum animarum. Et inde est, quod ipsi angeli intellectuales substantiae dicuntur, animae vero rationales. Intellectus enim simplicem et absolutam cognitionem designare videtur; ex hoc enim aliquis intelligere dicitur, quod interius de ipsa rei essentia veritatem quodammodo legit. Ratio vero discursum quendam designat, quo ex uno in aliud cognoscendum anima humana pertingit et pervenit. Motus autem omnis ab immobili procedit, motus etiam finis est quies. Et sicut motus comparatur ad quietem et ut ad principium et ut ad terminum, ita et ratio comparatur ad intellectum ut ad principium et ut ad terminum; ut ad principium quidem, quia non posset mens humana ex uno in aliud discurrere, nisi eius discursus ab aliqua simplici acceptione veritatis inciperet; similiter nec rationis discursus ad aliquid certum perveniret, nisi intellectus inveniatur rationis terminus, quantum ad viam iudicandi." [1]

Et revera, si quis cognitione immediata perciperet tum aliquod principium tum aliquam veritatem in illo contentam, et hanc veritatem ex illo principio sequi eodem intuitu videret et deinde hac cognitione immediata omnia illa vera esse affirmaret: is intelligeret et iudicaret, neque tamen ratiocinaretur. Ita spiritus purus quasi ex una tabula lucida veritates multas simul uno intuitu percipit. Homo contra ex separatis potius veritatis particulis novas itidem veritates ratiocinando detegere et, si ita loqui fas est, ex multis veritatis litteris studiose integra verba componere debet.

De argumentatione dicta sunt aliqua, quum de tertio sciendi modo ageretur (n. 150), sed tum obiter tantum ea sunt indicata, quae magis usum spectant et exercitium. Nunc ad rem subtilius atque accuratius tractandam revertimur, quantum id videtur ad scholae usum necessarium esse.

Eum ordinem scimus esse inter tres mentis operationes, ut prima ordinetur ad secundam, „quia, ut dicit Aquinas, non potest esse compositio et divisio, nisi simpliciter apprehensorum; secunda vero ordinatur ad tertiam, quia videlicet oportet, quod ex aliquo vero cognito, cui intellectus assentiat, procedatur ad certitudinem accipiendam de aliquibus ignotis" [2].

Contemplanti enim conceptus duos eosque inter se comparanti accidere potest, ut eorum convenientiam aut discrepantiam non videat, velut quum de

---

[1] Quaest. disput. q. 15 de verit. a. 1 (omissis iis, quae ad rem minus conducunt). Cfr. Summ. theol. I. q. 14 a. 7 et q. 58 a. 3.

[2] In l. 1 periherm. lect. 1.

Deo agitur et *infinitudine perfectionis.* Ut autem de hac re hactenus ignota certitudinem iam accipiat, reminiscendo conceptus tertii recordari poterit, quocum et conceptus *Dei* conveniat et conceptus *infinitudinis.* Quodsi mens iam assentiat, *Deum esse ens absolute necessarium,* et *ens absolute necessarium esse infinitum,* hic *necessitatis absolutae* conceptus ille tertius est, qui quaerebatur. Et mens, ubi primum hunc conceptum tertium, qui medius est, videt percipitque, eum relatione identitatis et cum primo et cum secundo coniunctum esse, etiam videt relationem identitatis inter conceptum primum et secundum. Si enim res, quam exprimit conceptus tertius, est res eadem, quam exprimit conceptus primus, iam, ubicunque est res tertio conceptu expressa, est etiam res primo expressa. Sed ex altera parte video etiam rem tertio expressam eandem esse atque rem secundo conceptu significatam. Substitutione igitur facta video, rem primo expressam esse rem secundo expressam.

Sed accidere etiam poterit, ut mens tertium conceptum inveniens huius cum conceptu primo convenientiam videat, sed eiusdem a conceptu secundo discrepantiam, velut quum quis quaerit, *sitne mundus ens absolute necessarium.* Qui si pro conceptu tertio *mutabilitatem* adhibet, statim *mundum* et *ens mutabile* convenire videbit; videt etiam, *ens mutabile* non posse esse *ens absolute necessarium.* Et iam ratiocinabitur: *Quidquid est mutabile, non est ens absolute necessarium; atqui mundus est mutabilis; ergo mundus non est ens absolute necessarium.* Sicut igitur ex perspecta identitate nascitur affirmatio, ita ex evidenti discrepantia oritur negatio.

Vel eiusdem rei exemplum ponatur huiusmodi. Quaeret ex se aliquis, sitne anima humana immortalis. Quid aget? Bene intellexit, se posse „cogitare" et „velle", se igitur habere animam spiritualem. Porro non videt, quomodo res simplex, qualis est anima spiritualis, ex se vel ab aliis rebus possit dissolvi vel corrumpi, neque rationem videt, ob quam Deus eam animam ita a se creatam unquam possit destruere. His aliisve rationibus perspectis nascuntur duo haec iudicia: *Anima humana est spiritualis,* et *res spiritualis non corrumpitur sive moritur.* Iam non opus est, ut diuturnam comparationem horum iudiciorum instituat, sed statim sibi novo eoque distincto iudicio dicit: *Ergo anima humana non corrumpitur.* Et hoc est ratiocinium negativum. Brevissima formula utrumque possumus repraesentare ita:

A est B, et B est C: Ergo A est C.
A non est B, et B est C: Ergo A non est C.

Huius partis varia sunt praecepta, quae rectam discursus formam eiusdemque vim et efficaciam spectant. Et de forma discursus aliter praecipiendum videtur, si de syllogismo deductivo agitur, aliter si de inductione. Verumtamen non incommodum videtur, quaedam ante universe de discursu quolibet dicere, post autem tradere, quae de singulis argumentandi rationibus dicenda sint. Nostrae igitur disputationis ordo erit, ut primo de ratiocinio eiusque signo, quae est argumentatio, generatim dicamus, deinde speciatim de argumentatione deductiva, ac tertio de inductiva, quibus quarto loco ea addemus, quae de ratiocinii usu et in probando potestate scitu sunt necessaria.

SECTIO PRIMA.

De discursu generatim accepto.

323. **Ratiocinium et argumentatio.** Tertia, quam diximus, mentis operatio aut ut in mente latens considerari potest, atque ita ratiocinii nomen retinet, aut ut vocabulis profertur, atque ita argumentatio nominatur vel etiam argumentum. Quia autem argumentatione exterius ea exprimuntur, quae interius in mente fiunt, ut plurimum eadem et de ratiocinio et de argumentatione valent, quapropter haec nomina saepe inter se commutantur. Tribus ratiocinii iudiciis tres respondent propositiones: una conclusio et praemissae duae, quae maior et minor nuncupantur. Sicut ratiocinium, ita etiam argumentatio tribus terminis conficitur, duobus extremis et medio. Qua de re ante (n. 151) dictum est satis[1].

Etsi igitur elementa logica ratiocinii et argumentationis sunt eadem, nos tamen claritatis gratia ea, quae de ratiocinii natura interna dicenda sunt, ab iis secernemus, quae externam spectant argumentationis dispositionem.

§ 1.

De ratiocinio sive discursu interno.

324. **Ratiocinii definitio.** Ratiocinatio sub diversa consideratione diverso modo definiri potest. Si ratiocinii natura attenditur, consistit ratiocinandi operatio in eo, quod interna duorum vel plurimorum iudiciorum inter se relatione ad novum aliquod iudicium efformandum deducimur et movemur. Quare ratiocinatio definitur: ex aliquibus iudiciis praecognitis alīus iudicii illatio; brevius: operatio mentis, qua unum ex alio infertur; vel: qua ex duobus iudiciis tertium infertur (n. 105).

Si ratiocinii finem attendis, definire debes ratiocinium: discursum rationis ab aliquo cognito ad aliud incognitum. Ad id enim ratiocinatio dirigitur, ut mens ab aliqua ignorantia ad scientiam, a dubio ad

---

[1] Quum in libro primo de tribus sciendi modis sive instrumentis diceretur, de argumentatione agebatur, ut est instrumentum sciendi; potissimum igitur praemissas attendebamus, quae hominem scientem reddunt in genere causae efficientis eo, quod intellectum ad assensum scientificum determinant. Hoc autem loco attendimus magis argumentationem formaliter acceptam, quae est tertia mentis operatio, et hominem scientem reddit in genere causae formalis eo, quod est ipsa scientia, qua informatus intellectus scit formaliter.

certitudinem perveniat. Quapropter a S. AUGUSTINO dicta est: „A certis ad incertorum indagationem nitens cogitatio“ [1], et a CICERONE: „Ratio, quae ex rebus perceptis ad id, quod non percipiebatur, adducit“ [2].

Ratiocinium, si eius ortus consideratur, definiri potest: is mentis actus, quo, instituta duorum conceptuum comparatione cum tertio, illorum inter se identitatem aut discrepantiam inferendo cognoscit; vel etiam: ea mentis operatio, quae plura iudicia communi membro connexa inter se comparat et interveniente hac comparatione componendo aut dividendo novum iudicium ab illis distinctum infert.

Quodsi quis potius materiam ratiocinii indicare velit, definiendum ratiocinium est iudiciorum complexio, in quibus de duorum conceptuum convenientia enuntiatur post horum conceptuum cum conceptu tertio institutam comparationem.

Ex his manifestum est, materiam in ratiocinio proxime iudiciis constitui, remote terminis; formam autem in ipsa connexione inter iudicium consequens et iudicia praemissa sitam esse. Apparet praeterea, ratiocinium, si explicitum sit et perfectum, proxime tres mentis operationes in se continere, comparantes duas et tertiam enuntiantem. Per comparationem identitas aut discrepantia inter conceptum tertium et primum secundumque apprehenditur. Ab illis relationibus identitatis aut discrepantiae mente perceptis, identitas aut discrepantia inter ipsa extrema fluit quasi atque descendit. Qui descensus consequentiam ratiocinii constituit. Et quia perceptio huius consequentiae est forma ratiocinii, ideo potissimum ex hac ipsa perceptione ratiocinium definiri solet.

Scholion. Ab aliis aliter ratiocinium definitur. WOLFF: „Est ratiocinatio operatio mentis, qua ex duabus propositionibus terminum communem habentibus formatur tertia combinando terminos in utraque diversos; et syllogismus est oratio, qua ratiocinium (seu discursus) distincte proponitur“ [3].

KANT dicit, ratiocinium esse alicuius iudicii ex aliis deductionem; quae si iudicio intermedio fiat, illationem esse mediatam (Vernunftschluss), sin secus, eam esse immediatam (Verstandesschluss) [4].

325. **Ratiocinii natura.** Haec interna mentis operatio nexum quendam causalem in ordine rerum externo pro fundamento obiectivo habere debet. Et terminus medius per se causam vel principium sive rationem indicat, ob quam extremum maius extremo minori conveniat. Ita ratio, ob quam *Socrates* mortalis est, in eo cernitur, quia animal est; et *pietas* ideo laudabilis est, quia virtus

---

[1] De immortal. anim. c. 1 n. 1. [2] L. 2. Acad. prior. c. 8.

[3] Log. § 50. [4] Kritik der reinen Vernunft p. 360. Log. § 41 sqq.

est[1]. „Manifestum est enim, quod causa est medium in demonstratione, quae facit scire, quia Scire est causam rei cognoscere.“ [2] Est igitur ratiocinium cognitio effectus hactenus ignoti parta ex cognitione causae. Id adversus illos dicimus, qui admittunt quidem, ratiocinium esse habitae scientiae explanationem et cum aliis communicationem, negant autem ratiocinio comparari scientiam novam[3]. Et summae laudi est Aristoteli, quod multis locis vim causalitatis in recte efficiendis deductionibus comprobaverit[4].

Neque tamen propterea ullo modo ad sententiam Hegelii concedimus, qui confundit ratiocinium nostrum et illum ordinem nexumve causalitatis vel legalitatis, qui ex parte rerum nostro discursui respondet[5].

326. Conditiones ad ratiocinium bonum requisitae. Si quis ea, quae de natura ratiocinii indicavimus, attenta mente perpenderit, facile is videbit, ad ratiocinii bonitatem imprimis requiri, ut propositiones binae, ex quibus consequens concluditur, quaeque principia naturalia ratiocinii constituunt, in se verae sint. Etiamsi enim ex antecedente falso nonnunquam consequens verum trahi possit, haec tamen veritas conclusioni per accidens inest et non ex natura praemissarum[6].

Secundo necesse est, ut altera praemissa conclusionem implicite contineat vel virtualiter sive aequivalenter enuntiet, et

[1] Cfr. Arist., Anal. post. l. 1 c. 2, 71 b, 9; l. 2 c. 2, 90 a, 31; et S. Thom. in hunc locum l. 1 lect. 3.

[2] S. Thom. in l. 2 anal. post. lect. 1.

[3] Inter hos Schleiermacher; qui quidem ratiocinium permittit esse alicuius iudicii deductionem ex alio iudicio, interveniente iudicio tertio; sed negat, hanc mentis operationem a conceptu et iudicio diversam esse, quum nihil novi patefaciat, quod non iam iudicio primo cognitum sit. Dialect. p. 268.

[4] Cfr. Ueberweg, System der Logik § 101. Aristotelicos secutus est Leibniz, quum diceret: „Il faut considérer qu'il y a deux grands principes de nos raisonnements: l'un est le principe de la contradiction; — l'autre principe est celui de la raison déterminante, c'est que jamais rien n'arrive, sans qu'il y ait une cause ou du moins une raison déterminante.“ (Théod. I. § 44.) Cfr. Monadologie (Princ. philos.) § 30 sqq. Consimiliter alii recentis aetatis philosophi. Inter quos Delboeuf ad rem accommodate: „L'enchaînement logique des idées correspond à l'enchaînement réel des choses.“

[5] „Der Schluss ist die Einheit und Wahrheit des Begriffs und des Urtheils, die einfache Identität, in welche die Formunterschiede des Urtheils zurückgegangen sind; der Schluss ist der wesentliche Grund alles Wahren, das Vernünftige, der Kreislauf der Vermittlung der Begriffsmomente des Wirklichen.“ Log. II. p. 118 sqq.; Encycl. § 181.

[6] Ἐξ ἀληθῶν μὲν οὐκ ἔστι ψεῦδος συλλογίσασθαι· ἐκ ψευδῶν δ'ἔστιν ἀληθές, πλὴν οὐ διότι, ἀλλ' ὅτι. Arist. l. 2 anal. prior. c. 2, 53 b, 7 sqq.

altera, eam ita contineri vel ita enuntiari, declaret. Secus enim nulla deductio fieri posset. In qua re rectitudo ratiocinii consistit.

Tertio ad finem ratiocinii requiritur, ut praemissae non minore certitudine constent, quam est certitudo conclusioni attribuenda.

Quarto tandem praemissae etiam notiores esse debent conclusione. Debent enim notam efficere conclusionem, quae ex se nota non est.

Scholion 1. In eo ratiocinio, quod vere et sensu pleno novum sciendi modum constituit, conclusio in praemissa maiore non formaliter implicite, sed tantum virtualiter implicite enuntiatur. Si enim formaliter implicite enuntiaretur, conclusio menti nihil novi praeberet, quin praescitum et iam enuntiatum fuisset. Si igitur ratiocinaris: *Omnes illi quattuor homines nunc actu cantant; atqui Petrus est unus ex illis quattuor hominibus; ergo etiam Petrus nunc actu cantat;* vel: *Omnes homines habitantes in hac platea latrones sunt; atqui Petrus est homo habitans in hac platea; ergo Petrus est latro*, praemissam maiorem tum solum cum veritate enuntiare potuisti, si iam formaliter sciveris, etiam Petrum actu cantare, vel latronem esse. Simulata est igitur ista ratiocinatio. Ut revera ratiocineris, adhibendus est terminus medius, quem cum extremo maiore non ex ipsa sola inductione singularium omnium coniunctum esse cognoscis, sed ex alia ratione, ut quum pro praemissa maiore sumis: *Omnes homines sunt animalia;* vel: *Omnes homines sunt peccato originali infecti.*

Scholion 2. Ex ultima, quae supra posita est, regula sequitur, ea tantum interveniente ratiocinio cognosci et probari posse, quae non sunt tam nota nobis, ut non sint alia notiora. Unde ea, quae sunt nobis omnium notissima, nulla argumentatione demonstrari possunt [1], idque non propter defectum, sed propter excessum luminis intellectualis. In quo genere sunt veritates per se notae, quae intellectis terminis statim verae esse agnoscuntur, ut: *Totum est sua parte maius* (n. 157). Quae a veteribus p r i n c i p i a p r i m a vel d i g n i t a t e s (ἀξιώματα) nominabantur, si vere prima sunt. Accedunt quoque v e r i t a t e s f a c t i, quae experientia satis universali compertae sunt, ut: *Plumbum ligno gravius est.*

327. **Ratiocinii principia** [2] eae veritates per se notae intelliguntur, quibus ratiocinium omne non quidem quoad singulas ratiociniorum materias, sed quoad communem omnium formam, tamquam firmis fundamentis innititur, quibus demonstrari potest ad oculum, ratiocinationem naturae, ad cognoscendam gradatim veritatem destinatae, omnino esse congruentem.

Si externam formam sive exprimendi modum spectes, alia ab aliis indicari solent. Et reapse alio modo proferenda sunt, si de solo ratiocinio deductivo, quod inter ratiocinia principale est, quaestio instituitur; alio, si de ratiocinio generatim accepto est disputatio, quae hoc loco a nobis suscipitur.

[1] Ὅλως μὲν ἁπάντων ἀδύνατον ἀπόδειξιν εἶναι· εἰς ἄπειρον γὰρ ἂν βαδίζοι, ὥστε μηδ' οὕτως εἶναι ἀπόδειξιν. Arist. l. 4 metaph. c. 4, 1006 a, 8.

[2] Sunt, qui in prima logica de his principiis agendum esse dicant. Sed non recte illi. Nam explicatio principiorum neque satis commode fieri potest neque est necessaria, antequam de ratiocinio agatur.

Si igitur, ratiocinii universim accepti inquiritur quae sint principia, aliud dicendum, quum attenduntur iudicia, aliud, quum attenduntur termini. Contemplantibus prolata iudicia statim apparet, ratiocinium omne hoc uno niti principio: Id quod verum fuit, aequivalenter affirmatum, verum quoque esse debet formaliter affirmatum.

Quodsi ipsorum terminorum habeatur ratio, ratiocinium, quum duo termini sunt aequales uni tertio, nititur principio identitatis: Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; quum autem unus terminus tertio aequalis est, alter ab hoc tertio diversus, nititur principio discrepantiae: Si ex duobus unum cum tertio identicum est, alterum non est, neque inter se illa duo identica esse possunt.

Scholion 1. Praeter haec duo principia, identitatis et discrepantiae, est tertium, in quo quidem ratiocinium non innititur, quod tamen ad detegenda ratiocinia illegitima adhiberi potest: Si ex duobus neutrum cum eodem tertio identicum est, concludi non potest, illa duo inter se identica esse aut non esse.

Scholion 2. Vagum nimis et indeterminatum est principium a Wundt formatum: Si duo iudicia propter conceptus, quos communes habent, in relatione inter se ponuntur, etiam illi horum iudiciorum conceptus, qui iis communes non sunt, in relatione inter se sunt positi [1].

Haud inscite igitur omne ratiocinium legitimum, immo ipsa ratiocinationis principia ad ultimum omnem suam vim et efficaciam a principio contradictionis deducere dicuntur, cui tamquam primo et ultimo lapidi innituntur. Quod principium Aristoteles vocat omnium principiorum firmissimum [2], eo quod a nemine in dubium vocari possit; quod sit omnino absolutum; quod adveniat quasi per naturam habenti ipsum, ut quasi naturaliter cognoscatur et non per acquisitionem [3]. Hoc principium, etiamsi in omni re logica semper supponitur implicitum, non tamen necesse est, ut in analysi semper enucleetur et explicetur; sed quum res per se manifestissima sit, satis subintelligitur.

328. **Ratiocinii divisio.** Si iudicia, quae conclusionem antecedunt, sunt analytica (n. 269), ratiocinium vocatur purum; si sunt

---

[1] Logik tom. I. p. 282.

[2] Τὸ αὐτὸ ἅμα ὑπάρχειν τε καὶ μὴ ὑπάρχειν ἀδύνατον τῷ αὐτῷ καὶ κατὰ τὸ αὐτό. — — αὕτη δὴ πασῶν ἐστι βεβαιοτάτη τῶν ἀρχῶν. — — ἀδύνατον γὰρ ὁντινοῦν ταὐτὸν ὑπολαμβάνειν εἶναι καὶ μὴ εἶναι. — — διὸ πάντες οἱ ἀποδεικνύντες εἰς ταύτην ἀνάγουσιν ἐσχάτην δόξαν. L. 4 metaphys. c. 3, 1005 b, 19.

[3] Ita fere S. Thom. in l. 4 metaph. lect. 2.

synthetica, ratiocinium est empiricum; si alterum analyticum est, syntheticum alterum, ratiocinium mixtum dicitur.

Sunt praeterea aliae ratiociniorum divisiones, quae tamen ex aequo argumentationes spectant, de quibus mox dicturi sumus.

Scholion. Hac nostra aetate nemo fere est, qui de rebus logicis librum scripserit, quin novam ratiociniorum divisionem proposuerit. Has enumerare longum est. Sed exempli gratia non supervacaneum ducimus indicare divisiones a Wundt propositas [1].

1. Ratiocinia identitatis; inter quae aequatio mathematica est praecipua:

$$\begin{array}{l} x = y \\ y = z \\ \hline x = z \end{array} \quad \text{vel} \quad \begin{array}{l} x = a + y \\ y = bz \\ \hline x = a + bz \end{array}$$

Huius ratiocinii exemplum sit: *Meteora sunt corpora in terram incidentia, quae ultra atmosphaeram terrae originem habent. Atqui corpora in terram incidentia, quae ultra atmosphaeram habent originem, ex sideribus proficiscuntur. Ergo meteora sunt corpora, quae ex sideribus proficiscuntur.* Vel: *Hydrogenium habet minimum pondus atomicum. Atqui hydrogenium habet densitatem minimam. Ergo elementum, quod habet minimum pondus, habet densitatem minimam.*

2. Ratiocinia subsumptionis, quibus id, quod est particularius, subsumitur sub eo, quod est universalius. Haec sunt classificationis aut exemplificationis.

3. Ratiocinia hypothetica, quae formaliter et explicite nituntur nexu causali vel logico, quem aut applicant ad rem particularem aut adhibent ad nexum novum inde deducendum.

4. Ratiocinia relativa, quorum in conclusione neque determinata identitas, neque determinata eruitur subsumptio, sed vaga tantum relatio et ex se ambigua; velut quum quis dicit:

A habet notam M;	A habet notam M;
B habet notam M;	B non habet notam M;
ergo A et B una nota conveniunt.	ergo A et B una nota differunt.

Vel: Individuum A habet notam M;
Genus X habet notam M;
ergo esse potest, ut A sit in genere X ponendum.

Vel: In M apparet factum A;
in M apparet factum B;
ergo facta A et B coniuncta sunt.

Vel: Si MN est, est AB;	Si AB est, est MN;
si MN est, est CD;	si CD est, est MN;

ergo debet esse ratio, cur A et B inter se cohaereant, et etiam C et D.

Atque hae et ab aliis nostrae aetatis hominibus propositae ratiociniorum distributiones, etiamsi fortasse spectato fine aliquo particulari aliquid commoditatis habere possunt, spectato tamen fine generali logicae nullatenus nos movere debent, ut a divisione antiquitus tradita ullo modo recedamus, ad quam illae facili negotio reduci possunt.

---

[1] Logik tom. I. p. 291 sqq.

§ 2.

De discursu externo sive de argumentatione.

329. Argumentationis definitio. Argumentationem non raro ratiocinationem totam intelligunt, qua quaestionem aliquam propositam solvere, argumentis multis probare atque etiam ab omnibus difficultatibus adversariis vindicare conantur philosophi. Hoc tamen loco voce argumentationis signum externum ratiocinii interni intelligimus, quae definiri solet: oratio significans discursum rationis ab uno cognito ad aliud incognitum; vel: oratio, qua propositio aliqua ex aliis infertur (n. 150). Propositio, quae infertur, ante institutam argumentationem quaestio dicitur; in ipsa autem argumentatione consequens sive conclusio appellatur. Ipsam consequentis ex antecedente illationem consequentiam nominari diximus (n. 151).

Non incommode apud veteres argumentatio etiam definiebatur: oratio, in qua ex argumento explicato alterutra pars quaestionis conclusionem constituit. Ita si quis quaerit, sitne Deus infinite perfectus necne, argumentum explicabit: *Ens absolute necessarium est infinite perfectum; sed Deus est ens absolute necessarium; ergo Deus est infinite perfectus.* Itaque in definitione, quam modo dedimus, partem alterutram quaestionis intelligunt esse propositionem quamlibet affirmativam aut negativam. Argumentum autem ideo postulant, ut immediatae consequentiae sive illationes, quae, carentes quippe argumento sive medio, non sunt proprie argumentationes, excludantur.

Ex definitione, quam indicavimus, intelligitur, in conficienda argumentatione tum inventione opus esse, qua medium sive argumentum aliquod a re probanda diversum reperiatur, tum iudicio, quo argumentum ad rem concludendam apte disponatur.

330. Argumentationis divisio. Quum res, de qua in argumentatione agitur, aut necessaria sit aut probabilis aut falsa, et similiter propositiones, quibus illa res proponitur, aut necessariae sint aut probabiles aut falsae vel captiosae, factum est, ut argumentationis triplex genus distingueretur. Qua de re S. Thomas: „Est aliquis rationis processus, inquit, necessitatem inducens, in quo non est possibile esse veritatis defectum, et per huius rationis processum scientiae certitudo acquiritur. Est autem alius rationis processus, in quo ut in pluribus veritas concluditur nec tamen necessitatem habens. Tertius vero rationis processus est, in quo ratio a vero deficit propter alicuius principii defectum, quod in ratiocinando erat observandum.“ [1] Unde tria argumentationis genera sponte nascuntur: argumentatio demonstrativa sive necessaria, quae

---

[1] In l. 1 poster. analyt. lect. 1.

conclusionem certam et necessario veram gignit; argumentatio probabilis sive topica vel dialectica, ex qua conclusio probabilis et ut plurimum vera sequitur (n. 156); argumentatio sophistica sive fallax, quae videtur quidem cum necessitate vel probabilitate concludere, nec tamen ad veritatem animum adducit, sive ob defectum consequentiae legitimae, sive ob antecedentis falsitatem.

Haec argumentationis divisio, id quod quivis facile videt, non propter formam et dispositionem, sed propter rem et materiam est instituta. Nobis autem nunc in contemplanda dispositione versantibus ea interim negligenda est et ad eum locum remittenda, ubi de usu et vi argumentationis dicemus.

Ratione externae formae argumentatio aut perfecta est aut imperfecta. Perfectam vocant eam, quae tres propositiones ex ordine dispositas continet. Imperfecta est omnis argumentationis species, quae vel pluribus vel paucioribus quam tribus propositionibus constituitur. Argumentatio perfecta syllogismus est (quem tamen iterum in perfectum et imperfectum distinguunt); ad syllogismum argumentationes omnes imperfectae revocari possunt; syllogismus est argumentationis species perfectissima.

331. **Syllogismus in genere** est argumentatio, in qua ex duabus propositionibus antecedentibus tertia diversa, quae dicitur conclusio sive consequens, necessario sequitur, si duae praecedentes admissae fuerint (n. 151).

Ut autem per syllogismum ex duobus iudiciis aliqua possit inferri conclusio, requiritur, ut iudicia illa in re aliqua conveniant. Ex iudiciis enim, quibus nihil plane commune est, non potest novi quidquam concludi. Unde syllogismi definitio etiam his verbis exprimi potest: Argumentatio, in qua duo extrema propositionis comparantur cum uno tertio, ut inde eorum inter se comparatio sive affirmativa sive negativa concludatur.

332. **Syllogismus simplex, compositus, complexus.** Imprimis syllogismum simplicem et compositum distinguere solent. Quae tamen divisio ab aliis paulo aliter proponitur.

Aliqui syllogismum simplicem illum intelligunt, cuius terminus medius in praemissis cum utroque extremo solo et integro coniungitur. Simplici opponunt complexum et compositum. Complexum illum intelligunt, cuius conclusio terminum complexum continet, qui integer in una ex praemissis non continetur, sed partim in una, partim in altera; in quo genere est syllogismus: *Sol est res inanima; sed Persae sunt colentes solis; Persae igitur sunt colentes rei inanimae.* Et compositum illum dicunt, cuius maior est propositio composita, integram conclusionem continens; hi igitur ad compositum revocant conditionalem, disiunctivum, copulativum. Et inter syllogismum simplicem et categoricum ita distinguunt, ut syllogismus omnis sit categoricus, cuius propositiones omnes terminum alterum immediate cum altero coniungunt; id quod in syllogismis omnibus accidit, exceptis disiunctivo et conditionali. Ex hac igitur dividendi ratione syllogismus categoricus latius patet quam syllogismus simplex.

Communior illa divisio est, qua syllogismum omnem categoricum simplicem vocant, compositum autem vel hypotheticum illum, cuius propositiones non omnes sint categoricae. Complexum illum dicunt, qui propositiones complexas continet, i. e. tales, quae licet ipsae simplices sint, tamen, quia aliqua earum pars complexa est, quandam compositarum speciem prae se ferunt.

Scholion. Syllogismorum divisio alia ab aliis est proposita.

Antiquiores Peripatetici distinxerunt syllogismos categoricos et hypotheticos; categoricos etiam simplices vel praedicativos vocarunt. Hypotheticorum dixerunt alios esse proprie hypotheticos, alios disiunctivos, coniunctivos alios.

Posteriores distinxerunt compositos et simplices; compositos distribuerunt in hypotheticos, disiunctivos, coniunctivos; simplices in complexos et incomplexos.

Chrysippus Stoicus[1] distinxerat species quinque, quarum haec exempla sunt:

Si est A, est B — est A — ergo est B.
Si est A, est B — non est B — ergo non est A.
Non potest simul esse A et B — est A (B) — ergo non est B (A).
Aut A est aut B — est A — ergo non est B.
Aut A est aut B — non est B — ergo est A.

Wolff distinguit syllogismum simplicem et compositum; composito annumerat hypotheticum (conditionalem, connexum) et disiunctivum[2].

Kant tres ponit species coordinatas: syllogismum categoricum, hypotheticum, disiunctivum, quas ex tribus relationis categoriis ducit, ex substantialitate, causalitate, communitate[3] (n. 275). Alii aliter.

333. **Syllogismus deductivus et inductivus** (n. 105). Qui ratiocinando a veritate aliqua ad aliam cognoscendam procedere vult, attendere debet, quanam ratione veritas cognoscenda in veritate cognita contineatur. Contineri autem potest ratione triplici: primo per identitatem, secundo ut minus universale in universaliore, tertio ut universale in minus universalibus vel singularibus. Unde processus fieri potest aut transeundo de aliqua veritate sic expressa ad eandem aliter expressam, aut descendendo a veritatibus universalibus ad particulares, aut contra ascendendo a veritatibus singularibus ad veritatem universalem. Quod si ita est, triplex universim syllogismus distingui potest.

Primus est syllogismus, qui vocatur expositorius, in quo per identitatem vel aequalitatem consequens ex antecedente concluditur. Qui syllogismus in principiis identitatis vel discrepantiae nititur. Sed quae est hominum conditio et humanae naturae indoles, non tam saepe adhibetur; et ad syllogismi deductivi figuram facile traducitur, ut suo loco paucis indicabimus.

---

[1] Cfr. Sext. Empir. adv. math. VIII. 223.
[2] Log. §§ 403, 416. [3] Log. § 60.

Secundus est syllogismus deductivus, quo ex universaliore antecedente consequens minus universale deducitur. In hoc syllogismo inde, quod aliquod subiectum extensione subiecti universalioris contineri aut ea excludi videmus, praedicatum universalioris subiecti eidem subiecto particulari convenire aut non convenire concludimus. Quae conclusio in his principiis fundatur: Primum: Id quod dictum est de omni, i. e. quod affirmatum est de omnibus et singulis partibus subiectivis totius cuiusdam universalis, etiam de aliqua parte eiusdem totius dici potest. Alterum: Id quod est dictum de nullo, i. e. quod de omnibus et singulis partibus subiectis totius cuiusdam universalis est negatum, etiam de aliqua parte eiusdem totius negari debet.

Tertius est syllogismus inductivus, in quo id, quod omnibus vel compluribus saltem inferioribus alicuius subiecti universalis convenire videmus, etiam huic subiecto universali convenire concludimus[1] (n. 160). Itaque in praemissa priore ponitur enumeratio aliqua singularium; in praemissa altera affirmatur, totum quoddam universale his enumeratis singularibus substitui posse, et in conclusione id, quod praedicabatur de enumeratis singularibus, etiam de toto universali praedicatur. Cuius inductionis haec ratio est: Id quod de enumeratis singulis et individuis subiectis affirmatur aut negatur, etiam de toto universali, cui illa enumerata subiiciuntur, affirmandum aut negandum est[2].

---

[1] Exemplo rem illustrat Ueberweg: „Inductiv verfuhren Kepler und seine Nachfolger in der Begründung der nach ihm benannten Gesetze, indem sie die Wahrheit der am Mars, dann auch an anderen Planeten nachgewiesenen Resultate verallgemeinerten. Syllogistisch aber ist das umgekehrte durch Newton ermöglichte Verfahren, wonach zuerst auf Grund des Gravitationsprincips nachgewiesen wird, dass sich jeder Weltkörper um sein Centrum gravitationis in einer Bahn bewegen muss, die einen Kegelschnitt darstellt, und zwar so, dass der Radius vector in gleichen Zeiten gleiche Sectoren der Bahnebene abschneidet, und dass, wenn mehrere Körper sich in geschlossenen Bahnen um denselben Centralkörper bewegen, die Quadratzahlen der Umlaufszeiten sich verhalten müssen wie die Kubikzahlen der mittleren Entfernungen und wonach dann diese Sätze auf die einzelnen Planeten, Trabanten und Kometen angewandt werden." System der Logik § 99.

[2] Ἅπαντα πιστεύομεν ἢ διὰ συλλογισμοῦ ἢ ἐξ ἐπαγωγῆς. (L. 2 analyt. prior. c. 23, 68 b, 13.) Μανθάνομεν ἢ ἐπαγωγῇ ἢ ἀποδείξει. Ἔστι δ' ἡ μὲν ἀπόδειξις ἐκ τῶν καθόλου, ἡ δ' ἐπαγωγὴ ἐκ τῶν κατὰ μέρος. (L. 1 analyt. post. c. 18, 81 a, 40.) Et hanc indicat differentiam, quae sit inter syllogismum et inductionem: Ἐπαγωγὴ ἡ ἀπὸ τῶν καθ' ἕκαστον ἐπὶ τὰ καθόλου ἔφοδος, οἷον εἰ ἔστι κυβερνήτης ὁ ἐπιστάμενος κράτιστος καὶ ἡνίοχος, καὶ ὅλως ἐστὶν ὁ ἐπιστάμενος περὶ ἕκαστον ἄριστος.

Scholion. Potest etiam triplex ratiocinationis species ita poni, ut prima sit discursus deductivus (συλλογισμός), altera discursus inductivus (ἐπαγωγή), tertia discursus ab exemplo vel analogia (παράδειγμα, ἀναλογία). In hac tertia argumentationis specie singulare quidpiam ex uno vel perpaucis similibus concluditur, sive haec sunt rei factae, sive rei fictae (ut in parabolis). Et revera mens ratione triplici ad inveniendum verum discurrere potest. Aut enim ex veritate generali ad particularem descendit, aut a re particulari ad generalem ascendit, aut ab una re particulari ad aliam, quae similis est, transit [1]. Verum haec tertia, quae ab exemplo vel analogia trahitur argumentatio, propter commoditatem ad inductionem vel deductionem revocari solet.

Et quae communiter de discursu deductivo et inductivo perscribenda videbantur, haec fere sunt, quae dicta sunt hactenus. Nunc aliqua separatim de utroque praecipienda videntur.

SECTIO SECUNDA.

De discursu deductivo.

§ 1.

De ipsa ratiocinii deductivi indole.

334. **Deductionis vis et praestantia.** Pauca prius de interno deductionis processu convenit dicere, quam ad syllogismum veniamus, quae est ratiocinii deductivi expressio.

Deductionis proprium esse scimus, ut sit via, quae ex cognitione universaliore deducat ad cognitionem rei magis particularis vel etiam singularis. Sicut hominis ut entis sensitivi est proprium, ut a singularibus humana cognitio incipiat, ita hominis ut entis intellectualis est proprium, ut a singularibus ad universaliora progrediendo nexum causalem investiget, et haustas ex rerum contemplatione ideas universales rebus singularibus per deductionem applicet. Quo in processu illud universale attenditur, quod ad rei, de qua quaeritur, essentiam pertinet et est causa eorum, quae in re necessario insunt [2]. Nam universale, quod proprium (οἰκεῖον) est, nec tantummodo commune (κοινόν), ipsius rei quasi lex est et ratio.

Ἔστι δ᾽ ἡ μὲν ἐπαγωγὴ πιθανώτερον καὶ σαφέστερον καὶ κατὰ τὴν αἴσθησιν γνωριμώτερον καὶ τοῖς πολλοῖς κοινόν, ὁ δὲ συλλογισμὸς βιαστικώτερον καὶ πρὸς τοὺς ἀντιλογικοὺς ἐνεργέστερον. L. 1 top. c. 12, 105 a, 13.

[1] Cfr. Ueberweg, System der Logik p. 312 sqq. Nec inepte conclusio deductiva „Unterordnungsschluss“ appellari potest, conclusio inductiva „Ueberordnungsschluss“, conclusio ex analogia „Nebenordnungsschluss“.

[2] Ὧι καθ᾽ αὑτὸ ὑπάρχει τι, τοῦτο αὐτὸ αὑτῷ αἴτιον. Τὸ δὲ καθόλου πρῶτον· αἴτιον ἄρα τὸ καθόλου. L. 1 analyt. post. c. 24, 85 b, 24.

Et hanc nexus causalis, qui in perceptis rerum essentiis fundetur, claram cognitionem ad vim et robur deductionis requiri, bene tenendum est. Nisi enim praemissa maior in cognito hoc nexu causali atque essentiali fundata sit, in alia re nisi in perceptis omnibus singularibus, quae in praemissa maiore continentur, fundamenta habere non potuit; atque ita ipsa etiam deducenda conclusio ante explicite cognita esse debuit, quam praemissa maior poni posset (n. 326 *Schol.* 1). Velut si concludo: *Milites omnes huius cohortis sunt homines probi; atqui Caius est miles huius cohortis; ergo Caius est homo probus,* certe propositionem maiorem ut omnino veram ponere non possum, nisi prius etiam Caium esse hominem probum cognovero. Alia sane res esset, si nexum causalem et hinc cohaerentiam necessariam inter *„esse militem huius cohortis"* et *„esse hominem probum"* cognoscerem; tum enim ad praemissas ponendas non oporteret, ut praecognovissem Caium probum esse. Ita post Kepleri et Newtonii tempora certum est, esse nexum causalem inter *„esse sidus"* et *„subesse legi attractionis universalis"*. Unde nemo dubitat, quin haec lex etiam de sideribus nondum cognitis valeat; neque ad id requiritur ulla sideris novi observatio vel experientia [1]. Atque id Aristoteles significare voluit, quum diceret, causam esse terminum medium in syllogismo [2]. Quum autem eorum, quae in re insunt, causa praecipua sit ipsa rei essentia, apparet, intimam esse syllogismi cum rei essentia coniunctionem [3]. Quapropter passim docet Aristoteles, essentiam vel definitionem, quatenus exhibeat praemissam maiorem, esse syllogismi principium; et syllogismum, quatenus exhibeat in termino medio causam rei, adducere ad cognoscendam rei essentiam vel definitionem [4].

Atque in hoc quidem investigandarum causarum studio et facultate coniungendi omnia per cognitionem nexus causalis et ascendendi ratiocinando usque ad causam altissimam ingens humani animi praestantia cernitur, qua substantiis omnibus vel formis rerum naturalium magnopere antecellit.

Ostendunt philosophi naturales, formarum substantialium, quae animarum instar varias res naturales intrinsecus determinant et constituunt, eam esse vim, ut res secundum materiam in hoc universo diffusas et per motum a Deo motore primo profectas in unitatem quandam et ad Deum Creatorem ut ad finem ultimum per tendentiam finalem reducant. Quae vis potissima in anima humana inest, quae intellectu entia omnia cognoscendo in se unit et voluntate sua ad Deum ipsum omnis Esse fontem sic reducit, ut alia in hoc universo aspectabili forma nulla. De qua cognitionis unitate praeclare S. Thomas: „Anima hominis

---

[1] Cfr. Ueberweg, System der Logik § 101.

[2] Τὸ μὲν γὰρ αἴτιον τὸ μέσον. L. 2 anal. post. c. 2, 90 a, 6; l. 2 de an. c. 2. Cfr. Waitz ad anal. post. II. 2 vol. II. p. 380; Trendelenburg, Log. Untersuch. ad 3 t. 2 p. 388 sqq.

[3] Arist. l. 6 (7) metaph. c. 9, 1043 a, 31. In quem locum Aquinas: „In syllogismis omnium principium est, ‚quidquid est rei' . . . Intellectus speculativus procedit ad demonstrandum passiones de subiectis ex consideratione eius, quod quid est." In l. 7 metaph. lect. 8.

[4] Arist. l. 1 anal. post. c. 8, 75 b, 31; l. 2 c. 2 sqq., 90 a, 6; l. 2 de anim. c. 2, 413 a, 13.

fit omnia quodammodo secundum sensum et intellectum, in quo cognitionem habentia ad Dei similitudinem quodammodo appropinquant, in quo omnia praeexistunt." [1] Quodsi haec efficiendae unitatis ratio in cognitione qualibet reperitur, quanto magis in cognitione intellectuali est, quae sensibilitatis limitibus non coarctatur, sed omnia sub ipsa entis ratione considerare potest. Ubi primum enim intellectus res percipit, illico ad percipiendas rationes universales prosilit usque ad ipsam notionem entis, quae omnium est communissima et, ut omnia, quae percipit, secundum notiones generaliores logice uniat et ordinet, a natura sua impellitur. Atque ita illa deductio oritur, qua interveniente notiones universaliores particularibus et singularibus applicantur.

335. *Scholion 1.* Aristoteles deductionem considerat sub ratione duplici: 1° ut inferiorum subsumptionem sub superioribus eiusdem generis [2]; 2° ut progressum cogitandi sive ut cogitationem a praedicato ad praedicatum progredientem secundum axioma: praedicatum praedicati est etiam praedicatum subiecti [3]. Sed harum considerationum prior est principalis.

Secundum priorem deductionis considerationem apud philosophos mos invaluit, ut in syllogismis primo loco ponatur propositio extremum maius continens, quae est universalior, et deinde ea, quae minus est universalis, quia in ea terminus medius de extremo minore praedicatur. Unde syllogismi forma usitatissima haec est: *Virtus est bona; iustitia est virtus; ergo iustitia est bona.* Quae quidem positio id incommodi habet, ut terminus medius, ad speciem externam quod attinet, medio loco, qui ei debetur, non appareat. Unde aliquibus philosophis Arabibus magis placuit argumentari hac ratione: *Iustitia est virtus; virtus est bona; ergo iustitia est bona.* Nihilo tamen setius usitata syllogismi forma praeferenda est, quia in Arabica propria deductionis natura non satis exprimitur. Cfr. p. 167 not. 1.

Scholion 2. Syllogismus deductivus, quum ab universalioribus, quae sint simpliciora, procedat ad magis particularia, quae sint magis composita, ipse in se est processus syntheticus. Unde errat Trendelenburg, quum processum syntheticum inter et syllogismum distinguit; synthesim fieri per immediatum intuitum ingenii, syllogismum esse huius intuitus explicationem; syllogismo extrahi particularia ex facto universali; synthesi construi effectum ex causa; syllogismo inesse vim pure formalem, synthesi vero vim realem; syllogismum nihil esse nisi externam subsumptionem, synthesim vero esse novae scientiae generationem [4]. Verum haec subtilius quam verius dicta sunt. Nam accuratius rem inspicienti luculenter apparet, separationem istam minime locum habere. Qui processum

---

[1] S. Thom., Summ. theol. I. q. 80 a. 1.

[2] Ita l. 1 anal. prior. c. 4 sqq.

[3] Categ. c. 3; cfr. Trendelenburg, Log. Untersuch. edit. 3. II. p. 350.

[4] Ita in libro Logische Untersuchungen II. p. 314 sqq.

syntheticum sequitur, syllogismos adhibere debet, unde ille vim totam trahat; et in syllogismo latet illa vis synthetica. Et utriusque processus vis una est in eo, quod universale indicat causam. In omni enim ratiocinio „factum" universale eatenus habet vim universalem illativam, quatenus est „causa" universalis. Id quidem Trendelenburgio concedendum est, ipsum syllogismum tum ex parte formali, tum ex parte reali sive materiali considerari posse.

336. **Deductionis principia.** Inquirentibus de syllogismi principiis observandum imprimis est, in hac quaestione agi de syllogismo, ut formaliter est deductivus; qui syllogismus semper intelligendus est, quum de syllogismo simpliciter agitur. Et huius quidem syllogismi natura ea est, ut ab universalioribus descendatur ad particularia; quamobrem terminus medius in hac deductionis via non formaliter consideratur ut res, quae secundum identitatem discrepantiamve cum duobus extremis comparetur deprehendaturque aut ut obiective identica cum utroque extremo aut cum uno identica diversaque ab altero; sed potius consideratur ut res, quae sub alterutro extremo contineatur alterumque sub se contineat, aut etiam ab eo excludatur. Quod si ita est, apparet, rectissime ab Aristotele[1] ut syllogismi principia assignata esse, quae vocari solent „Dictum de omni" et „Dictum de nullo"; ex quibus quidquid de subiecto universali affirmatur, de quovis contento sub hoc subiecto affirmandum est, et quidquid negatur de subiecto, negandum est de quovis contento sub hoc subiecto[2].

Scholion 1. Haec duo principia ab aliis alia ratione pronuntiantur; et prius quidem: Quidquid est sub contento, est sub continente; vel: Id quod includit continens, includit etiam contentum. Alterum vero: Quidquid est extra continens, est extra contentum; vel: Id quod excludit continens, excludit etiam contentum. Verum hae dicendi formulae non re, sed voce tantum inter se diversae sunt. Affirmari enim per modum praedicati universalioris de re minus universali idem est atque includere illam; et negari de aliqua re idem est atque excludere illam[3].

---

[1] Τὸ κατὰ παντὸς κατηγορεῖσθαι . . . τὸ κατὰ μηδενός. L. 1 anal. prior. c. 1.

[2] Cfr. Trendelenburg, Log. Untersuchungen II. p. 346, et quae scripsit Rehnisch in fol. Zeitschrift für Philos. edit. Ulrici tom. 76 p. 1 sqq.

[3] Τὸ ἐν ὅλῳ εἶναι ἕτερον ἑτέρῳ, καὶ τὸ κατὰ παντὸς κατηγορεῖσθαι θατέρου θάτερον ταὐτόν ἐστιν. (Arist. l. 1 anal. prior. c. 1.) Generatim termini et secundum extensionem et secundum comprehensionem inter se comparari possunt (Inhaltsverhältniss, Umfangsverhältniss). Quum comparantur inter se secundum extensionem, terminus extensione maior continet terminum extensione minorem, et subiectum continetur sub praedicato; quum vero inter se comparantur se-

Scholion 2. Haec duo, quae diximus, principia tum solum aperte et immediate syllogismi fundamenta sunt, quum is ea figura profertur, quae apertior est et naturae humanae mentis maxime accommodata; ut quum quis dicit hoc modo: Medium (M) est sub extremo maiore (P); atqui extremum minus (S) est sub medio (M); ergo S est sub P.

Sed sunt etiam — id quod mox videbimus — figurae aliae, rectae quidem et naturales, sed tortuosiores et obscuriores, quas torta mens ad figuram primam naturalem, quam ante indicavimus, libenter et facile reducit.

Cuius rei si quis exempla desideret, syllogismus hac ratione disponi potest: *Lapis non est planta; rosa est planta; ergo rosa non est lapis.* Id quod generaliter sic expresseris: P non est sub M; sed S est sub M; ergo S non est sub P. Vel alia ratione: *Rosa est planta; lapis non est planta; ergo lapis non est rosa;* cuius ratio generalis est haec: P est sub M; S non est sub M; ergo S non est sub P. Si quis igitur relicta facili et naturali ratiocinandi figura per eius generis figuram discurrere velit, is iam principia, quae indicavimus, nunc in formas implicatiores mutare debebit eaque hoc modo pronuntiabit. Id *(lapis)*, quod neque continetur sub alio *(planta)* neque continet illud, non continet inclusum ab illo *(rosam)*. Alterum: Quod *(rosa)* continetur sub alio *(planta)*, id non continet exclusum *(lapis)* ab illo, neque in eo continetur.

Immo etiam secundum hanc figuram syllogismus disponi potest: *Homo est animal; et homo est substantia; ergo aliqua substantia est animal.* Quod generaliter sic comprehendes: M est sub P; et M est sub S; ergo aliquod S est sub P. Vel alia ratione: *Avis non est accidens; sed avis est creatura; ergo aliqua creatura non est accidens.* Quod ratiocinium secundum hanc procedit formam: M non est sub P, M est sub S; ergo aliquod S non est sub P. Et iam pronuntianda sunt principia: Quod *(animal)* includit sub alio *(substantia)* contentum *(homo)*, id includit aliquam continentis partem *(aliqua substantia)*. Et quod *(accidens)* excludit sub alio *(creatura)* contentum *(avis)*, id etiam excludit aliquam continentis partem *(aliqua creatura)*.

Scholion 3. En tibi iam principia omnia, in quibus syllogismus utcumque propositus fundamenta proxima habet.

Primus binarius: Quod includit continens, includit etiam contentum sub eo. Quod excludit continens, excludit etiam contentum sub eo.

Alter binarius: Quod neque continetur sub alio, neque continet illud, non continet inclusum sub illo. Quod continetur sub alio, non continet exclusum ab illo neque sub eo continetur.

Tertius binarius: Quod includit sub alio contentum, includit etiam aliquam continentis partem. Quod excludit sub alio contentum, excludit aliquam continentis partem.

Et res aperta est, haec omnia principia, quibus figurae omnes syllogismi reguntur, nihil aliud esse, nisi formulas varias binarii primi vel prin-

---

cundum comprehensionem, terminus comprehensione minor continetur in termino, qui est comprehensione maior, et praedicatum continetur in subiecto. Aristoteles quum demonstrat figuras syllogismi, utramque adhibet comparationem, magis tamen comprehensionis; recentiores magis attendunt ad comparationem extensionis.

cipii illius bipartiti, quod veteres vocabant: Dictum de omni et dictum de nullo[1].

Scholion 4. Mirabitur forte quispiam, quomodo, quum ante principio identitatis dixerimus omne ratiocinium niti, nunc haec alia proferamus: sed quae nunc posuimus principia, proxima sunt ratiocinii deductivi. Non potest autem quemquam latere, hoc principium bipartitum, quibus syllogismus deductivus regitur, vim suam totam ex principio haurire identitatis, et quod huic adiunctum est, discrepantiae, quae principia omnis ratiocinii esse diximus. Planum quoque est, haec, quae identitatis et discrepantiae vocantur principia, tandem revocari ad illud, quo vetamur negare et affirmare idem de eodem sub eodem respectu; eo quod nihil simul esse possit et non esse. Unde patet, principium contradictionis ultimum esse omnis ratiocinationis fundamentum.

337. **Termini medii ad extrema relatio.** Terminus medius ad aliquod extremum comparatus aut antecedens est aut consequens aut repugnans. In qua re non ille ordo ontologicus observatur, in quo causa realis rem antecedit et effectus realis causam consequitur, sed ordo aliquis cognitionis attenditur. Unum igitur comparatione alterius dicitur antecedens, quo posito alterum ponitur, vel ex quo aliud infertur. Et consequens dicitur, quod posito altero necessario ponitur, seu quod ex alio recte infertur.

Sic *animal* dicitur antecedens ad corpus et *corpus* dicitur consequens ad animal, quia posito animali necessario ponitur corpus. Unde consequens semper affirmari de antecedente, sed antecedens non potest simpliciter praedicari de consequente. Repugnans vel extraneum autem illud vocant, quod de altero, aut de quo alterum vere affirmari non potest, ut est *homo* ad *lapidem* comparatus.

Quibus dictis liquet, universaliora comparata cum suis inferioribus semper esse consequentia, ipsa autem inferiora comparata cum universalioribus, quibus subsunt, semper esse antecedentia.

His praenotatis de termino medio dicendum est. Et eius quidem ad extrema relatio varia et multiplex esse potest.

Si conclusio est affirmativa, terminus medius erit aut antecedens ad praedicatum conclusionis et consequens ad eiusdem subiectum, ut quum dico: *Animal est substantia; homo est animal; homo est substantia;* aut antecedens ad subiectum et consequens ad praedicatum, ut quum dico: *Animal est substantia; homo est animal, aliqua substantia est homo;* aut antecedens ad utrumque, velut quum dico: *Homo est animal; homo est substantia; aliqua substantia est animal.*

---

[1] Ad haec veterum principia a nonnullis trahuntur illa, quae a Kantianis sunt posita: Nota notae est etiam nota rei; et: Repugnans notae repugnat etiam rei. Verum ista latius accipi possunt, et non solum deductioni applicari, sed etiam inductioni.

Deinde in conclusione negativa terminus medius erit aut repugnans praedicato et antecedens ad subiectum: *Nullus homo est lapis; homo est animal; aliquod animal non est lapis;* aut repugnans praedicato et consequens ad subiectum: *Nullum animal est lapis, homo est animal, nullus homo est lapis*; aut repugnans subiecto et consequens ad praedicatum: *Homo est animal; nullus lapis est animal; nullus lapis est homo.*

Observandum autem est, ex medio, quod est consequens ad utrumque extremum, aut repugnans utrique, aut repugnans subiecto et antecedens ad praedicatum, nullam fieri posse consequentiam legitimam.

Tripartiti, quod diximus, axiomatis, quae sit ratio, breviter nunc est videndum. Et ratio primi membri in eo est sita, quod, etiamsi duo in aliquo tertio communi, quod de utroque potest praedicari, conveniunt, non inde sequitur, ea etiam inter se convenire ita, ut unum de altero praedicari possit. Secus dicere posses: *Homo est substantia; lapis est substantia; homo est lapis.*

Et alterius membri ea est ratio, quia duo, quae alicui tertio repugnant, non ideo etiam repugnant inter se. Secus dicere posses: *Homo non est lapis; animal non est lapis; homo non est animal.*

Tertium autem membrum ideo verum est, quia, si medium ad praedicatum antecedit et subiecto repugnat, non sequitur, etiam praedicatum eidem subiecto repugnare. Quoniam enim praedicatum est universalius illo medio, fieri potest, ut praedicatum illud subiecto competat, etiamsi medium utpote minus universale eidem non competat. Secus dicere posses: *Omne vivens est substantia; nullus lapis est vivens; ergo nullus lapis est substantia.*

Et his intellectis clavem habes, qua tibi eas, quae a veteribus de inventione medii statutae sunt regulae, aperire possis[1].

338. **Modus quaerendi terminum medium.** Hunc medium quaerere idem est atque terminum quaerere, qui cum duobus extremis terminis in figura et modo dispositus syllogismum efficit, quo proposita quaestio solvatur. Sed duplex hoc loco res distinguenda est. Primo enim quaeri potest, a quo loco, utrum a genere an a differentia, an a causa an ab effectu, an a proprietate an ab alia re terminus medius trahi possit secundum rem sive materiam, quam termini significant. Potest deinde quaeri, qua ratione medius terminus ad duo extrema referri debeat, si forma attendatur vel dispositio syllogismi. Quae res ambae a veteribus magna cum diligentia tractatae sunt. Verum omissa hic quaestione priore, atque praetermissa etiam latiore alterius quaestionis explanatione (de quibus post dicendum erit accuratius in parte inquisitiva sive

---

[1] Cfr. Sylv. Maurus (edit. Ehrle) in Arist. anal. prior. Sect. II.

topica) pauca tantum hoc loco proponimus, quae faciliorem usum spectant. Hac de re duae apud logicos constitutae sunt regulae:

Regula prior: Ad propositiones affirmativas probandas quaeratur medium, de quo praedicatum conclusionis praedicari possit, et quod idem praedicari possit de subiecto eiusdem conclusionis. Sicut enim, si quis quaerat, sitne *pecunia* in aliqua arca ampliore reposita, imprimis reminiscatur, in qua crumena pecunia insit, et deinde, num haec crumena sit in arca: ita etiam, qui quaerit, sitne aliqua res sub aliquo praedicato, quaerere debet, qui terminus medius de illa re praedicari possit et sub illo praedicato subsit.

Regula altera: Ad propositiones negativas stabiliendas quaeratur medium, quod praedicato conclusionis repugnet, et tamen subiecto conveniat. Et etiam illa adhiberi possunt, quae repugnant subiecto, praedicato autem conveniunt[1].

Quae praecepta, secuti Aristotelem[2], generaliore etiam modo possumus significare. Si conclusio affirmativa probanda sit, quaeratur causa, propter quam praedicatum subiecto conveniat; quodsi ipsa causa non occurrat, certum aliquod et necessarium quaeratur signum, quo praedicati cum subiecto connexio clare appareat. Si autem conclusio negativa est probanda, quaeratur causa, propter quam praedicatum subiecto repugnet; quod si eiusmodi causa quaerenti non sit praesto, certum aliquod exquiratur signum, quo illa repugnantia intelligatur.

Scholion 1. Alii hoc modo praecipiunt: Regula prior: Terminus medius debet continere extremum, de quo praedicatur affirmative; aut illi repugnare, de quo praedicatur negative; et illud quidem debet continere totum in propositione universali, particulariter in propositione particulari.

Vel si placet, ita: Terminus medius debet toti termino conclusionis, quocum in praemissis comparandus est ut „praedicatum affirmativum universaliter" (a), esse consequens ex natura rei. Illi autem toti debet esse repugnans, cuius est „praedicatum negatum universaliter" (e). Parti alicui eiusdem extremi, cuius est „praedicatum affirmatum particulariter" (i), debet esse consequens. Cuidam parti eiusdem extremi, cuius est „praedicatum negatum particulariter" (o), debet esse repugnans.

Regula altera: Terminus medius debet contineri in extremo, quod de eo praedicatur affirmative in praemissis; et excludi ab extremo, quod de eo praedicatur negative; atque totus quidem in propositionibus universalibus, quoad partem tantum in particularibus.

Vel si placet ita: Terminus medius terminum conclusionis, cui comparandus est in praemissis tamquam „subiectum universale affirmative", totus

[1] Goudin, Log. min. P. 3 Appendix. [2] L. 1 anal. prior. c. 28, 43 b, 39.

antecedat. Eundem reiiciat totus medius, qui ipsi „subiicitur universaliter negative". Eundem extremum antecedat pars medii, quae ipsi „subiicitur particulariter affirmative". Eundem extremum reiiciat pars medii, quae ipsi „subiicitur particulariter negative" [1].

Scholion 2. De cetero haec termini medii inquisitio magnam partem ab illa sagacitate pendet vel solertia naturali, quae est „quaedam subtilis et facilis coniecturatio medii, propter quod aliquid evenit, et hoc, quando non habet maximum tempus ad perspiciendum vel deliberandum. . . . Talis solers, videns omnes causas medias, cognovit et ultimas, in quas fit ultima resolutio, per quas cognoscitur propter quid. . . . Unde patet, quod solertia est quaedam perspicacitas velociter apprehendendi medium, quod contingit ex naturali aptitudine et etiam ex exercitio." [2]

§ 2.

De discursu deductivo externo [3].

339. **Syllogismus perfectus et imperfectus.** Quum de re aliqua instituitur disputatio, imprimis ad eam rei speciem attendendum est, in qua illius rei ratio perfecta invenitur, quo facilius et certius etiam de iis iudicetur, quae a perfecta rei ratione deficiunt. Secundum hoc principium de syllogismo philosophatus est Aristoteles. Syllogismus perfectus est, qui clare et directe conclusionem infert; imperfectus autem, in quo non tam clare conclusio ex sumptionibus sequitur. Qui igitur naturam syllogismi perspexerit, is facile videt, syllogismi perfecti rationem in eo sitam esse, ut altera praemissa conclusionem contineat, altera contentam declaret, et deinde conclusio a maiore per minorem deducatur. Unde in hoc syllogismo maior respectu conclusionis, quam continere debet, universalis est; et minor, quum pronuntiet, inferius quid in universaliore contineri, per se debet esse affirmativa. Conclusio autem qualitatem maioris habere debet et quantitatem minoris. Debet igitur esse affirmativa aut negativa, prout maior affirmativa est aut negativa; secus enim conclusio in maiore non contineretur, neque inde deduci posset. Et quia conclusio de subiecto in minore

---

[1] Aliae etiam a logicis de eadem re praeceptiones proponi solent, quae tamen, quum re explicanda obscuriores sint, potius praetermittuntur. Timendum est enim, ne his in rebus illud Tullii locum habeat: „Quemadmodum res obscurae dicendo fiunt apertiores, sic res apertae obscuriores fiunt oratione."

[2] S. Thom. in l. 1 analyt. post. lect. 42. Solertia haec (ἀγχίνοια) describitur ab Aristotele (hoc loco c. 34, 89 b, 10): Εὐστοχία τις ἐν ἀσκέπτῳ χρόνῳ τοῦ μέσου. Hac de re cfr. Beneke, System der Logik. I. p. 267 sqq.; Lehrbuch der Psychol. § 158; Psychol. Skizzen II. p. 275 sqq.

[3] De artis syllogisticae irrisoribus videsis Ueberweg, System der Logik § 99.

posito enuntiat idipsum, quod de praedicato in minore posito enuntiabatur in maiore, sequitur, eam eiusdem quantitatis esse debere atque subiectum minoris.

340. **Syllogismi forma.** Sicut in propositione, ita etiam in ratiocinatione quum materiam tum formam considerari posse diximus. Et materiae rationem imprimis ipsa res habet, de qua in syllogismo agitur; deinde tres illi termini praecipui, qui omnem ratiocinationem legitimam constituunt; tertio tandem propositiones, ex quibus per se et proxime omnis syllogismus constat. Quibus de rebus satis dixisse nobis videmur. Nunc de ratione formae, quae in formali propositionis consequentis ex praemissis consecutione collocata est. Ut autem eiusmodi consecutio sit legitima, duo sunt necessaria: Primo requiritur, ut in altera praemissa sit extremum maius, in altera minus, in conclusione utrumque; medius autem terminus semel maiori extremo coniungatur et semel minori, neque unquam ipse conclusionem ingrediatur. Hanc aptam extremorum cum medio ad aliquid concludendum collocationem vocare solent „figuram syllogisticam“.

Ut autem conclusio aliqua ex praemissis legitime deducatur, non satis est, ut terminus medius secundum rectam, quam indicavimus, figuram cum extremis disponatur; sed insuper requiritur, ut propositiones praemissae et ad quantitatem (i. e. universalitatem et particularitatem) et ad qualitatem (affirmationem et negationem) certa ratione affectae sint, ita ut modo alterutra, modo utraque sit universalis, similiter modo alterutra, modo utraque sit affirmans. Et hanc praemissarum ad concludendum aptam secundum quantitatem et qualitatem complicationem vocare solent „modum syllogisticum“.

Quoniam igitur ad consecutionem legitimam certa quaedam in discursu figura servari debet certusque modus, non immerito in figura et modo formam syllogisticam sitam esse docent. Quare iam ad figurarum et modorum praecepta pergamus.

341. **Figurae syllogismi quattuor.** Figuram (σχῆμα) syllogismi certam terminorum in praemissis collocationem diximus sive dispositionem, quam terminus medius ad duo extrema comparatus habere potest. Quum enim, supposita consequentia, quae omnis syllogismi est forma et quasi anima, terminus medius uni certo in praemissis loco alligatus non sit, multiplicem in iis locationem admittit. „Sciendum est, quod figura proprie reperitur in mathematicis, transsumptive autem in syllogismo, et hoc ad similitudinem

figurae triangularis. Nam sicut triangulus est clausio trium linearum in tribus angulis, ita syllogismus est concursus trium propositionum in tribus terminis." [1]

Quum haec termini medii cum extremis apta ad concludendum dispositio quadruplici ratione fieri possit, sequitur, ut quattuor oriantur figurae syllogismorum.

Prima est, in qua medius terminus alteri extremo subiicitur in maiore, et de altero praedicatur in minore, velut quum dico, *peccatum esse vitandum, calumniam esse peccatum, calumniam ergo vitandam esse* [2].

Secunda est, in qua medius terminus de utroque extremo praedicatur, velut quum quis dicit, *corpus non cogitare, mentem cogitare, ergo mentem non esse corpus* [3].

Tertia est, in qua terminus medius utrique extremo subiicitur; ita quis dicere potest, *impios esse miseros, quosdam impios esse divites, aliquos ergo divites esse miseros* [4].

---

[1] Opusc. 47 inter opusc. S. THOM., Summ. log.

[2] Ὅταν οὖν ὅροι τρεῖς οὕτως ἔχωσι πρὸς ἀλλήλους, ὥστε τὸν ἔσχατον ἐν ὅλῳ εἶναι τῷ μέσῳ καὶ τὸν μέσον ἐν ὅλῳ τῷ πρώτῳ ἢ εἶναι ἢ μὴ εἶναι, ἀνάγκη τῶν ἄκρων εἶναι συλλογισμὸν τέλειον. . . . εἰ γὰρ τὸ Α κατὰ παντὸς τοῦ Β καὶ τὸ Β κατὰ παντὸς τοῦ Γ, ἀνάγκη τὸ Α κατὰ παντὸς τοῦ Γ κατηγορεῖσθαι. — — Καλῶ δὲ τὸ τοιοῦτον σχῆμα πρῶτον. L. 1 analyt. pr. c. 4, 25 b, 32—26 b, 33.

[3] Ὅταν δὲ τὸ αὐτὸ τῷ μὲν παντί, τῷ δὲ μηδενὶ ὑπάρχῃ ἢ ἑκατέρῳ παντὶ ἢ μηδενί, τὸ μὲν σχῆμα τὸ τοιοῦτον καλῶ δεύτερον, μέσον δὲ ἐν αὐτῷ λέγω τὸ κατηγορούμενον ἀμφοῖν· — — τίθεται δὲ τὸ μέσον ἔξω μὲν τῶν ἄκρων, πρῶτον δὲ τῇ θέσει. — — δυνατὸς δ'ἔσται (συλλογισμὸς) καὶ καθόλου καὶ μὴ καθόλου τῶν ὅρων ὄντων. Καθόλου μὲν οὖν ὄντων ἔσται συλλογισμός, ὅταν τὸ μέσον τῷ μὲν παντί, τῷ δὲ μηδενὶ ὑπάρχῃ, ἂν πρὸς ὁποτερῳοῦν ᾖ τὸ στερητικόν· ἄλλως δ' οὐδαμῶς. Κατηγορείσθω γὰρ τὸ Μ τοῦ μὲν Ν μηδενός, τοῦ δὲ Ξ παντός. Ἐπεὶ οὖν ἀντιστρέφει τὸ στερητικόν, οὐδενὶ τῷ Μ ὑπάρξει τὸ Ν· τὸ δὲ γε Μ παντὶ τῷ Ξ ὑπέκειτο· ὥστε τὸ Ν οὐδενὶ τῷ Ξ· τοῦτο γὰρ δέδεικται πρότερον. Πάλιν εἰ τὸ Μ τῷ μὲν Ν παντί, τῷ δὲ Ξ μηδενί, οὐδὲ τὸ Ξ τῷ Ν οὐδενὶ ὑπάρξει. Εἰ γὰρ τὸ Μ μηδενὶ τῷ Ξ, οὐδὲ τὸ Ξ οὐδενὶ τῷ Μ· τὸ δέ γε Μ παντὶ τῷ Ν ὑπῆρχεν· τὸ ἄρα Ξ οὐδενὶ τῷ Ν ὑπάρξει· γεγένηται γὰρ πάλιν τὸ πρῶτον σχῆμα. Ἐπεὶ δὲ ἀντιστρέφει τὸ στερητικόν, οὐδὲ τὸ Ν οὐδενὶ τῷ Ξ ὑπάρξει, ὥστ' ἔσται ὁ αὐτὸς συλλογισμός. — — Καὶ ὅτι οὐ γίνεται καταφατικὸς συλλογισμὸς διὰ τούτου τοῦ σχήματος, ἀλλὰ πάντες στερητικοὶ καὶ οἱ καθόλου καὶ οἱ κατὰ μέρος. L. 1 analyt. pr. c. 5, 26 b, 34 — — 28 a, 7.

[4] Ἐὰν δὲ τῷ αὐτῷ τὸ μὲν παντί, τὸ δὲ μηδενὶ ὑπάρχῃ, ἢ ἄμφω παντὶ ἢ μηδενί, τὸ μὲν σχῆμα τὸ τοιοῦτον καλῶ τρίτον, μέσον δ' ἐν αὐτῷ λέγω καθ' οὗ ἄμφω τὰ κατηγορούμενα, ἄκρα δὲ τὰ κατηγορούμενα· — — τίθεται δὲ τὸ μέσον ἔξω μὲν τῶν ἄκρων, ἔσχατον δὲ τῇ θέσει. Τέλειος μὲν οὖν οὐ γίνεται συλλογισμὸς οὐδ' ἐν τούτῳ τῷ σχήματι, δυνατὸς δ' ἔσται καὶ καθόλου καὶ μὴ καθόλου τῶν ὅρων ὄντων πρὸς τὸ μέσον. Καθόλου μὲν οὖν ὄντων, ὅταν καὶ τὸ Π καὶ τὸ Ρ παντὶ τῷ Σ ὑπάρχῃ, ὅτι τινὶ τῷ Ρ τὸ Π ὑπάρξει ἐξ ἀνάγκης· ἐπεὶ γὰρ ἀντιστρέφει τὸ κατηγορικόν, ὑπάρξει τὸ Σ

Quarta esse potest, in qua medius terminus de altero extremo praedicatur in maiore, alteri extremo subiicitur in minore; quod fieret, si quis diceret, *calumniam peccatum esse, peccatum vitandum esse, ergo aliquid, quod vitandum sit, esse calumniam.*

Si P significet extremum maius, S extremum minus, M terminum medium, quattuor figurae hunc conspectum exhibent:

I.	II.	III.	IV.
M — P	P — M	M — P	P — M
S — M	S — M	M — S	M — S
S — P	S — P	S — P	S — P.

Quodsi illud inter praemissam maiorem et minorem omittimus discrimen, secundum quod maior extremum maius sive conclusionis praedicatum continere debet et minor extremum minus sive conclusionis subiectum, iam serie praemissarum inversa easdem quattuor figuras etiam hoc modo repraesentare possumus:

I.	II.	III.	IV.
S — M	S — M	M — S	M — S
M — P	P — M	M — P	P — M
S — P	S — P	S — P	S — P.

Et vix opus est animadvertere, hac praemissarum inversione ipsas figuras neque mutari neque confundi neque multiplicari; id quod aliqui opinati sunt.

Si quis autem cum nonnullis antiquis Peripateticis usum retinere velit praeponendi conclusionis praedicatum eiusdem subiecto, is in praemissis hunc ordinem sequi debebit[1]:

I.	II.	III.	IV.
P — M	M — P	P — M	M — P
M — S	M — S	S — M	S — M
P — S	P — S	P — S	P — S.

342. Quattuor figurarum ad tres reductio. Quarta, quam posuimus, figura apertum est, quam sit primae propinqua quamque facile in hanc converti possit. Dicetur igitur prima figura esse ea, in qua medius terminus alteri extremo vel in maiore vel in minore subiiciatur, et de altero extremo praedicetur sive in minore sive in maiore. Atque ita tres tantum figuras habemus.

Quae hoc versiculo exhiberi solent:

Sub. prae. prima; sed altera bis prae.; tertia bis sub.

Vel etiam: Praedicat et subicit medium sibi prima figura.
Praedicat altera bis. Tertia bis subicit[2].

τινὶ τῷ P, ὥστ' ἐπεὶ τῷ μὲν Σ παντὶ τὸ Π, τῷ δὲ P τινὶ τὸ Σ, ἀνάγκη τὸ Π τινὶ τῷ P ὑπάρχειν· γίνεται γὰρ συλλογισμὸς διὰ τοῦ πρώτου σχήματος. — Καὶ ὅτι συλλογίσασθαι τὸ καθόλου διὰ τούτου τοῦ σχήματος οὐκ ἔσται, οὔτε στερητικὸν οὔτε καταφατικόν. L. 1 analyt. pr. c. 6, 28 a, 10 — — 29 a, 16.

[1] Cfr. Arist. l. 1 anal. prior. c. 4, 5, 6.

[2] Qui quattuor figuras tenent, hunc habent versiculum:
I. Sub-prae, II. tum prae-prae, III. tum sub-sub, IV. denique prae-sub.

Haec autem distributio quum simplicior tum ad usum accommodatior esse videtur. Et hoc modo exhiberi potest:

I.	II.	III.
M — E	E — M	M — E
E — M	E — M	M — E.

Scholion 1. Ab Aristotele has tres tantum figuras syllogisticas explicatas habemus [1].

Figuram primam exprimit:

Τὸ Α κατὰ παντὸς τοῦ Β
τὸ Β κατὰ παντὸς τοῦ Γ
―――――――――――――
τὸ Α κατὰ παντὸς τοῦ Γ.

Figuram secundam:

Τὸ Μ κατὰ μηδενὸς τοῦ Ν
τὸ Μ κατὰ παντὸς τοῦ Ξ
―――――――――――――
τὸ Ν κατὰ μηδενὸς τοῦ Ξ.

Figuram tertiam:

Τὸ Π κατὰ παντὸς τοῦ Σ
τὸ Ρ κατὰ παντὸς τοῦ Σ
―――――――――――――
τὸ Π κατὰ τινὸς τοῦ Ρ.

Modos illos, qui posteriore tempore ad figuram quartam sunt tracti, leviter tantum indicavit [2].

Aristotelem qui proxime secuti sunt, hos modos syllogismi magis reconditos proposuerunt [3] primaeque figurae subiunxerunt sub nomine figurae

---

[1] L. 1 anal. prior. c. 4—6. Cuius divisionis principium his enuntiat: Πρῶτον ληπτέον τὰς δύο προτάσεις, εἶθ' οὕτω διαιρετέον εἰς τοὺς ὅρους, μέσον δὲ θετέον τῶν ὅρων τὸν ἐν ἀμφοτέραις ταῖς προτάσεσι λεγόμενον· ἀνάγκη γὰρ τὸ μέσον ἐν ἀμφοτέραις ὑπάρχειν ἐν ἅπασι τοῖς σχήμασιν. Ἐὰν μὲν οὖν κατηγορῇ καὶ κατηγορῆται τὸ μέσον, ἢ αὐτὸ μὲν κατηγορῇ, ἄλλο δ' ἐκείνου ἀπαρνῆται, τὸ πρῶτον ἔσται σχῆμα· ἐὰν δὲ καὶ κατηγορῇ καὶ ἀπαρνῆται ἀπό τινος, τὸ μέσον· ἐὰν δ' ἄλλα ἐκείνου κατηγορῆται, ἢ τὸ μὲν ἀπαρνῆται, τὸ δὲ κατηγορῆται, τὸ ἔσχατον. Οὕτω γὰρ εἶχεν ἐν ἑκάστῳ σχήματι τὸ μέσον. — — — ὅσα δ' ἐν πλείοσι περαίνεται, τῇ τοῦ μέσου θέσει γνωριοῦμεν τὸ σχῆμα. (L. 1 anal. prior. c. 32, 47 a, 37—b, 13.) Ex his manifestum est, etiam Aristotelem figurarum divisionem proxime ex termini medii positione petiisse.

[2] L. 1 anal. prior. c. 7 et l. 2 c. 1.

[3] Dicit enim Boethius: „Habet prima figura sub se Aristotele auctore modos quattuor, sed Theophrastus et Eudemus super hos quattuor quinque alios modos addunt, Aristotele dante principium in secundo priorum analyticorum volumine . . . quod principium Theophrastus et Eudemus capientes, ad alios in prima figura syllogismos adiiciendos animum adiecere, qui sunt eiusmodi, qui κατὰ ἀνάκλασιν vocantur, i. e. per refractionem quandam conversionemque propositionis.“ (De syllog. categ.) Cfr. Alexand. Aphrod. ad analyt. prior. f. 27 B, 42 B—43 A; Philop. ad analyt. prior. f. XXI B; Prantl, Geschichte der Logik. I. p. 365 sqq., p. 700.

primae indirecte concludentis. Et posteriore tandem aetate novi illi modi syllogistici tamquam figura nova statuti sunt, quod primum Galenum (n. 38) fecisse ferunt, ut testatur Averrhoes et quidam alii[1]; quapropter figura Galenica vocata est et a nonnullis ut figura quarta tribus Aristotelicis addita.

Negari non potest, quin haec secundum quartam figuram concludendi ratio et in se recta sit, et externam speciem si spectes, aliis tribus coordinari possit. Verum rem si spectes, figura, quae dicitur quarta, nihil aliud est nisi alius modus figurae primae, conclusione videlicet inversa et inversa etiam positione sumptionum, vel solis praemissis conversis. Ostendatur utrumque exemplo:

	I.	II.
	Omne saccharo confectum est dulce.	*Aliquod album est saccharo confectum.*
	Aliquod album est saccharo confectum.	*Omne saccharo confectum est dulce.*
	Ergo aliquod album est dulce.	*Ergo aliquod dulce est album.*
Vel:	*Nullum salsum est dulce.*	*Nullum dulce est salsum.*
	Aliquod album est salsum.	*Aliquod salsum est album.*
	Ergo aliquod album non est dulce.	*Ergo aliquod album non est dulce.*

His positis exemplis liquet, terminorum positionem in Galenica figura minus naturalem esse. Unde haec, quae dicitur figura quarta, ad vim quod spectat, ad figuram primam revocatur[2]. Nobis autem ad res graviores pergentibus satis est, figurae Galenicae mentionem fecisse, sive quis eam vocare vult primam indirecte concludentem sive quartam.

Scholion 2. Certus ille trium figurarum ordo non ad arbitrium est dispositus. „Si enim medium in una propositione subiicitur, et in altera praedicatur, dicitur esse prima figura, et merito: quia tunc medium vere est medium, quia sapit naturam utriusque extremi, scilicet subiecti et praedicati: praedicatur enim et subiicitur, ut dictum est. Si vero medium in utraque propositione praedicatur, dicitur esse secunda figura, quia licet medium non sit vere

---

[1] Cfr. Prantl, Geschichte der Logik. I. p. 532 sq. II. p. 295.

[2] De hac figurarum duplici divisione Trendelenburg: „Qui terminorum naturam spectant, eos tria figurarum genera, qui externam enuntiationum formam, eos quattuor constituere necesse est. Quare Galenus non addidit, ut vulgo putant, quartam tribus prioribus, sed tres Aristotelis in quattuor novas convertit; nituntur enim plane alio dividendi fundamento.“ Elem. Log. Arist. § 28. Cfr. eiusdem Logische Untersuchungen, edit. 3. II. p. 341 sqq.

Contra hunc Ueberweg: „Die Ansicht ist unhaltbar, dass die Vierzahl der Figuren auf der äussern Form und Stellung der Sätze beruhe, und eine Fixirung der Reihenfolge der Prämissen voraussetze; denn dieses Princip würde vielmehr auf die Achtzahl geführt haben, worauf doch erst Krug verfallen ist. Die Vierzahl involvirt vielmehr eine Freigebung der äussern Stellung der Reihenfolge; und das Princip derselben unterscheidet sich von dem Aristotelisch-Theophrastischen nur durch die unmittelbare Mitberücksichtigung des allgemeinen Unterschiedes zwischen dem Terminus maior und minor und des darauf beruhenden Unterschiedes zwischen dem Ober- und Untersatze.“ System der Logik § 103.

medium sapiens naturam subiectionis et praedicationis, tamen quia dignius est, praedicari quam subiici, ideo haec figura secundum locum tenet: Si vero medium in utraque propositione subiicitur, dicitur tertia figura et ultima, quia in ea medium non stat in medio, sicut in prima, et subiicitur semper, quod est indignius."[1]

Praestat praeterea figura prima eo, quod conclusio omnis per aliquem primae figurae syllogismum probari potest. Secundum hanc enim figuram conclusiones effici possunt, quae sunt universales affirmativae, in quibus igitur quaecunque qualitas et quantitas inesse potest. Atque ita syllogismi, qui sunt secundum figuram primam, cognitionum nostrarum firma fundamenta sunt et uberrimum principium. Quamobrem hos syllogismos Aristoteles perfectos (τελείους) vocavit, alios imperfectos (ἀτελεῖς)[2].

Per figuram secundam conclusiones tantum negativae deduci possunt. Unde haec figura in iis potissimum rebus usurpatur, ubi agitur de distinctione, divisione vel de adversariorum impugnatione.

In figura tertia particulares tantum conclusiones reperiuntur; unde haec figura usui est, quum quaeritur, sintne res vel conceptus inter se cohaerentes, consociabiles; vel quum ostendendum est, hoc vel illud dictum universale esse illegitimum[3].

Scholion 3. Wolffius figuram primam perfectam esse dixit, reliquas imperfectas propterea, quod „non continerent rationem, unde intelligeretur, cur praedicatum subiecto conveniret"; hos esse „syllogismos crypticos figurae primae; non igitur opus fuisse, ut particulares pro iis figurae constituerentur"[4].

Kant syllogismos omnes praeter figuram primam nuncupavit ratiocinia „impura" et „hybrida"[5]. Id iam, ut omittendae sint, satis esse asseveravit, quia ad figuram primam figurae reliquae revocarentur. Quasi in mathesi theses omnes, quae probantur reductione ad theses antecedentes, eo ipso desinant esse theses, et ut antecedentium thesium dumtaxat corollaria habendae sint! Neque non exprobravit, has figuras praeter primam esse in tortuoso et admodum complicato disputandi genere. Quasi humanum ingenium sciendi cupidum in perscrutandis rebus eas contemnere atque despicere debeat, quae ob suam complicationem scrutanti quandam difficultatem pariant!

E contrario Hegel figuras Aristotelicas summis laudibus extulit, quippe quibus uniuscuiusque rei — ut *reipublicae*, *organismi, systematis planetaris* — constitueretur essentia et rationabilitas. Quinimmo eas in figuras ter trinas ex-

---

[1] Auctor opuscul. 48 inter opp. S. Thom. c. 4.

[2] L. 1 analyt. prior. c. 4 et 5.

[3] Cfr. Drobisch, Neue Darstellung der Logik § 93; Trendelenburg, Log. Untersuch. II. p. 352 sqq. Herbartiani censent, figurae primae id proprium esse, ut subsumptione nitatur; secundae, ut oppositione; tertiae, ut nitatur substitutione conceptuum. Qua de re cfr. Trendelenburg l. c. p. 355. Tertiam figuram reiecit Laurentius Valla (n. 52) eo, quod violenta esset neque unquam inter homines audiretur. Dialect. disput. III. c. 9.

[4] Log. §§ 378—397.

[5] „Von der falschen Spitzfindigkeit der vier syllogistischen Figuren." Opp. ed. Rosenkranz I. p. 55.

tendere est conatus, quarum ingeniosa complicatione res omnes rerumque ordines crearentur[1].

Alphonsus Gratry tres figuras esse vult, quarum tamen prima faciem duplicem exhibeat, prout terminus medius aut sit subiectum maioris et praedicatum minoris, aut praedicatum maioris et subiectum minoris. Cuius rei hunc versiculum posuit:

Prae-prae; tum sub-sub; tum sub-prae, non sine prae-sub[2].

343. **Regulae in singulis figuris servandae.** Communes syllogismi leges, quae alio loco (n. 153) posuimus, figuris singulis si applicantur, hoc fere modo enuntiari possunt:

1. In figura prima: Sit minor affirmans. Nec maior particularis.

Itaque: a) Minor debet esse affirmativa. Si enim esset negativa, etiam conclusio (utpote sequens necessario debiliorem partem) esset negativa; haberet ergo (utpote negativa) praedicatum universale. Et hoc ipso praedicatum in maiore, quae affirmativa esse deberet (quum minor iam esset negativa), esset particulare (utpote praedicatum affirmativae). Ergo terminus universaliter intelligendus in conclusione, sumptus esset particulariter in praemissis.

b) Maior debet esse universalis. Si enim esset particularis, terminus medius, qui est subiectum eius, in ea sumeretur particulariter; et in minore, quae esse debet affirmativa, et terminum medium pro praedicato habet, is terminus iterum sumeretur particulariter; atque ita peccaretur contra legem IV.

2. In secunda figura: Una negans praeeat. Nec maior sit specialis.

Itaque: a) Praemissarum alterutra debet esse negativa. Si enim praemissa utraque esset affirmativa, terminus medius, qui in hac figura bis praedicatur, contra legem IV. bis particulariter sumeretur.

b) Maior universalis esse debet, quia subiectum eius in conclusione negativa est praedicatum et hinc universale. Itaque aliquis terminus particulariter sumptus in praemissis sumeretur universaliter in conclusione.

3. In tertia figura: Sit minor affirmans. Conclusio particularis.

Itaque: a) Minor debet esse affirmativa. Si enim negativa esset, etiam conclusio (utpote sequens partem debiliorem) debet esse negativa; in ea igitur extremum maius (utpote praedicatum negativae) sumeretur universaliter. Atqui in maiore (quae debet esse affirmativa, quia utraque praemissa non potest esse negativa) sumeretur particulariter, quia foret praedicatum affirmativae; atque hoc modo terminus particulariter acceptus in praemissis sumeretur universaliter in conclusione.

b) Conclusio debet esse particularis. Si enim esset universalis, extremum minus, utpote subiectum, in ea sumeretur universaliter. Atque idipsum in

---

[1] Quae Hegel de figuris syllogisticis docuit, accurate exposuit et subtili iudicio percensuit Trendelenburg, Log. Untersuch. II. p. 360—393.

[2] Logique, tom. 2 l. 3 ch. 1.

minore, utpote affirmativa, tamquam eiusdem praedicatum sumeretur particulariter. Sumeretur ergo aliquis terminus universaliter in conclusione, qui non foret universaliter acceptus in praemissis.

4. Pro figura quarta aliae ab aliis praepositae sunt regulae, prout praemissa „maior“ nuncupatur aut ea, in qua reperitur conclusionis inferendae subiectum, aut — id quod fert usus communior — ea, in qua inest huius conclusionis praedicatum.

Hunc usum si sequimur, hae possunt esse regulae tres:

Maior ubi affirmat, generalis tum minor esto.
Si minor affirmat, conclusio sit specialis.
Si negat haec, maior generalis postulat esse.

a) Si enim maior est affirmativa, terminus medius, qui est eius praedicatum, sumitur particulariter; ergo universaliter sive generaliter accipi debet in minore, cuius est subiectum. Exemplo sit haec: *Omne corpus est extensum; atqui omne extensum est finitum; ergo aliquod finitum est corpus;* vel: *Omne peccatum est liberum; atqui nullum liberum est necessarium; ergo nullum necessarium est peccatum;* vel: *Aliquis doctus est superbus; atqui omnis superbus est contemnendus; ergo aliquis contemnendus est doctus.*

b) Si minor est affirmativa, extremum minus, quod est eius praedicatum, accipitur specialiter sive particulariter; ergo accipi debet particulariter in conclusione, cuius est subiectum: *Nulla planta est lapis; atqui omnis lapis est substantia; ergo aliqua substantia non est planta;* vel: *Nulla planta est bestia; atqui aliqua bestia est polypus; ergo aliquis polypus non est planta.*

c) Si conclusio est negativa, extremum maius in ea sumitur universaliter; ergo etiam universaliter intelligi debet in maiore, cuius est subiectum: *Omnes poëtae sunt artifices; atqui nullus artifex caret phantasia; ergo nullus, qui caret phantasia, est poëta.*

Scholion. Non inscite ab aliquibus traditae regulae reductae sunt ad has duas: 1. Terminus medius in alterutra saltem praemissarum complete distribui debet; i. e. accipi universe pro re omni, pro qua accipi potest. 2. Nullus terminus, qui non fuerit distributus in antecedente, distribuendus est in consequente[1].

344. Singularum figurarum modi[2]. Ut aliqua conclusio legitime ex praemissis deducatur, non satis est, ut terminus medius secundum figuram aptam cum extremis disponatur, sed praeterea requiritur, ut propositiones praemissae et consequens certa ratione quantitatis et qualitatis affectae sint. Qua in re quantitas intelligitur propositionum universalitas et particularitas, qualitas earumdem affirmatio et negatio. Unde diversarum figurarum existunt modi. Modus in syllogismo definitur: sumptionum ad conclusionem colligendam secundum quantitatem et qualitatem complicatio.

---

[1] Fonseca, Instit. dial. l. 6 c. 20.

[2] Τρόποι τῶν σχημάτων, „Schlussweisen“.

Tot omnino syllogismi modi esse possunt, quot esse possunt variae sumptionum dispositiones secundum quantitatem et qualitatem, i. e. quot esse possunt binariae combinationes ex quattuor elementis **a e i o**, quibus litteris, ut novimus, a logicis omnis propositionum secundum qualitatem et quantitatem diversitas indicatur. Modorum igitur sunt in unaquaque figura sexdecim, universae (si etiam Galeni figura attendatur) quattuor et sexaginta. Quae coniunctiones hac tabula exhiberi possunt:

a a	e a	i a	o a
a e	e e	i e	o e
a i	e i	i i	o i
a o	e o	i o	o o

At consideratis legibus syllogismi communibus, quae prohibent, ne utraque praemissa sit negativa aut particularis, nonnisi octo modi apti ad concludendum inveniuntur:

a a	e a	i a	o a
a e	—	—	—
a i	e i	—	—
a o	—	—	—

Scholion. Hanc et quae sequuntur combinandi rationes primus Aristo Alexandr. adhibuisse videtur[1].

345. Novemdecim modi utiles. Si istos octo modos utiles in singulas figuras inducere volueris, regulae attendantur, quas unicuique figurae proprias posuimus (n. 343). Ad conclusionem inveniendam attendas easdem regulas proprias et hanc communem: Peiorem sequitur semper conclusio partem. Et invenies omnino novemdecim modos utiles, ex quibus quattuor ad primam figuram spectant, quinque ad figuram Galenicam, quattuor ad secundam et sex ad tertiam.

Quod hoc conspectu declarari potest:

In I. figura legitimus est praemissarum modus a a cum conclusione a
a i „ „ i
e a „ „ e
e i „ „ o.

[1] Cfr. Prantl, Geschichte der Logik. I. p. 557 et 590 sqq. Quam methodum irridet Prantl eam vocans „Mosaikspiel“, „Zusammensetzspiel der kindisch-blödsinnigen Stoiker“. Sed recte Ueberweg: „Es ist wahr, dass das Hauptinteresse nicht in den einzelnen Figuren und Modis, sondern in den allgemeinen Principien der Syllogistik liegt. Aber das Princip soll sich auch zum System entfalten. . . . Das unabweisbare Mittel ist das mathematische Combinationsverfahren; dieses ist hier durch die Natur der Sache gefordert, und somit durchweg vernunftgemäss. . . .“ System der Logik § 104.

In II. figura legitimus est praemissarum modus	a e	cum	conclusione	e
	a o	„	„	o
	e a	„	„	e
	e i	„	„	o.
In III. figura legitimus est praemissarum modus	a a	cum	conclusione	i
	a i	„	„	i
	e a	„	„	o
	e i	„	„	o
	i a	„	„	i
	o a	„	„	o.
In figura Galenica legitimus est praemissarum modus	a a	cum	conclusione	i
	a e	„	„	e
	e a	„	„	o
	c i	„	„	o
	i a	„	„	i.

346. Versus aliqui memoriales, vetere usu recepti, novemdecim hos modos singularum vocum vocalibus indicatos exhibent:

(1. Fig.) Barbara, Celarent, Darii, Ferio. *(Fig. Galen.)* Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.

(2. Fig.) Cesare, Camestres, Festino, Baroco. *(3. Fig.)* Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferisom[1].

In his versiculis modi figurae Galenicae ita significantur, ut vocalis prima indicet praemissam minorem, altera maiorem.

Scholion 1. Si quis tamen, sicut in reliquis figuris, ita etiam in Galenica maiorem vult ponere primo loco, hos versus habebit:

Barbara, Celarent, Darii, Ferio. Baralipton,
Calemes, Dimatis, Fesapo, Fresisomorum.
Cesare etc.

Vel, ut alii volunt:

Barbara, Celarent, primae Darii Ferioque.
Cesare, Camestres, Festino, Baroco secundae.
Tertia grande sonans recitat: Darapti, Felapton,
Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison. Quartae
Sunt Bamalip, Calemes, Dimatis, Fesapo, Fresison.

---

[1] Versiculi, quos indicavimus, ex tempore Petri Hispani (Papae Ioannis XXI. mortui anno 1277) una cum eiusdem opere, cui titulus „Summulae logicales" in communem scholarum usum transierunt. Et structura istorum vocabulorum et significatio subtilis est admodum, id quod postea, quum de syllogismis in faciliorem formam convertendis tractandum erit, diligentius exponemus.

De his et aliis huius generis versiculis recte Gergonne: „Le grand nombre de conditions auxquelles on avait cherché à satisfaire dans la composition de ces vers artificiels (dont chaque mot rappelait une des formes syllogistiques concluantes), aurait peut-être dû en faire excuser un peu la dureté, qui a été dans ces derniers temps le sujet d'une multitude de plaisanteries assez mauvaises." Essai de dial. rat., Annales de math. VII. p. 227.

Quae res hocce modo declarari potest:

Bamalip.

a *Omnis homo est animal.*
a *Omne animal est vivens.*
i *Aliquod vivens est homo.*

Baralipton.

a *Omne animal est vivens.*
a *Omnis homo est animal.*
i *Aliquod vivens est homo.*

Calemes.

a *Omnis homo est animal.*
e *Nullum animal est lapis.*
e *Nullus lapis est homo.*

Celantes.

e *Nullum animal est lapis.*
a *Omnis homo est animal.*
e *Nullus lapis est homo.*

Dimatis.

i *Aliqua substantia est animal.*
a *Omne animal est vivens.*
i *Aliquod vivens est substantia.*

Dabitis.

a *Omne animal est vivens.*
i *Aliqua substantia est animal.*
i *Aliquod vivens est substantia.*

Fesapo.

e *Nullus lapis est animal.*
a *Omne animal est substantia.*
o *Aliqua substantia non est lapis.*

Fapesmo.

a *Omne animal est substantia.*
e *Nullus lapis est animal.*
o *Aliqua substantia non est lapis.*

Fresison.

e *Nullus lapis est animal*
i *Aliquod animal est substantia.*
o *Aliqua substantia non est lapis.*

Frisesomorum.

i *Aliquod animal est substantia.*
e *Nullus lapis est animal.*
o *Aliqua substantia non est lapis.*

Scholion 2. Circumferuntur quoque versus Graeci:

Fig. 1 a. Γράμματα, ἔγραψε, γραφίδι, τεχνικός,
Fig. 1 b. Γράμμασιν, ἔταξε, χάρισι, παρθένος, ἱερόν,
Fig. 2. Ἔγραψε, κάτεχε, μέτριον, ἄχολον,
Fig. 3. Ἅπασι, σθεναρός, ἰσάκις, ἀσπίδι, ὁμαλός, φέριστος[1].

347. **Exempla** secundum singulos modos composita rem, de qua praeceptum est, clare illustrabunt. (Cfr. n. 153.)

I. Modi figurae primae.

1.	a	Bar	*Omnis passio a sapiente vincitur.*
	a	ba	*Omnis ira est passio.*
	a	ra	*Omnis ira a sapiente vincitur.*
2.	a		*Omne animal est substantia.*
	e		*Nullus lapis est animal.*
	e		*Nullus lapis est substantia.* (Contra reg. 2.)
3.	a	Da	*Omnis, qui pecunia male utitur, peccat.*
	i	ri	*Aliquis dives pecunia male utitur.*
	i	i	*Aliquis dives peccat.*
4.	a		*Omnis homo est sensu praeditus.*
	o		*Aliquod animal non est homo.*
	o		*Ergo aliquod animal non est sensu praeditum.* (Contra reg. 6.)

[1] Ita in libro: Σύνοψις εἰς τὴν Ἀριστοτέλους λογικὴν ἐπιστήμην, quae est versio Graeca libelli Petri Hispani. Cfr. Ueberweg, System der Logik § 118.

5.	e	Ce	*Nullus iustus infert damnum innocenti.*
	a	la	*Omnis bonus est iustus.*
	e	rent	*Nullus bonus infert damnum innocenti.*
6.	e		*Nullus vermis est planta.*
	e		*Nullus leo est vermis.*
	a		*Omnis leo est planta.* (Contra reg. 6.)
7.	e	Fe	*Nemo peccator est beatus.*
	i	ri	*Aliquis stultus est peccator.*
	o	o	*Aliquis stultus non est beatus.*
8.	e		*Nulla rana est hinnibilis.*
	o		*Aliquis bos non est rana.*
	i		*Aliquis bos est hinnibilis.* (Contra reg. 6.)
9.	i		*Aliquis homo est albus.*
	a		*Omnis Aethiops est homo.*
	i		*Aliquis Aethiops est albus.* (Contra reg. 4.)

10. i, e, o. (Contra reg. 2.)
11. i, i, a. (Contra reg. 4.)
12. i, o, e. (Contra reg. 8.)
13. o, a, o. (Contra reg. 2.)
14. o, e, i. (Contra reg. 6.)
15. o, i, e. (Contra reg. 8.)
16. o, o, a. (Contra reg. 6. 8.)
17. a, a, i. (Continetur in Barbara.)
18. e, a, o. (Continetur in Celarent.)

II. Modi figurae secundae.

1.	a		*Omnis homo est sensu praeditus.*
	a		*Omne animal est sensu praeditum.*
	a		*Omne animal est homo.* (Contra reg. 4.)
2.	a	Ca	*Omnis, qui pecunia male utitur, peccat.*
	e	mes	*Nemo probus peccat.*
	e	tres	*Nemo probus pecunia male utitur.*
3.	a		*Omne animal est substantia.*
	i		*Aliquis lapis est substantia.*
	i		*Aliquis lapis est animal.* (Contra reg. 4.)
4.	a	Ba	*Omnis passio a sapiente vincitur.*
	o	roc	*Aliquis error a sapiente non vincitur.*
	o	o	*Aliquis error non est passio.*
5.	e	Ces	*Nemo peccator est beatus.*
	a	a	*Omnis sanctus est beatus.*
	e	re	*Nullus sanctus est peccator.*
6.	e		*Nulla rana est hinnibilis.*
	e		*Nullus bos est hinnibilis.*
	a		*Omnis bos est rana.* (Contra reg. 6.)

7. e Fes *Nullus iustus infert damnum innocenti.*
i ti *Aliquis dives infert damnum innocenti.*
o no *Aliquis dives non est iustus.*

8. e *Nullus vermis est planta.*
o *Aliquis leo non est planta.*
i *Aliquis leo est vermis.* (Contra reg. 6.)

9. i, a, i. (Contra reg. 4.)
10. i, e, o. (Contra reg. 2.)
11. i, i, a. (Contra reg. 8.)
12. i, o, e. (Contra reg. 2. 8.)
13. o, a, o. (Contra reg. 2.)
14. o, e, i. (Contra reg. 6.)
15. o, i, e. (Contra reg. 8.)
16. o, o, a. (Contra reg. 6. 8.)
17. a, e, o. (Continetur in Camestres.)
18. e, a, o. (Continetur in Cesare.)

III. Modi tertiae figurae.

1. a *Omne corpus est grave.*
a *Omne corpus est substantia.*
a *Omnis substantia est gravis.* (Contra reg. 2.)

2. a, e, e. (Contra reg. 2.)

3. a Da *Omnis stultus de propria insipientia gloriatur.*
i tis *Aliquis stultus est peccator.*
i i *Aliquis peccator de propria insipientia gloriatur.*

4. a, o, o. (Contra reg. 2.)
5. e, a, e. (Contra reg. 2.)
6. e, e, a. (Contra reg. 6.)

7. e Fe *Nullus dives est suae substantiae prodigus.*
i ris *Aliquis dives pecunia male abutitur.*
o on *Aliquis, qui pecunia male abutitur, non est suae substantiae prodigus.*

8. e *Nullus bos est hinnibilis.*
o *Aliquis bos non est rana.*
i *Aliqua rana est hinnibilis.* (Contra reg. 6.)

9. i Dis *Aliquis bonus clementiae consulit.*
a am *Omnis bonus est iustus.*
i is *Aliquis iustus clementiae consulit.*

10. i, e, o. (Contra reg. 2.)
11. i, i, a. (Contra reg. 8.)
12. i, o, e. (Contra reg. 8.)

13. o Boc *Aliqua ira non est mala.*
a ar *Omnis ira est passio.*
o do *Aliqua passio non est mala.*

14. o, e, i. (Contra reg. 6.)
15. o, i, e. (Contra reg. 8.)
16. o, o, a. (Contra reg. 6. 8.)

17. a Da *Omnis bonus clementiae consulit.*
a rap *Omnis bonus est iustus.*
i ti *Aliquis iustus clementiae consulit.*

18. e Fe *Nulla ira vincit sapientem.*
a lap *Omnis ira est passio.*
o ton *Aliqua passio non vincit sapientem* [1].

348. **Modorum utilium demonstratio.** Omnes illos trium figurarum modos legitimos esse dicimus, in quibus antecedens verum esse non potest, quin etiam consequens vi antecedentis verum sit. Unde syllogizandi modus, in quo ex antecedente vero aliquid falsi sequitur, illegitimus erit. Ex iis vero, quae disputavimus hactenus, repeti possunt ea, quae ad diiudicandos modos legitimos requiruntur. Vidimus enim syllogismorum principia, ex quibus iam traximus (n. 336 *Scholion* 3) ter binas regulas, quas nunc sine negotio ad tres syllogismi figuras adhibere possumus.

Sed haec res etiam figuris mathematicis declarari potest [2].

---


[1] Sunt qui inutile ducant, immo ridiculum, quod apud Aristotelicos tot modi syllogismorum distincti habeantur. Audiant F. A. Lange, qui certe hac in re verissimi iudicis loco haberi potest: „Man kann die Modi auf wenigere zurückführen; die logische Technik kann nichts dagegen einwenden. Wenn man aber die Sache und ihren naturgemässen Ausdruck in Betracht zieht, so wird man, sowohl in den Schlüssen dss täglichen Lebens als auch in den Wissenschaften Anlass genug finden, die Figuren zu unterscheiden. . . . Schlüsse nach Cesare und Festino sind in den Naturwissenschaften ungemein häufig . . . sie gehören zu den wichtigsten Mitteln wissenschaftlicher Untersuchung. Wir müssen aber nicht nur Schlüsse der zweiten und dritten Figur zulassen, sondern auch über den Werth derselben gegenüber den Schlüssen der ersten Figur ganz andere Ansichten fassen als die überlieferten. So ist z. B. der Schluss Baroco nach gewöhnlicher Auffassungsweise einer der werthlosesten von allen, weil er nur particular verneinende Schlusssätze gibt. Und doch ist gerade diese Schlussform der gewöhnlichste Weg zum Umsturz . . . eingewurzelter Vorurtheile. . . . Gegen die dritte Figur hat Trendelenburg (Log. Untersuch. ed. 3. tom. 2 p. 353) einen heftigen Angriff gerichtet. . . . Die Frage nach dem Werthe der dritten Figur kann nur darauf gehen, ob es nicht Schlüsse in der Wissenschaft und im täglichen Leben gibt, welche sich naturgemäss in dieser Form darstellen, und welche dabei einen wesentlichen Zweck erfüllen. Hier braucht man denn nur dem Winke Lamberts zu folgen, der die dritte Figur als diejenige der Beispiele und Ausnahmen betrachtet, um alsbald eine sehr ausgedehnte Anwendung derselben wahrzunehmen. . . . Von ganz besonderer Wichtigkeit sind die positiv schliessenden Modi der dritten Figur bei der Vorbereitung eines Inductionsschlusses. . . .“ Logische Studien. Iserlohn 1876. p. 81.

[2] Geometrica haec per circulos descriptio, qua syllogismorum veritas ad oculum quasi contra acerrimos adversarios depingeretur, post Cartesii tempora in schola adhiberi per consuetudinem coepta est. (Cfr. Drobisch, Neue Dar-


Figurae primae modus primus (Barbara):

M a P
S a M
―――――
S a P.

Quum propositio universalis affirmativa hac duplici ratione se habere possit:



iam praemissarum, quas posuimus, schema erit quadruplex:




Semper igitur omni subiecto S praedicatum P convenire debet, quia totum S semper est in sphaera P.

Figurae primae modus secundus (Celaret):

M e P
S a M
―――――
S e P.

Cuius veritas in his evidens est:



Atque ita deinceps.


---

stellung der Logik, ed. 4. p. 98; Ueberweg, System der Logik § 105 sqq.) Christ. Weise (1708) inter primos laudatur, qui hanc docendi consuetudinem usurpavit. Quam tamen rem iam ipse Aristoteles phantasiae discipulorum obiecisse videtur, quum diceret: Τὸν ἔσχατον ἐν ὅλῳ εἶναι τῷ μέσῳ, καὶ τὸν μέσον ἐν ὅλῳ τῷ πρώτῳ (l. 1 anal. prior. c. 4), et alia in hoc genere similia.

Figurae secundae modus primus (Cesare):

P e M
S a M
―――――
S e P.

Cuius rei symbola duo sunt:




Et simili ratione in reliquis.

Figurae tertiae modus primus (Darapti):

M a P
M a S
―――――
S i P.

Cuius rei signa sunt:



Atque haec ad explicandam rem, de qua agitur, satis [1].

[1] Alii aliter figuras singulas (omissa reductione) probare conantur. Parum apte Lambert, qui figurae secundae conatur subiicere principium: „Dictum de diverso", ex quo res, quae diversae sint, inter se convenire non possint; tertiae subiicit principium: „Dictum de exemplo", ex quo, si reperiuntur aliqua M e, quae sint M i, et omnes M e sint M a, sint quoque aliqua M i, quae sint M a. Quartae: „Dictum de reciproco", ex quo, si nullum F est G, neque ullum G est hoc vel illud F; et, si K hoc vel illud G est vel non est, sunt aliqua G, quae sunt K vel non sunt. (In libro: Neues Organon. Lipsiae 1764. I. 4. Hauptstück. §§ 229—233.)

F. A. Lange, ex sola combinatione relationum, quae sunt inter ambitus sive sphaeras conceptuum, omnes syllogismi modos deducere conatur. (In libro: Logische Studien. 1876. p. 74—79.)

349. **Extremorum discretio.** Aliquid logicorum interest, ut in quovis syllogismo qualitas extremorum determinari possit, atque ita iudicari, sitne conclusio directa an indirecta. Qua de re plurima a veteribus praecepta sunt. Nos tamen breves esse cogimur. Omnino duos modos concludendi esse scimus: quorum alter directus est, indirectus alter. Modus directe sive secundum naturam concludendi est, quum maius extremum de minore concluditur. Indirecte sive contra naturam concludendi modus est, quum minus extremum de maiore colligitur[1].

Videndum igitur est, utrum extremorum in praemissis maius sit. Quod saepe quidem in aperto est, neque tamen semper.

Imprimis tene, praedicatum semper subiecto praestantius esse, et praedicabile illo, quod non praedicabile est. Ex quo principio hae regulae constitui possunt: 1. Quum alterum extremorum est praedicatum in praemissis et alterum subiectum, illud est extremum maius, quod ibi praedicatur. 2. Quum neutrum vel utrumque extremum est praedicatum in praemissis, sed dispar est utriusque quantitas, illud maius est, quod utpote universale, vi praemissarum de altero est praedicabile. Et tum concludi non potest nisi negative et particulariter. 3. Quum neutrum vel utrumque ex extremis est praedicatum in praemissis et par est utriusque quantitas: quum vi praemissarum utrumque sit respectu alterius praedicabile, illud est extremum maius, quod vi formae syllogismi naturalis praesumitur praedicatum in quaestione; quod quidem in priore praemissa enuntiatur.

Vel etiam hoc pacto regulae duae sunt: 1. In figura prima extremum maius illud est, quod praedicatur de medio, extremum minus, quod medio subicitur. In figura Galenica regula haec inversa erit. 2. In secunda et tertia figura quoties conclusio est inconvertibilis o, pro directa habetur eiusque praedicatum pro extremo maiore. Secus vero illa praemissa maior esse intelligatur, quae pronuntiatione praecedit; ita enim problema positum fuisse supponendum est.

350. **Syllogismorum per reductionem probatio.** Syllogismum perfectum eum esse diximus, in quo clare et directe ex sumptionibus fluit conclusio, qui igitur nulla alia re praeter praemissas in-

---

[1] Fonseca, Instit. dial. l. 6 c. 12. Aliud igitur est propositio directa, aliud conclusio directa. Propositio est directa, in qua superius de inferiore praedicatur. Utrum conclusio sit directa an indirecta, a comparatione eius pendet cum praemissis, ex quibus deducitur. Conclusio est directa, in qua praedicatur extremum, quod est maius in praemissis.

diget, ut de legitima consequentia evidenter constet. Haec perfecti syllogismi ratio reperitur dumtaxat in quattuor primis: Barbara, Celarent, Darii, Ferio; qui inter omnes syllogismos clarissimi sunt neque aliena luce ad vim propriam manifestandam egent. Et inter hos quattuor iterum maxime eminet syllogismus in Barbara, qui ad conclusionem deducere potest universalem et affirmativam. Et comparati cum quattuor modis figurae primae omnes reliquarum figurarum modi, quamvis legitimi sint et necessarii, sunt tamen imperfecti, quia in iis rectae illationis evidentia non tam clare elucet. Et Peripatetici quidem, quum omissis principiis, quae syllogismos secundae, tertiae, Galenicae figurae spectant, solummodo principia figurae primae propria exponere solerent, syllogismos imperfectos ad perfectos reducebant, quo omni quantumvis reluctanti animo in his quoque syllogismis imperfectis vim legitimae consequentiae et necessitatem inesse, ad oculum quasi demonstraretur. Ad quem finem duas regulas adhibitas invenimus: Prior erat: Quidquid sequitur ex consequente bonae consequentiae, sequitur etiam ex antecedente. Quoniam igitur est bona consequentia a propositione conversa ad propositionem convertentem: quidquid sequitur ex convertente, sequitur etiam ex conversa. Et huic regulae innititur reductio per ostensionem (ostensiva, conversiva, directa). Regula altera est: Aliqua conclusio evidenter est legitima, si ex opposito sive contradictorio consequentis sequitur evidenter oppositum sive contradictorium antecedentis, i. e. alicuius praemissae. Et ex hac regula fit reductio ad impossibile (indirecta). Generatim reductionis ratio triplex proponi solet, qua imperfectorum syllogismorum consequentia illustrari possit: probatio directa sive ostensiva; probatio indirecta sive deductio ad impossibile; expositio, quae fit adhibito syllogismo expositorio. Sed de singulis separatim satis multa a logicis statuta sunt.

351. **Reductio directa sive per ostensionem** efficitur, quum conversione et transpositione propositionum syllogismus imperfectus ad syllogismum perfectum figurae primae reducitur.

Quaeritur ergo, ad quem modum figurae primae imperfectus quivis syllogismus reducendus sit, et quaenam in ipso propositiones convertendae et transponendae sint.

Indicantur haec versibus illis memorialibus, quibus omnes syllogismorum modi enumerantur.

Et 1° quidem litterae B, C, D, F, a quibus quattuor primae figurae vocabula incipiunt, simul ostendunt, ad quem modum primae figurae syllogismi ceterarum figurarum reducendi sint. Ita v. g. Bamalip reducitur ad Barbara, Cesare ad Celarent, Darapti ad Darii, Festino ad Ferio.

2° Litterae S et P in medio illorum vocabulorum indicant, propositiones vocali antecedente repraesentatas esse convertendas sive simpliciter (quod indicat S) sive per accidens (quod significat P). Hinc syllogismus in Datisi reducitur ad Darii conversa simpliciter praemissa minore; syllogismus vero in Darapti reducitur conversa minore per accidens; syllogismus in Fesapo reduci potest conversa maiore simpliciter, minore per accidens.

3° Littera M monet, praemissas per metathesim esse transponendas, ita ut maior fiat minor et minor obtineat locum maioris. Ita ad reducendos syllogismos in Bamalip, Dimatis transponendae sunt praemissae solum; in syllogismo secundum Camestres praeter transpositionem praemissarum minor et conclusio converti debent simpliciter; syllogismus denique in Fapesmo ut reducatur, maior convertenda est per accidens, minor simpliciter, et praemissae transponi debent.

4° Littera C in medio vocabulorum Baroco et Bocardo ostendit, eius generis syllogismos non posse reduci per ostensionem, sed per conversionem vel deductionem ad contradictoriam propositionem tantum. Nam quum propositio universalis affirmativa per conversionem fiat particularis, propositio vero particularis negativa etiam post conversionem per contrapositionem maneat particularis, et ex mere particularibus nihil sequatur, illi syllogismi directe ad Barbara reduci non possunt.

Hic syllogismus in Bamalip reducitur ad Barbara:

Omnis homo est animal.	*Omne animal est substantia.*
Omne animal est substantia.	*Omnis homo est animal.*
Ergo aliqua substantia est homo.	*Ergo omnis homo est substantia* [1].

Hic vero syllogismus in Fesapo reducitur ad Ferio:

Omnis homo non est brutum.	*Omne brutum non est homo.*
Omne brutum est irrationale.	*Aliquod irrationale est brutum.*
Ergo aliquod irrationale non est homo.	*Ergo aliquod irrationale non est homo* [2].

---

[1] Etsi propositio particularis affirmativa per se non potest converti per accidens in universalem, haec conversio hoc loco tamen admittitur, quia illa universalis conclusio evidenter continetur in praemissis, quae quidem respectu ordinis, non tamen quantitatis per transpositionem mutatae sunt.

[2] Tota haec reducendi industria quo facilius memoria retineri possit, his versiculis continetur:

S vult simpliciter verti; P vero per accid(ens);
M vult transponi; C per impossibile duci.

Peculiarem difficultatem in Baroco et Bocardo reperies, qui modi reductionem per ostensionem non videntur admittere. Potest tamen Bocardo reduci ad Darii, et Baroco ad Ferio, modo adhibere velis conversionem per contrapositionem et propositionem negativam convertere in infinitam. Hac ratione convertetur:

Ba	P a M	in Fe	Non-M e P
ro	S o M	ri	S i Non-M
co	S o P	o	S o P.
Bo	M o P	in Da	M a S
car	M a S	ri	Non-P i M
do	S o P	i	Non-P i S.

352. **Aliae reductiones syllogismorum imperfectorum.** Praeter reductionem ostensivam sive directam, de qua modo dictum est, duplex est reductionis genus: indirectum et expositorium.

Reductio indirecta sive per deductionem ad impossibile fit, quum ex opposito consequentis infertur oppositum antecedentis, i. e. quum ex assumpta conclusionis alicuius contradictoria et ex una praemissarum iam concessarum per syllogismum primae figurae infertur contradictoria alterius praemissae pariter ante concessae. Haec reductionis ratio cum utilitate praecipue adhibetur in modis Baroco et Bocardo. Ut igitur fiat haec reductio, una ex praemissis retinenda est; et propositio contradictoria conclusionis adhibenda tamquam praemissa altera. Quaenam vero praemissa omitti debeat, significatur per vocalem **O**, quae in vocabulis Baroco et Bocardo reperitur; debet igitur in Baroco mutari minor, in Bocardo maior. Quod autem fit in Baroco, id etiam in ceteris modis figurae secundae fit; et id, quod in Bocardo fit, fit in reliquis figurae tertiae. Unde versiculi:

Maiorem servat variatque secunda minorem.
Tertia maiorem variat servatque minorem.

De prima autem figura hi sunt versiculi:

Maior fit minor et fit contradictio minor.
Excipe Celantes, in quo convertitur ordo.

In prima igitur figura contradictoria conclusionis negatae erit maior novi argumenti, cuius minor erit ea, quae in syllogismo primo fuit maior. In modo Celantes vero ea, quae erat minor, nunc ponenda erit loco maioris in argumento novo, et contradictoria conclusionis negatae ponenda erit loco minoris [1].

Neque omittendum est, deductionem ad impossibile non solum fieri posse in forma syllogismi categorici inferentis impossibile, sed etiam in forma syllogismi hypothetici: *Si contradictoria meae sententiae falsa est, mea sententia est vera. Atqui ista falsa est. Ergo mea sententia vera.*

Reliquum est, ut de alia reductionis ratione dicamus, quae est per expositionem. Haec reductio fit, quum termino medio, qui singularis est, substituto in locum medii communis, infertur eadem conclusio, quae inferebatur in syllogismo habente terminum communem. Quae reductio veritatem syllogismo ostensam reddit evidentiorem; sed non valet nisi ad inferendam conclusionem particularem. Cuius rei ponatur exemplum huiusmodi, ut ostendenda sit consequentia in hoc syllogismo. *Aliqui, qui Ecclesiam persecuti sunt, facti sunt Apostoli Christi. Atqui omnes, qui Ecclesiam persecuti sunt, fuerunt inimici Dei. Ergo aliqui, qui facti sunt Apostoli Christi, fuerunt inimici Dei.* Iam intra ambitum termini medii „qui persecuti sunt Ecclesiam", invenio Paulum, de quo utrumque verum fuit, quod in conclusione affirmandum est. Hinc syllogismum expositorium evidenter legitime concludentem formo: *Paulus factus est Apostolus Christi. Atqui Paulus fuit inimicus Dei. Ergo aliquis factus est Apostolus Christi, qui fuit inimicus Dei.*

Quamvis hac ratione syllogismus expositorius in omni figura adhiberi possit, aptissime tamen usurpatur in tertia, in qua medium bis subiicitur, et omnis conclusio est particularis.

---

[1] De huius reductionis vi et utilitate cfr. Roselli, Log. q. 27 a. 4.

353. **Syllogismus hypotheticus** unam vel plures propositiones continet, quae, quum nihil absolute affirment aut negent, solum unius affirmationis vel negationis ab altera dependentiam exprimunt; quem syllogismum etiam compositum vocant. Igitur syllogismus compositus vel hypotheticus, de quo nunc dicendum est, a simplici, de quo disputavimus hactenus, eo diversus est, quod ex sumptione composita sive hypothetica conclusionem deducit[1].

Et fieri quidem potest, ut in propositione minore ponatur novus terminus, i. e. terminus, qui non reperitur in maiore, velut in hoc syllogismo: *Sicut vita, mors ita. Atqui vita bona. Ergo mors bona;* vel: *Ubi thesaurus, ibi cor. Atqui in pulvere thesaurus. Ergo in pulvere cor.* Qui syllogismi dicuntur esse secundum assumptionem (κατὰ πρόςληψιν). Fieri etiam potest, ut in minore idem terminus ponatur categorice, qui in maiore positus fuit hypothetice, velut: *Si bene vivis, bene morieris. Atqui bene vivis. Ergo bene morieris.* Et hi syllogismi dicuntur esse secundum transsumptionem (κατὰ μετάληψιν). Sed nemo non videt, syllogismos assumptivos facile in transsumptivos converti posse.

Quum conclusio in syllogismo hypothetico consequi possit aut vi positae conditionis, aut vi coniunctionis, aut vi disiunctionis, triplex nascitur huius syllogismi species; quarum prima illa est, quae nomen conditionalis retinet, altera disiunctiva, tertia coniunctiva[2]. In quibus tamen species conditionalis praecipua est. De hac nunc breviter dicendum.

Quum veritas propositionis conditionalis sit in nexu, qui est inter conditionem et conditionatum (n. 287), duae sequuntur concludendi figurae legitimae. Primo enim ex principio: Posita conditione ponitur conditionatum, consequens est, ut recte concludatur a veritate conditionis ad veritatem conditionati, velut quum dicis: *Si Deus est sanctus, odit peccatum. Atqui Deus est sanctus. Ergo odit peccatum.* Deinde vero ex principio: Sublato conditionato tollitur conditio, legitime inferimus a falsitate conditionati falsitatem con-

---

[1] Hunc syllogismum hypotheticum, quatenus ex hypothesi ficta procedat, quae non ut probata vel vera, sed tantum ex gratuito concessis accepta, nullam ad gignendam scientiam vim habere dicit Aristoteles (l. 1 anal. prior. c. 44). Verum de his syllogismis, quatenus in praemissis affirmatur nexus inter conditionatum et conditionem, pleniorem doctrinam non tradidit. De his primo disputarunt subtilius Theophrastus et Eudemus. Et „Theophrastus, ut dicit Boethius (de syllog. hypoth.), rerum tantum summas exsequitur, Eudemus latiorem docendi graditur viam". Etiam Stoici magna accuratione de syllogismis hypotheticis disseruerunt. De mente Aristotelis adhuc sub iudice lis est. Cfr. Sanseverino, Log. Vol. II. p. 352—363.

[2] Cfr. Alexandr. Aphrodis. (ad Arist. anal. prior. f. 133 B); Ioan. Philop. (ad anal. prior. f. LX B); Boeth., De syllog. hypothet.

ditionis. Legitime ergo concludes: *Si Ecclesia errat, Deus mentitur. Atqui Deus non mentitur. Ergo Ecclesia non errat*[1]. (Cfr. n. 163.)

Duae etiam in hoc syllogismo inesse possunt figurae sophisticae. Et primo quidem, quum affirmato consequente in minore, affirmatur antecedens in conclusione. Et deinde, quum negato antecedente in minore negatur consequens in conclusione.

Praecipue vero animadvertenda est illa partium diversitas, quae affirmatione et negatione constituitur. Nam utraque pars affirmativa esse potest, potest etiam utraque esse negativa. Praeterea conditio negativa esse potest, dum conditionatum est affirmativum; et contra. Quapropter ex quattuor modis argumentatio procedere potest. Qua de re sunt duae regulae:

1° In priore figura legitima qualitas negativa aut affirmativa partium semper servatur tum in minore tum in conclusione, velut quum dicitur: *Si homo non est animal brutum, non vivere debet ut animal brutum. Sed homo non est animal brutum. Ergo non debet vivere ut animal brutum.*

In figura altera legitima mutatur in minore et conclusione qualitas partium: *Si bene agis, non vapulas. Atqui vapulas. Ergo non bene agis.*

2° Quaecunque est qualitas partium, in prima figura argumentatio est semper affirmativa; semper enim in conclusione veritas conditionati affirmatur. In secunda autem figura semper est negativa; quia semper in conclusione negatur conditionis veritas.

Hac igitur ratione omnes syllogismi conditionalis modi exhiberi possunt:

Pro prima figura:

a) Modus ponendo { ponens: Si A est, est B; — A est —: Ergo est B.
tollens: Si A est, non est B; — A est —: Ergo non est B.

Si homo cogitare potest, anima eius est immortalis.
Si Christus fundavit Ecclesiam, non est magistra erroris.

b) Modus tollendo { ponens: Si A non est, est B; — A non est: Ergo est B.
tollens: Si A non est, non est B; — A non est: — Ergo non est B.

Si cum hac vita non omnia pereunt, vae peccatori!
Si duellum non est lege naturali licitum, non fit ullo praeiudicio honestum.

---

[1] Praeclarum quoque huius rei exemplum illud est, quod ex scriptis S. Augustini (l. 2 de civit. Dei c. 13) afferunt hoc loco rhetorici. Attendens ille ad sacerdotes idololatras, quos Graeci summo honore prosequebantur, Romani a dignitatibus omnibus arcebant: Proponunt, inquit, Graeci: *Si dii tales colendi sunt, profecto etiam tales homines honorandi.* Assumunt Romani: *Sed nullo modo tales homines honorandi sunt.* Concludunt Christiani: *Ergo nullo modo dii tales colendi sunt.*

Pro secunda figura:

a) Modus tollens { tollendo: Si A est, est B; — non est B: — Ergo non est A.
ponendo: Si A est, non est B; — est B: — Ergo non est A. }

Si Christus est merus homo, est omnium pessimus.
Si homo necessario agit, non est moralitatis capax.

b) Modus ponens { tollendo: Si A non est, est B; — non est B: — Ergo est A.
ponendo: Si A non est, non est B; — est B: — Ergo est A. }

Si Christus non surrexit, vana est fides nostra.
Si Deus non est, mundus non est.

354. Sed adhibentur interdum syllogismi, in quibus omnes propositiones conditionales sunt, velut: *Si plantae seipsas perficiunt, vivunt. Atqui si vivunt, non sunt machinae. Ergo si plantae seipsas perficiunt, non sunt machinae*[1]. Sed tota haec argumentandi ratio, rem si spectas, a ratione categorica non differt. Ex hoc enim principio proficiscitur, quod absolutum est: Conditio conditionis est conditio conditionati. Et ad hanc formulam generalem revocari potest: Primum est conditio secundi et secundum est conditio tertii; ergo primum est conditio tertii.

Quae res his exemplis illustrari potest: *Si Deus est, sanctus est. Si sanctus est, peccatum odit. Ergo si Deus est, peccatum odit.* — *Si quis seipsum diligit, diligit Deum. Si quis inimicum odit, non diligit Deum. Ergo si quis seipsum diligit, non odit inimicum.* — *Si scientia sanam rationem sequitur, in errores graves incidere non potest. Si scientia sanam rationem sequitur, Ecclesia eam adiuvat. Ergo si Ecclesia scientiam adiuvat, interdum scientia sic procedit, ut in errores graves incidere non possit* (hoc modo concludendum ratione formae, ratione materiae conclusio amplior esse poterit). — *Si pauperes Deum diligunt, non sunt infelices. Si pauperes vitam religiosam degunt, Deum diligunt. Ergo si pauperes sunt infelices, non degunt vitam religiosam.*

Deinde fieri potest, ut conclusio argumenti sit conditionalis hoc modo: *Machinae non habent vitam. Ergo si plantae vitam habent, non sunt machinae.* In quo syllogismo altera praemissarum ut conditio in ipsam conclusionem ingeritur, quo efficacius attentio mentis dirigatur in ipsam consequentiae rectitudinem.

Nonnunquam denique accidit, ut conditionales compositae sint in argumentatione hoc modo: *Si Deus est ens a se, quum sit necessarium, est ens immutabile. Atqui Deus est ens a se. Ergo quum sit ens necessarium, est ens immutabile.* Quae conditionales hoc modo compositae vocari possunt conditionales causales, quia conditionali additur causa sive ratio, qua consequentia nititur.

---

[1] Distinguere solent hypotheticum syllogismum purum et mixtum. Purus (ὁ δι' ὅλων ὑποθετικός) est, cuius utraque praemissa hypothetica est; mixtus, qui ex una praemissa hypothetica constat, altera categorica.

Quae de syllogismo conditionali restant, omittimus; satis enim per se intelliguntur.

355. **Syllogismus disiunctivus.** Illum syllogismum hypotheticum, cuius praemissa maior propositionem disiunctivam continet, vocamus disiunctivum. Cuius rei exemplum sit illud Tullii: *Aut metuamus Carthaginienses oportet, si incolumes eos reliquerimus, aut eorum urbem diruamus. At metuere quidem non oportet. Restat igitur, ut urbem diruamus.* Cuius syllogismi cum conditionali coniunctio vel eo apparet, quod facile in conditionalem verti potest hoc modo: *Si Carthaginienses metuere non oportet, urbs eorum delenda est. Atqui metuere non oportet. Restat igitur, ut urbem diruamus.* Quum in propositione proprie disiunctiva (n. 288) omnes partes ex natura rei neque simul esse verae queant neque simul falsae, pro syllogismo disiunctivo duplex habetur concludendi figura legitima. Aut enim 1° una parte in minore negata, reliqua pars in conclusione affirmatur, aut 2° una parte disiunctionis in minore affirmata, reliqua pars in conclusione negatur. In utraque porro figura pro diversa partium qualitate diversus est concludendi modus.

In I. figura:	In II. figura:
Est aut B aut C.	Est aut B aut C.
Non est B.	Est B.
Ergo est C.	Ergo non est C.

Mundus est aut a se aut ab alio.

Est aut B aut non C.	Est aut B aut non C.
Non est B.	Est B.
Ergo non est C.	Ergo est C.

Infernus est aut aeternus aut nullus.

Est aut non B aut C.	Est aut non B aut C.
Est B.	Non est B.
Ergo est C.	Ergo non est C.

Hic homo est aut non sanus aut piger.

Est aut non B aut non C.	Est aut non B aut non C.
Est B.	Non est B.
Ergo non est C.	Ergo est C.

Hic catholicus est aut non liberalis aut non sincerus.

In propositione improprie disiunctiva quum una saltem debeat esse vera, non quidem omnes partes simul possunt esse falsae; sed omnes simul possunt esse verae. Quapropter, una parte in minore affirmata, non recte reliqua pars in conclusione negatur; non igitur in hoc syllogismo alia praeter primam figuram legitime adhiberi potest. Quod his exemplis illustratur: Petrus

magistrum suum vel ex levitate vel ex falso respectu humano vel ex ignavia vel ex perfidia negavit. Eleemosyna, quam avarus dabit, generatim vel non libere vel non pura intentione vel non ex rebus suis vel non benigno modo fiet. Opus artis est vel honestum vel non pulchrum.

Quibus omnibus ex rebus haec colliguntur:

1º Qualitas eius partis, quae loco minoris ponitur, mutatur in prima figura, non mutatur in secunda; qualitas vero partis, quae in conclusione infertur, conservatur in prima figura, non autem in secunda.

2º Ratio argumentationis in prima figura semper est affirmativa, in secunda negativa, propterea quod in hac conclusio partem maioris ipsam, quam continet, invertit, in illa vero eam talem, qualis est, relinquit.

3º Regulae statutae vim habent etiam in syllogismis, quorum disiunctiva pluribus quam duobus membris constat. Qua in re id tantum est observandum, si in conclusione plura membra habeantur, affirmationem eorum disiunctive, negationem vero copulative esse intelligendam.

356. **Syllogismus coniunctivus.** Coniunctivum illum syllogismum hypotheticum esse novimus, in cuius praemissa maiore propositio coniunctiva ponitur.

In propositione stricte coniunctiva, id quod iam ante dictum est, non utrumque membrum potest esse verum, quamvis per se utrumque possit esse falsum. Hinc a falsitate unius membri concludere non licet ad veritatem alterius. Unica ergo est huius syllogismi figura, quae pro diversa tamen qualitate propositionis coniunctivae diversos habet concludendi modos: *Custodes ad Christi sepulchrum non potuerunt et dormire et videre discipulos corpus furantes. Non potestis Deo servire et mammonae.*

In propositione autem non stricte coniunctiva exceptio ab hac regula habetur, quum membra enumerata sunt omnia, quae ex natura rei illi subiecto convenire possunt. Tum enim propositio coniunctiva aequivalet propositioni disiunctivae, quae et alteram concludendi figuram admittit, quae est a falsitate unius membri ad veritatem alterius. Velut: *Deus non potest simul esse sanctus et peccatum non odisse. Christus non potest simul esse non verus Deus et homo iustus. Ecclesia non potest esse simul fallibilis et magistra gentium.*

Quibus dictis liquet, recte inferri ex negata una parte affirmandam alteram (Fig. I.), et ex affirmata una negandam alteram (Fig. II.) in syllogismis proprie disiunctivis et improprie coniunctivis; in syllogismo vero improprie disiunctivo solum ex negatione unius partis recte affirmationem concludi alterius (Fig. I.), et in syllogismo proprie coniunctivo tantum ex affirmatione unius partis recte sequi negationem alterius (Fig. II.).

357. **Syllogismi hypothetici ad categoricum reductio.** Syllogismum proprie conditionalem, quem diximus inter hypotheticos esse praecipuum, ad categoricum reduces, si in conclusione quaeris duo extrema, et pro termino medio sumis illum, qui in utraque praemissa est positus. Id quum generaliter praecipi soleat, enucleatius quoque dici potest, ita ut vel ad materiam advertatur animus vel etiam ad formam.

Materiam si spectas, ut fiat reductio, vel praesto est propositio categorica, vel quaerenda est, quae ad legitimam reductionem inservire possit. Ita syllogismus: *Si mundus est a Deo creatus, omnino a Deo pendet. Atqui mundus est a Deo creatus. Ergo* . . . reducetur ad hunc: *Quidquid est a Deo creatum, a Deo omnino pendet. Atqui . . . Ergo . . .* Difficilius erit negotium, quum convertendus sit syllogismus: *Si Deus non existit, mundus non existit. Atqui mundus existit. Ergo Deus existit.* Qui aliqua ratione converti potest in hunc categoricum: *Causa mundi existentis existit. Atqui Deus est causa mundi existentis. Ergo Deus existit.* Quam difficultatem experieris, quotiescunque conditio et conditionatum diversa subiecta habent.

Formam si spectas, haec tenere satis erit: 1° in figura syllogismi conditionalis prima loco termini medii esse conditionem; in secunda autem conditionatum; 2° syllogismos conditionales figurae primae reduci ad Barbara, secundae figurae ad Camestres.

Reductionem syllogismi disiunctivi et coniunctivi quod attinet, propositiones disiunctivas et coniunctivas in propositiones conditionales facile converti posse vidimus. Ita propositio disiunctiva: Est aut A aut B, his aequivalet propositionibus: Si A est, non est B; et si A non est, est B; vel si mavis: Si B est, non est A; et si B non est, est A. Quod facile applicabis ad exemplum: *Homo est aut pro Christo aut contra Christum.*

Consimiliter propositio coniunctiva: Non potest simul esse A et B, mutabitur in hanc: Si A est, non est B; vel: Si B est, non est A. Vides igitur, in quam conditionalem mutanda sit haec: *Homo non potest simul servire Deo et peccato.*

Itaque syllogismi disiunctivi et coniunctivi interveniente syllogismo conditionali facile in categoricos mutantur. Sed etiam immediate interdum sine difficultate in categoricos convertuntur secundum hanc formulam:

Ratio { negandi / affirmandi } A (vel B) est ratio { affirmandi / negandi } B (vel A)

Adest ratio { negandi / affirmandi } A (vel B)

Ergo adest ratio { affirmandi / negandi } B (vel A)

358. **Aliae species syllogismi compositi, earumque reductio.** Diximus hactenus de syllogismis compositis, qui hypothetici vocari solent. Sunt autem praeterea syllogismi categorici aliqua compositione affecti eo, quod praemissas absolutas quidem habent, quae tamen unam vel alteram propositionem sive aperte sive occulte compositam continent. Qui neque peculiare nomen habent, neque praecepta propria neque specialem difficultatem menti cogitanti offerunt, et facile in syllogismos simplices per resolutionem aliquam additam mutantur. De his pauca:

1º In syllogismis, qui propositiones copulativas vel adversativas continent, modo per terminum medium simplicem complura de uno vel unum de compluribus, modo per terminum medium multiplicem unum de altero vel complura de compluribus concludere possumus. Hinc aliquando una solum, aliquando utraque praemissa erit composita, et varia id quidem ratione. Attendendum igitur in singulis rebus, num et quomodo syllogismus copulativa vel adversativa propositione multiplex in syllogismos simplices resolvi possit atque debeat. Exemplis res patebit. Syllogismus hic quamvis compositus in plures resolvi non potest: *Qui nihil est et tamen alte de se sentit, superbus est. Atqui is, qui nihil est et tamen alte de se sentit, etiam stultus est. Ergo superbus etiam stultus est.* E contrario hic alter syllogismus in quattuor dissolvi poterit: *Vanum et periculosum est sectari bona, quae pereunt. Atqui divitiae et honores sunt bona, quae pereunt. Ergo vanum et periculosum est sectari divitias et honores.*

2º Syllogismi, quibus inest propositio correlativa, interdum contra regulas pluribus quam tribus terminis constare videntur; at facta resolutione omnis difficultas evanescit. Velut in his exemplis: *Inde maxima gaudia vel maximos dolores nanciscimur, unde pendet aeternitas. Atqui aeternitas pendet a morte. Ergo a morte maxima gaudia vel maximos dolores nanciscimur.* Vel: *Homo tanti ab aliis aestimatur, quanti valet. Atqui non raro tanti valet, quantum habet pecuniae. Ergo homo non raro tanti aestimatur, quantum habet pecuniae.*

Quae ita explicantur: *Momentum, a quo pendet aeternitas, est momentum, a quo ... nanciscimur. Atqui momentum, a quo pendet aeternitas, est mors. Ergo mors est momentum, a quo ... nanciscimur.* Et: *Mensura valoris est mensura aestimationis hominis. Atqui mensura valoris est non raro pecunia. Ergo pecunia non raro est mensura aestimationis hominis.*

3° Syllogismus totus continetur in quavis propositione causali. Si igitur in aliquo syllogismo habetur propositio causalis, videndum saepe, numquid quasi exempli causa, vel per modum comparationis adiectum sit, quod ad syllogismum per se non pertineat.

Haec causalis propositio: *Vita hominis in terra misera est, nam plurimis malis periculisque abundat,* hunc syllogismum exhibet: *Quod plurimis malis periculisque abundat, miserum est. Atqui vita hominis in terra plurimis ... abundat. Ergo vita hominis in terra misera est.*

Quodsi iam illa propositio causalis alium syllogismum ingreditur, membrum aliquod supervacaneum est et quasi comparationis causa additum: *Vita hominis ... abundat. Mors hominis plurimis malis periculisque abundat. Ergo mors hominis misera est* (sicut etiam vita ob eandem rationem).

4° In syllogismis, qui unam vel alteram propositionem aperte vel occulte exclusivam habent, praecipue attendendum, ut exclusiva rite in exponentes propositiones resolvatur. Tum vis earum et significatio patet, et facile secundum regulas communes argumentum componi aut refutari poterit et omnis etiam exceptio a regulis communibus, quae fortassis adesse videbatur, eo ipso sublata erit.

Solus Deus est omnipotens.	=	*Deus est omnipotens et quidquid non est Deus, non est omnipotens.*
Sed nulla creatura pura est Deus.		*Sed omnis creatura pura non est Deus.*
Ergo nulla creatura pura est omnipotens.		*Ergo omnis creatura pura non est omnipotens.*
Planta habet solum vitam vegetativam.	=	*Planta habet (vitam vegetativam et) non vitam sensitivam.*
Sed brutum habet vitam sensitivam etiam.		*Brutum habet vitam (vegetativam et) sensitivam.*
Ergo brutum non est planta.		*Ergo brutum non est planta.*

E contrario syllogismus, qui sequitur, non concludit, quia supponit propositionem exclusivam, quae non est exclusiva: *Omnes electi sunt vocati (et non electi non sunt vocati?). Sed pauci sunt electi. Ergo pauci sunt vocati.*

Propositio denique: *Anima hominis tantum non est naturaliter corruptibilis,* ex se ambigua est et facile falsae conclusioni occasionem praebere poterit, nisi recte secundum rem, de qua agitur, exponatur.

5° Si propositio reduplicativa vel specificativa in syllogismo continetur, cavendum, ne reduplicatio vel specificatio a suo termino seiungatur, ut in hoc exemplo: *Homo, quatenus est animal, est ens mortale. Sed homo est rationalis. Ergo aliquod animal, quatenus est rationale, est ens mortale.*

359. **Syllogismus complexus** generatim ille est, qui propositionem complexam continet. Et fieri potest, ut haec complexio nonnunquam aliquam difficultatem pariat ratiocinantibus. Ex sexcentis rebus, quae sese considerationi offerre possint, aliquas tantum speciminis causa breviter indicandas sumimus:

1° Occurrunt syllogismi, in quibus unum vel alterum extremum complexum in praemissis divisum est, ut una pars cum termino medio in maiore, altera in minore componatur. Hoc pacto: *Catholici credunt magisterio Ecclesiae. Atqui Ecclesia est infallibilis. Ergo catholici credunt magisterio infallibili.*

2° Inde etiam oritur difficultas, quod in conclusione propositio, quae incidens videtur, revera est principalis, et quae principalis videtur, tantum incidens in argumenti ratione. Velut in hoc syllogismo: *Christiana lex praecipit, ut proximos nostros sicut nosmetipsos diligamus. Atqui peccatores sunt proximi nostri. Ergo christiana lex praecipit, ut peccatores . . . diligamus.*

3° Ad hunc locum pertinent syllogismi, qui terminis constant obliquis, i. e. non in casu nominativo positis. Hoc modo: *Vere humilis est, nec laudes quaerere nec vituperiis offendi. Atqui omnes sancti fuerunt vere humiles. Ergo omnium sanctorum fuit, nec laudes quaerere nec vituperiis offendi.*

4° Denique cautio adhibenda est in syllogismis, qui tres propositiones negativas continere videntur. Velut quum quis dicit: *Quidquid non habet partes, non potest dissolutione perire. Atqui anima humana non habet partes. Ergo anima humana non potest dissolutione perire.*

Ad horum syllogismorum difficultates solvendas eorumque legitimam consequentiam evidentius ostendendam, quum regulae paucae et simplices praesto non sint, non remanet nisi, ut eos, qui hoc modo complexi sunt, natura potius quam arte ducente in

simplices redigamus[1]. Quod ut plurimum facilius fieri poterit, si ex syllogismo complexo tres illos conceptus atque ipsos terminos, in ratiocinio inter se comparatos, seligere studeamus selectosque in syllogismum simplicem componamus. Neque raro in hac reductione maxime proderit, conceptus positivos verbis etiam affirmativis reddere, non vero negativis. Ceterum vel iuvenili ingenio breve post exercitium iam non erit difficile, syllogismum quemlibet per substitutionem ad legum communium normas revocare. Ita in exemplis positis nullo negotio syllogismos evidentes compones, si brevi consideratione et legitima verborum commutatione has praemissas maiores inveneris: *Ecclesia est magistra infallibilis. Secundum legem christianam proximos ut nosmetipsos diligere debemus. Vere humilis non quaerit laudes nec vituperiis offenditur. Ens simplex non potest dissolutione partium perire.*

360. **Syllogismus modalis.** Modalem dicunt syllogismum, in quo vel utraque praemissa modalis est vel altera modalis, altera „de inesse“ sive absoluta. Modales autem, quae in uno eodemque syllogismo coniunguntur, eiusdem rationis esse possunt vel diversae. Huius igitur syllogismi materia proxima sunt duae propositiones, quarum saltem una modalis sit, quae multis modis inter se permisceri possunt. Materia remota sunt tres termini, in quibus non numeratur modus. Modus, sicut in conversione modalium non numeratur inter praedicata et subiecta, ita in syllogismis modalibus non numeratur in terminis. Quo autem facilius natura syllogismi modalis perspiciatur, convenit, ut mutetur in absolutum. Ita syllogismum: *Necesse est, omne animal mori. Atqui necesse est, omnem hominem esse animal. Ergo necesse est, omnem hominem mori;* convertes in hunc: *Omne animal mori debet. Atqui homo est animal. Ergo omnis homo mori debet*[2].

Verum nunc quaeritur, quae indoles tribuenda sit conclusioni, si indoles praemissae maioris diversa est ab indole praemissae minoris. Qui locus sane lubricus est, neque sine ratione logicorum

---

[1] De his syllogismis fusius scripsit Beneke (Lehrbuch der Logik. 1832. p. 110 sqq.; System der Logik. I. p. 201—245; opusculum: Syllogismorum analyticorum origines et ordinem naturalem demonstravit Friedr. Ed. Beneke), qui hoc suo labore id effecisse putat, ut nunc tandem ars syllogistica ad vitae et scientiae usum adhiberi possit, et iudicat „syllogismos, qui per tot saecula numeris omnibus absoluti habiti sint, nihil ad scientiam humanam valere neque amplificandam neque provehendam“.

[2] Fonseca, Instit. dial. l. 6 c. 29.

crux esse dicitur. Nos praeceptis supersedentes aliquibus exemplis contenti sumus:

Possibile est, omne sedens stare.	*Necesse est, omnem musicum esse hominem.*
Possibile est, omnem canem sedere.	*Aliquis albus potest esse musicus.*
Possibile est, omnem canem stare.	*Aliquis albus necessario est homo.*
Possibile est, omne rationale loqui.	*Possibile est, omnem mathematicum loqui.*
Omnis homo necessario est rationalis.	*Caius est mathematicus.*
Possibile est, omnem hominem loqui.	*Caius potest loqui.*
Omne currens movetur.	*Nullum viride est album.*
Caius potest currere.	*Aliquod animal necessario est viride.*
Caius potest moveri.	*Aliquod animal necessario non est album.*
Omne animal movetur.	*Nullus grammaticus ignorat declinationes.*
Homo est necessario animal.	*Possibile est, omnem hominem ignorare declinationes.*
Homo movetur.	*Possibile est, nullum hominem esse grammaticum.*

Possibile est, omnem geometram ridere.
Omnis geometra est mathematicus.
Possibile est, aliquem mathematicum ridere.

Qui vero hac de re accuratius praecepta desiderat, is ipsum Aristotelem adeat eiusque interpretes, qui hunc locum ita pertractarunt, ut subtilius et plenius explicari iam non possit [1].

Scholion. Plurimae sunt in hac re apud logicos controversiae, quas enumerare longum est. Ne tamen nihil de his dixisse videamur, illius mentionem faciemus, de qua saepius disputant philosophi [2]. Docuerat enim Aristoteles, fieri posse, ut ex maiore necessaria et minore „de inesse" sequeretur conclusio necessaria, vel etiam ex maiore „de inesse" et minore possibili sequeretur conclusio „de inesse". Contra quem Eudemus et Theophrastus [3] conclusionem semper partem debiliorem sequi posuerunt. Velut in hoc exemplo: *Omne currens necessario movetur. Atqui Socrates currit. Ergo* (id quod infert Aristoteles) *Socrates necessario movetur;* sed dicunt illi, aperte falsam esse hanc conclusionem. Quae controversia aliqua distinctione videtur posse componi. Itaque: *Distinguo maiorem:* Omne currens necessario movetur sensu hypothetico, i. e. si quis currit, necessario movetur, *concedo maiorem.* Necessario movetur sensu absoluto, i. e. subiectum, quod currit, esse non potest, quin moveatur, *nego*

[1] Arist. l. 1 anal. prior. c. 9—22. Opusc. 48 inter opusc. S. Thom., Tract. de syllog. c. 13 sqq.

[2] Ueberweg, System der Logik § 119. Drobisch, System der Logik § 96.

[3] Cfr. Alex. Aphrod. ad analyt. prior. f. 49 a; Ioan. Philop. ad analyt. prior. f. 51 A; Prantl, Geschichte der Logik. I. p. 278 sqq., 370 sqq.

maiorem. Atque ita etiam in conclusione Socrates dicitur necessario moveri necessitate hypothetica, si currat; et recte negant Theophrastus et Eudemus, Socratem moveri necessitate absoluta. Vel si placet, distinctio etiam fieri potest inter currentem reduplicative, et currentem specificative tantum.

361. Argumentationum ceterarum ad syllogismum reductio. Quum in nullo argumentationis genere vis ulla concludendi insit, nisi cum syllogismo conveniat, deinceps videndum est, argumentationes reliquae, quarum supra (n. 165, 166) incidit mentio, enthymema, epichirema, sorites, polysyllogismus, dilemma, quem ad modum explicari debeant. Quae quidem externa specie a syllogismo differunt, facile tamen secundum formam internam ad syllogismum omnes revocantur.

Enthymema sive syllogismus decurtatus est, ut dicit Boëthius, oratio, in qua, non omnibus ante constitutis propositionibus, infertur festinata conclusio, velut quum quis dicit: *Virtus est, qua nemo male uti potest. Ergo virtus est simpliciter bona;* vel: *Id, quo nemo male uti potest, est simpliciter bonum. Ergo virtus est simpliciter bona.* Itaque, quod enthymema est in ore, est in mente syllogismus; et syllogismum profers, si sumptionem, quae subauditur, exprimas. Neque difficile est, praemissam suppressam supplere, modo animadvertatur, utrum extremorum in antecedente enthymematis expressum sit. Si enim in antecedente invenitur extremum maius sive praedicatum conclusionis, omissa est minor; si extremum minus sive subiectum conclusionis, supplenda erit maior. Si attenditur deinde ad locum, quem in antecedente occupat extremum, cognosci poterit figura, ad quam enthymema completum trahi debeat. In hoc enthymemate: *Nullus avarus est felix. Ergo aliquis dives non est felix,* reticetur minor, quae duplici ratione poni potest: *Atqui aliquis dives est avarus,* qui syllogismus primae figurae est; vel: *Atqui aliquis avarus est dives,* qui syllogismus in figura tertia est.

Quodsi nullum extremorum in antecedente reperiatur, syllogismus complendus erit hypotheticus, velut quum dico: *Paucissimi fiunt admodum divites. Ergo permulti sunt pauperes.*

Simili fere modo ex unica propositione enthymematica integer syllogismus extrahi potest; in quo genere sunt: *Homo libero arbitrio praeditus, actionum suarum rationem reddere debet;* vel: *Deus sanctus peccatum odit.*

Epichirema scimus esse syllogismum abundantem, cuius praemissa una vel utraque sui rationem additam habet. Quum haec addita propositio causalis ipsam syllogismi formam non afficiat, de huius argumentationis rectitudine ex reliquis partibus pro-

positionum secundum communes leges syllogismi iudicandum est. Quia autem unaquaeque propositio causalis in se completum syllogismum complectitur, apertum est, epichirema pro numero propositionum causalium in duos vel tres syllogismos dissolvi posse. Quod exemplo facile sibi quisque illustrare potest: *Homo habet animam spiritualem, potest enim cogitare. Atqui anima spiritualis est immortalis, quia ens spirituale corrumpi non potest. Ergo homo habet animam immortalem.*

362. De polysyllogismo sive syllogismo concatenato, quum in eo forma syllogistica expressa sit, vix restat, quod explicatione indigeat. Facile enim regulae syllogismorum singulis partibus applicantur.

Sed tamen quaestio ab aliquibus logicis est posita, quotuplici modo syllogismus bimembris, qui ex quattuor terminis (P, M, N, S) constat, effici possit. Exemplum sit hoc:

Quidquid hominem perficit (M), dignum est eius studio (P). Atqui scientiae omnes (N) hominem perficiunt (M). Ergo scientiae omnes (N) hominis studio dignae sunt (P). Atqui logica (S) est scientia (N). Ergo logica (S) studio hominis est digna (P). Hac de re cogitanti apertum erit, syllogismum, qui incipiatur in figura prima et secunda, continuari non posse, nisi in figura prima vel tertia; — syllogismum inceptum in figura tertia non continuari, nisi in eadem figura tertia; — confici non posse talem syllogismum in sola figura secunda; — omnes figuras simul in uno syllogismo reperiri posse, si initium sit in figura secunda, sequatur prima, finis sit in figura tertia [1].

Soritem scimus esse polysyllogismum contractum, in quo omissis conclusionibus intermediis praemissae immediate coniunguntur et ad unam conclusionem finalem coacervantur.

Duplicem soritem distinguere solent, Aristotelicum [2] et Goclenium. Prior dicitur rectus, in quo praedicatum prioris propositionis sumitur ut subiectum propositionis subsequentis, et in conclusione finali subiectum primae propositionis cum praedicato ultimae coniungitur. Alter est Goclenius vel inversus; in eo subiectum prioris propositionis fit praedicatum posterioris, et conclusio finalis subiecto ultimae propositionis et praedicato primae con-

[1] Alias regulas accurate expositas invenies apud Drobisch, Neue Darstellung der Logik §§ 105—113, edit. 4. p. 120 sqq.

[2] Licet vox „sorites" (σωρείτης) ab Aristotele non sit adhibita, haec tamen argumentandi ratio ab eo est indicata (l. 1 anal. prior. c. 23, 41 a, 18, et c. 25, 42 b, 1). Sorites, qui est inversus, vocatur Goclenius a Rud. Goclenio, doctore Marburgensi, qui in libro: „Isagoge in Organum Aristotelis," Francofurti 1598, primus huius argumentationis mentionem fecit. Si morem Aristotelis attendamus, qui propositiones a praedicato incipere solebat, sorites inversus potius ab ipso nominandus est. Cfr. Ueberweg, System der Logik § 125.

stituitur. Praemissarum ordo in altero hoc sorite plane contrarius est atque in illo priore, ut ex his formulis manifestum est:

Sorites Aristotelicus	Sorites Goclenius
A = B	D = E
B = C	C = D
C = D	B = C
D = E	A = B
Ergo A = E.	Ergo A = E.

Uterque sorites hoc modo in syllogismos communes resolvi potest:

A = B	D = E
B = C	C = D
Ergo A = C.	Ergo C = E.
A = C	C = E
C = D	B = C
Ergo A = D.	Ergo B = E.
A = D	B = E
D = E	A = B
Ergo A = E.	Ergo A = E.

Ex hac utriusque soritis analysi patet:

1º Sorites Aristotelicus incipit á praemissa minore primi syllogismi, deinde sequuntur ex ordine solummodo praemissae maiores syllogismorum componentium et conclusio demum finalis. In sorite Goclenio autem primo loco ponitur praemissa maior primi syllogismi; postea adduntur ex ordine praemissae minores syllogismorum componentium; ultimo infertur conclusio.

2º In sorite recto, excepto praedicato ultimae propositionis, quod fit praedicatum conclusionis, praedicata singulorum membrorum munere termini medii funguntur; in sorite inverso autem subiecta singularum propositionum termini medii partes explent, excepto subiecto propositionis conclusionem praecedentis.

Sorites aut propositionibus categoricis aut propositionibus hypotheticis constare poterit. Ad rem illustrandam ponantur exempla:

Deus est ens a se.	*Quod est contra rectam rationem, est immorale.*
Ens a se est ens necessarium.	*Quod stultum est, est contra rectam rationem.*
Ens necessarium est ens infinitum.	*Superbia est stultum aliquod.*
Ens infinitum est unum.	*Incredulitas est superbia quaedam.*
Ergo Deus est unus.	*Ergo incredulitas est immoralis.*

Vel: *Si Deus est ens a se, est ens necessarium.*
Si est ens necessarium, est ens infinitum.
Si est ens infinitum, est unus.
Ergo si Deus est ens a se, est unus.

Si quid contra rectam rationem est, immorale est.
Si quid stultum est, contra rectam rationem est.
Si quid superbum est, stultum est.
Si quis incredulus est, superbus est.
Ergo si quis incredulus est, immoralis est.

Atque his dictis intelligitur, soritem Aristotelicum altero multo faciliorem esse et clariorem. Quum vero omnis longior argumentatio ex natura sua fallaciis erroribusque facilius aditum praebeat, prae reliquis syllogismi communis regulis in sorite maxime attendendum est, 1° ut singulae propositiones sint verae legitimeque inter se cohaereant; secus haberetur saltus in concludendo; 2° ut eadem vocis significatio eademque suppositio singulorum terminorum retineatur; 3° denique ut propositionum quantitas et qualitas ex regulis de syllogismorum figuris determinata observetur.

Scholion. Vix opus est adnotare, soritem, de quo modo egimus, omnino differre ab illa sophistica Chrysippi argumentatione, quae ab eo sorites Chrysippeus appellatur. Assumpto acervo 20 granorum v. g. tritici interrogabat sophista ille, num grana illa pauca essent an multa. Si interrogatus ea pauca esse respondit, alter ipsum et 21 et 22 et 23 et minutis successive additis tandem plane multa pauca dicere coegit. Si vero multa esse putavit, philosophus illum et 19 et 18 et 17 et minutis successive subtractis paucissima denique multa appellare adegit. Sed quum pauca et multa notiones sint neque ex natura rei, neque ex usu hominum omnino secundum fines determinatae, tota haec captiosa argumentatio in eo consistit, quod fallaciter pauca vel multa diverso semper sensu accipit [1].

Ut vero ab his vitiis caveatur, vel ut vitium, quod lateat, facilius detegatur, tenendum est, syllogismum hunc concatenatum facile in syllogismos plures, qui in eo constricti et velut truncati insunt, resolvi posse, ita quidem, ut tot fiant syllogismi simplices, quot sint in sorite praemissae una dempta.

363. Dilemma (vel polylemma) diximus esse syllogismum, cuius maior sit propositio complete disiunctiva atque talis quidem, ex cuius singulis partibus disiunctive acceptis aliquid contra adversarium concludatur, atque in conclusione tandem de toto inferatur, quod de membro quolibet conclusum fuerit (n. 166) [2]. Unde patet, dilemma a syllogismo, quem disiunctivum vocant, differre; in hoc enim uno membro negato alterum affirmatur et contra; in

---

[1] Cfr. Cic., De divinat. l. 2 c. 4; Horat., Epist. l. 2 ep. 1.
[2] Cfr. Ueberweg, System der Logik § 123.

dilemmate autem utrumque sumitur et ex utroque adversarius confunditur.

Dilemma quum nihil aliud sit quam complexio disiunctiva duorum enthymematum, si consequentiam habet, ad syllogismos duos revocari potest. Per dilemma argumentatur, qui dicit: *Si peccatum committis, aut in peccato perdurabis, aut a peccato converteris: si perdurabis, infelix eris; si non perdurabis, id detestaberis, quod nunc facis. Ergo peccatum committere non debes.* Cuius dilemmatis vis patet, si his syllogismis explicatur: *Si peccatum committendum esset, id fieret aut cum perduratione in peccato aut cum conversione a peccato. Atqui neutrum fieri debet.* Non primum: *Nam nemo debet ruere in perniciem. Atqui peccans et in peccato perdurans ruit in perniciem. Ergo peccatum committi non debet cum perduratione in peccato.* Non secundum: *Nam nemo debet facere, quod postea detestabitur. Atqui peccans, qui se a peccato conversurus est, facit, quod postea detestabitur. Ergo peccatum non est committendum ab eo, qui postea convertere se vult.* Et generatim si conclusio ab adversario intenta significatur littera A, conditiones vero, quibus positis verificari possit, litteris B et C, sine negotio hunc syllogismum hypotheticum compones:

Si A verum esset, esset aut in suppositione B aut in suppositione C. Atqui neque supposito B neque supposito C verum est A. Ergo A omnino verum non est.

SECTIO TERTIA.

De discursu inductivo.

§ 1.

De ipsa inductione.

364. **Inductionis notio et definitio.** Inductio vi vocis latissime accepta in Socraticam, topicam sive rhetoricam, strictam distinguitur. Quarum prima id proprium habet, ut formandae definitionis causa vel conceptus universalis, multorum sententias interrogando exquirat, quid homines ut plurimum de re aliqua iudicent. Eo ergo nititur inductio Socratica, quod nobis conceptus rerum manifestantur illis iudiciis, in quibus homines ut plurimum conveniunt. Topica inductio, quae a rhetoribus tractatur, est oratio, quae rebus indubiis captat assensionem eius, quocum disputatio est; quibus assensionibus fit, ut illi dubia quaedam res, propter similitudinem earum rerum, quibus assentit, probetur. Quae inductio

ea nititur ratione, quod in causis similibus similiter sentiendum sit[1]. Stricta autem inductio, de qua nunc dicimus, in eo sita est, ut ex iudiciis enumeratis, quae satis sint, singularibus vel particularibus ad propositionem universalem vel potius legem, quae hac propositione expressa sit, concludendum ascendatur, in qua illa continentur (n. 160); vel ut est apud Scotum: „Inductio est progressio ab aliquibus singularibus vel ab omnibus sufficienter enumeratis ad conclusionem universalem.“ [2]

Per hanc inductionem abstractioni adiunctam docuit Aristoteles comparari syllogismi principia; id quod multis locis tum praecipue capite ultimo l. 2 analyt. poster. praeclare exposuit. „Ex sensu, inquit, fit memoria; ex memoria eiusdem rei saepius repetita fit experientia . . . Ab experientia autem sive ex omni universali quiescente in anima, uno illo praeter singula multa, quod in omnibus illis rebus unum fit et idem, oritur principium artis et scientiae; quum res quidem producendas spectat (experientia), artis; quum autem rerum essentiam, scientiae . . . Manifestum ergo est, quod nobis prima (sive principia) per inductionem [3] cognoscere necessarium sit; nam et sensus hoc modo universale conficit.“ [4]

---

[1] Sunt quoque, qui omnes cognitiones ad inductionem revocent, quae non sint tractae ex deductione syllogistica. — Nec desunt, qui fingant quiddam, quo in cognitionem nostram modo, nescio quo mystico, res se ingerant ut certas, quas nullo modo cognoverimus. Inter alios Royer-Collard: „Le procédé par lequel nous transférons hors de nous, dans la perception, ce que nous n'avons pu observer qu'en nous mêmes je l'appelle induction pour le distinguer de la déduction. . . . L'induction distincte de l'expérience comme du raisonnement et libre du joug des hypothèses ne permet à la pensée aucune incertitude. Les jugements universels et absolus ont la force de la nécessité.“ (Fragments du Royer-Collard in appendice ad Reidii opera, edit. 2. tom. 4 p. 434.) Et A. Gratry: „Dans le procédé syllogistique la raison passe, par voie d'identité, d'une vérité à une seconde, que la première implique. Le syllogisme développe, mais n'ajoute pas. Le procédé inductif, au contraire, le procédé dialectique ajoute des clartés nouvelles aux anciennes; il passe d'une première vérité à une seconde, que ne contient pas la première et qui ne la toûche point; il passe de l'une à l'autre, non plus en marchant pas à pas, mais en franchissant un abîme avec ses ailes, selon le mot Platonicien.“ (Logique. Paris 1855. tom. 2 p. 195.) Nobis aliter videtur, rectene an secus, postea patebit.

[2] In l. 2 analyt. prior. q. 1 n. 8.

[3] Qua voce, ut nonnunquam alibi, et abstractionem et inductionem proprie dictam comprehendit.

[4] In quem locum observat S. Thomas: „Quia igitur universalium cognitionem accipimus ex singularibus, concludit (Aristoteles), manifestum esse, quod necesse est, prima universalia principia cognoscere per inductionem. Sic enim, scilicet per viam inductionis, sensus facit universale intus in anima, in quantum considerantur omnia singularia.“ In h. l. lect. 20.

365. **Inductionis indoles et natura.** Definivit Aristoteles inductionem, ut sit a singularibus ad universale progressio[1]. Et Stagirita quidem, quamquam semper sibi constans docuit, inductionem sicut syllogismum deductivum esse cognitionem mediatam, in qua sicut in syllogismo reperiantur tres termini, tamen eadem doctrinae constantia inductionem a syllogismo (deductivum hoc loco intelligimus) diversam esse contendit[2], inductione syllogismo suppeditari principia affirmans[3]. Syllogismi proprium est, ut probetur primum de tertio per medium; inductionis autem, ut probetur primum de medio per tertium. Exemplo sit syllogismus: *Quidquid vacat bile, est longaevum. Atqui omnis homo, equus, mulus vacat bile. Ergo omnis homo, equus, mulus est longaevus.*

Cui syllogismo suppeditatur, quod loco maioris ponitur principium per inductionem, quae ad hunc modum instituenda erat: *Omnis homo, equus, mulus est longaevus. Atqui omnis homo, equus, mulus vacat bile. Ergo quidquid vacat bile, est longaevum*[4].

Vel hoc modo:

A est res impenetrabilis, B est impenetrabilis, et C et D.
Atqui A, B, C, D sunt corpora.
Ergo omnia corpora sunt impenetrabilia.

---

[1] Ἐπαγωγὴ ἡ ἀπὸ τῶν καθ' ἕκαστον ἐπὶ τὰ καθόλου ἔφοδος. (Arist. l. 1 topic. c. 12, 105 a, 10; cfr. l. 1 top. c. 18, 108 b, 7; l. 1 anal. post.; l. 2 anal. prior. c. 23, 68 b, 28 sqq.; l. 8 top. c. 8, 156 a, 35 sqq.) Retinendum est, interdum Aristotelem sub voce inductionis sensum subiicere latiorem, ita ut comprehendat id omne, quod ad formanda universalia adducit. Hanc distinguit in abstractionem (ἀφαίρεσιν), quae conceptibus universalibus formandis inservit, et inductionem proprie dictam, per quam formantur propositiones universales propter cognitum nexum causalem. Cfr. l. 4 de part. animal. c. 2, 667 a, 37.

[2] Εἴπερ μανθάνομεν ἢ ἐπαγωγῇ ἢ ἀποδείξει. (L. 1 anal. post. c. 18, 81 a, 34.) Ὅλως ἀνάγκη συλλογιζόμενον ἢ ἐπάγοντα δεικνύναι ὁτιοῦν ἢ ὁντινοῦν. (L. 1 rhet. c. 2, 1356 b, 8.) Ἅπαντα γὰρ πιστεύομεν ἢ διὰ συλλογισμοῦ ἢ ἐκ ἐπαγωγῆς. (L. 2 anal. prior. c. 23, 68 b, 13.) Ἡ μὲν γὰρ δι' ἐπαγωγῆς, ἡ δὲ συλλογισμῷ. (L. 6 ethic. Nicom. c. 3, 1139 b, 28.) Cfr. l. 1 top. c. 8, 103 b, 3.

[3] Multis ex locis apparet, Aristotelem inductioni praeclarum illud munus tribuere, ut principia suppeditet, ex quibus syllogismus proficiscatur, ut igitur via sit, quae ad principia ducat: Ἡ μὲν δὴ ἐπαγωγὴ ἀρχῆς ἐστι καὶ τοῦ καθόλου, ὁ δὲ συλλογισμὸς ἐκ τῶν καθόλου. (L. 6 ethic. Nicom. c. 3, 1139 b, 29.) Ἡ ἐπὶ τὰς ἀρχὰς ὁδός. (L. 1 anal. post. c. 23.) Legatur his de rebus l. 1 anal. prior. c. 18, c. 23; l. 2 c. 23, 68 b, 15; l. 1 anal. post. c. 1, c. 18; l. 1 top. c. 12. Et inductionem niti sensu docet, quippe qui rerum sit singularium. Dicit enim: Ἐπαχθῆναι μὴ ἔχοντας αἴσθησιν ἀδύνατον· τῶν γὰρ καθ' ἕκαστον ἡ αἴσθησις. L. 1 analyt. post. c. 18, 81 b, 5.

[4] Arist. l. 2 anal. prior. c. 23.

Vel ita: *Paulus mendax est, Titus mendax, Caius mendax.*
Atqui Paulus, Titus, Caius sunt Cretenses.
Ergo omnes Cretenses mendaces sunt.

Vel sic: *Rectangulum tres angulos habens, hos habet aequales duobus rectis; etiam acutangulum; idipsum obtusangulum.*
Atqui eiusmodi rectangulum, acutangulum, obtusangulum sunt triangula.
Ergo omnia triangula habent tres angulos aequales duobus rectis.

Haec exempla inspicienti est manifestum, formulam inductionis esse posse hanc:

$$\begin{array}{c} \overbrace{\ldots\ldots}^{S} = P \\ \overbrace{\ldots\ldots}^{S} = M \\ \hline M = P \end{array}$$

In qua M terminum medium syllogismi significat, S extremum minus et P extremum maius, ita ut formula syllogismi sit:

$$\begin{array}{c} M = P \\ S = M \\ \hline S = P \end{array}$$

Id igitur, quod est medium in syllogismo, in inductione conclusionem ingreditur[1].

Quoniam igitur, quod in inductione est extremum minus sive subiectum conclusionis, idipsum in syllogismo vices medii gerit: quum conclusio inductionis in syllogismo praemissa maior efficitur, id quod est extremum minus, fieri debet medium in syllogismo.

366. Quibus ex dictis apparet, syllogismum[2] inter et inductionem aliquam esse oppositionem[3]. Sicut enim in syllogismo ab universalibus ad particularia descendimus, ita in inductione a singularibus vel particularibus in notitiam ducimur universalem. At-

---

[1] Ἐπαγωγὴ μὲν οὖν ἐστὶ καὶ ὁ ἐξ ἐπαγωγῆς συλλογισμὸς τὸ διὰ τοῦ ἑτέρου θάτερον ἄκρον τῷ μέσῳ συλλογίσασθαι, οἷον εἰ τῶν Α Γ μέσον τὸ Β, διὰ τοῦ Γ δεῖξαι τὸ Α τῷ Β ὑπάρχειν· οὕτω γὰρ ποιούμεθα τὰς ἐπαγωγάς. — — δεῖ δὲ νοεῖν τὸ Γ τὸ ἐξ ἀπάντων τῶν καθ' ἕκαστον συγκείμενον· ἡ γὰρ ἐπαγωγὴ διὰ πάντων. L. 2 analyt. prior. c. 23, 68 b, 15; 27.

[2] Nomine syllogismi hoc loco syllogismus proprie dictus intelligitur: „Syllogismo enim communiter dicto non opponitur inductio, ut monet Albertus Magnus, quinimmo sic sumendo syllogismum est verum dicere, quod inductio est syllogismus; sed syllogismo proprie dicto opponitur inductio." L. 2 anal. prior. tract. 7 c. 4.

[3] Τρόπον τινὰ ἀντίκειται ἡ ἐπαγωγὴ τῷ συλλογισμῷ· ὁ μὲν γὰρ διὰ τοῦ μέσου, τὸ ἄκρον τῷ τρίτῳ δείκνυσιν, ἡ δὲ διὰ τοῦ τρίτου, τὸ ἄκρον τῷ μέσῳ. Φύσει μὲν οὖν πρότερος καὶ γνωριμώτερος ὁ διὰ τοῦ μέσου συλλογισμός, ἡμῖν δ' ἐναργέστερος ὁ διὰ τῆς ἐπαγωγῆς. L. 2 analyt. prior. c. 23, 68 b, 32.

que haec *prior* est illius, quae inter inductionem et syllogismum intercedit, oppositionis ratio.

Sed de hac nunc aliquid dicendum videtur, antequam ad *alteram* transeamus. Non enim omnis mentis a re singulari vel particulari ad universale transitio est illa inductio, de qua hoc loco sermo est. Nam etiam in abstrahendi negotio mens ad positiones universales cognoscendas transit a notitia singulari proficiscens, velut quum quis *domum* videns *totum quiddam* esse, cuius cubiculum sit pars, ex hac singulari experientia ad affirmandum inducitur, totum quodlibet sua parte maius esse. Qua in re singularia requiruntur quidem, ut cognoscantur termini et mens ad intelligendum excitetur; sed ad ostendendam positionis veritatem necessaria non sunt, quum haec intellectis terminis per se menti inspicienti pateat. Unde vis argumentationis ex ipso transitu non hauritur. Fieri quoque potest, ut post finitam deductionem mens via inversa a conclusione magis particulari ad principia universalia ascendendo revertatur. Quae res quamvis aliquam cum inductione similitudinem habeat, revera tamen inductivis ratiociniis annumerari non potest. Etenim ad inductionem proprie dictam requiritur, ut de subiecto universali revera concludamus id, quod de inferioribus eiusdem singulatim affirmandum vel negandum esse experti cognovimus. Unde inductionem recte definiri diximus: *argumentationem, in qua ex enumeratione sufficienti singularium per experientiam cognitorum ad veritatem universalem recte concludatur.* Quo loco experientiam intelligimus cognitionem quamlibet sensu comparatam.

Altera ratio oppositionis illius, quam tetigimus, in eo cernitur, quod syllogismus terminum medium habet, qui per se ab utroque extremo (secundum extensionem) diversus est; inductio termino medio, qui hoc pacto ab extremis discriminetur, omnino caret.

Nemini quidem dubium esse potest, quin etiam in inductione terminus medius reperiatur [1]. Si igitur Aristoteles docet, inductionem esse „primae et immediatae propositionis“ et in iis versari, „quorum non sit medium“, et esse progressionem quandam sive methodum, qua mens a factis singularibus in sensum incurrentibus ad universalia quasi volare videatur, id tantum significare vult, inductionem fieri sine medio, quod quoad ambitum a subiecto conclusionis diversum sit. Si enim, ut in schemate supra usurpato maneamus, haec est inductio:

$$\overbrace{\ldots\ldots}^{S} = P$$
$$\overbrace{\ldots\ldots}^{S} = M$$
$$\overline{\quad M = P \quad}$$

elucet, subiectum conclusionis (M) idem prorsus esse atque medium ($\overbrace{\ldots\ldots}^{S}$). Qua de re scite Complutenses aiunt, in inductione non esse extrema inter se unita, quae prius cum diverso medio coniuncta sint, et hac in re causam esse, cur syllogismus et inductio sint argumentationes specie inter se differentes.

[1] Cfr. Arist. l. 2 anal. prior. c. 23.

„Quoniam, inquiunt, argumentationes differunt per dispositionem seu formam: sed syllogismus et inductio habent dispositiones et formas specie sive essentialiter distinctas: siquidem in syllogismo extremitates uniuntur cum medio in praemissis, ex vi cuius unionis uniuntur postea inter se in conclusione, ac proinde ibi proprie datur medium uniens extrema: inductio vero habet dispositionem longe diversam; nec enim in ea datur medium uniens extrema; sed loco plurium terminorum singularium, qui sunt in antecedenti, ponitur terminus communis aequivalens in consequenti: ergo sunt argumentationes specie distinctae.“ [1]

367. **Num inductio ad syllogismum revocanda sit.** Antiquiores scholae Peripateticae omnes Stagiritae vestigiis omnino inhaerentes inductionem ut alterum argumentandi genus a syllogismo deductivo separant, intelligentes inductionem sicut syllogismum tribus iudiciis constantem. „Est autem haec, ut dicit Albertus Magnus, una quaedam species ratiocinationis dialecticae inductio, illa vero syllogismus.“ [2]

Sed inter recentiores haud pauci sequentes Wolffium [3] inductionem nihil aliud esse arbitrati sunt quam syllogismum truncatum, in quo alterutra praemissa reticeatur, ut fieri assolet in enthymemate. Hi igitur nullum inter syllogismum et inductionem discrimen agnoscunt. Sed horum alii aliam ex praemissis omissam putant. Nostro tempore notissima est eorum doctrina, qui praemissam maiorem omissam esse censent. „Omnis inductio, inquit Wolff, est enthymema contentum sub hoc syllogismo categorico generali: Quidquid competit singulis inferioribus, id etiam competit omni superiori, sub quo continetur. Sed hoc competit vel non competit singulis inferioribus. Ergo hoc competit vel non competit omni superiori.“ [4] Quae res iis, qui praecepta logica ad normam rerum mathematicarum trahere volunt, multum placuit.

Sed Wolffianam hanc reductionem supervacaneam esse et omittendam, facile intelliget, qui distinctionis meminerit inter principium, quod syllogismi fundamentum et generalis lex sit, et illud, quod ut elementum ipsum syllogismum ingrediatur.

Inductionis legem et fundamentum recte quis dixerit principium illud: Quidquid convenit singulis inferioribus, convenit toti superiori; sicut fundamentum syllogismi in illo principio cernitur: Quidquid convenit toti superiori, convenit etiam singulis inferioribus. Ecquis syllogismos omnes ad unum generalem revocandam esse duxerit, cuius maiore fundamentum hoc exprimatur? Id

[1] Collegii Complut. artium cursus, tom. I. l. 4 c. 1.
[2] L. 1 top. tract. 3 c. 4. Cfr. S. Thom. in l. 1 anal. post. lect. 3.
[3] Log. part. 1 sect. 4 c. 6 §§ 448, 451.
[4] Log. part. 1 sect. 4 c. 6 § 450.

sane efficies, si cui vim argumentationis aperire velis et ostendere fundamentum generale, quod omni syllogismorum generi ante supponatur. At non licet fundamentum illud generale in ipsum trahere syllogismum pro elemento speciali. „Fundamentum, ut recte S. Thomas, quantum ad ordinem, praecedit alias partes; et quantum ad virtutem, totum aedificium sustentat.“ [1] Quum argumentatio in speciali materia versetur, etiam elementa (sicut igitur conclusio, ita etiam utraque praemissa) in eadem materia speciali versentur oportet. Unde non licet loco maioris praemissae ponere illud generale principium, in quo veritas formalis inductionis est posita, et quae est ratio, ex qua forma inductionis cuiuslibet vim habet.

Praeterea illa ad syllogismi formam translata inductio non est integra, sed ex ea parte manet manca, ex qua sananda putabatur.

Quod quo facilius intelligatur, exemplum ponatur huiusmodi:

Quidquid competit singulis inferioribus, id etiam superiori competit.
Atqui mendacitas competit Paulo Cretensi et Tito et Caio.
Ergo omnibus Cretensibus competit mendacitas.

Vel sic: *Quidquid competit singulis, id competit superiori universali.*
Atqui rectangulo, obtusangulo, acutangulo, quae sunt triangula, competit habere tres angulos duobus rectis aequales.
Ergo omne triangulum habet tres angulos aequales duobus rectis.

Mancam dicimus hanc argumentandi formam; quia in his syllogismis idipsum desideratur, propter quod inductiones in eos transformabantur. Illico enim apparet, in praemissis subiectum conclusionis: *Cretenses omnes;* vel: *omne triangulum* deesse, quum tamen natura syllogismi postulet, ut in alterutra praemissa subiectum conclusionis comparetur cum termino medio. Cuius rei ipse Aristoteles nos monitos esse voluit [2]. Et res manifesta est, tum solum per inductionem institutam ratione formae nos certos esse posse, *Cretenses omnes esse mendaces*, et *in triangulo omni esse angulos duobus rectis aequales*, quum *Paulum, Titum, Caium esse Cretenses* omnes sciverimus; et *rectangulum, obtusangulum, acutangulum esse triangula* omnia. Id autem ut sciamus, numeratio sola non suppeditat.

Alii iam ante Wolffii tempora inductionem syllogismum vel enthymema esse dixerunt, in quo non propositio maior, sed minor omissa esset [3].

Et id quidem hoc modo:

In rectangulo, acutangulo, obtusangulo tres anguli, qui insunt, duos rectos aequant.
(*Atqui rectangulum, acutangulum, obtusangulum sunt triangula* omnia).
Ergo in omni triangulo tres anguli duos rectos aequant.

Vel: *Paulus, Titus, Caius* mendaces sunt.
(*Atqui Paulus, Titus, Caius sunt Cretenses* omnes).
Ergo Cretenses omnes mendaces sunt.

---

[1] 3 dist. 23 q. 2 a. 5 ad 2. [2] L. 1 anal. post. c. 5.
[3] Videsis Sanseverino, Log. part. I. tom. II. p. 304.

Atque id quidem satis luculente. Non tamen his verbis syllogismus proprie dictus exprimitur. Syllogismum in hac re habebis: *Omnes Cretenses sunt mendaces. Atqui Paulus, Titus, Caius sunt Cretenses. Ergo Paulus, Titus, Caius sunt mendaces.*

Vides igitur, in syllogismo demonstrari, notionem summam sive praedicatum (extremum maius) notioni infimae sive subiecto inesse, atque id demonstrari interiecto medio; in inductione autem ostendi, notionem summam inesse notioni mediae, idque demonstrari per notionem infimam. Quod ALBERTUS hoc modo significavit: „Inductio et syllogismus, qui est ex inductione, est alterum extremum de medio per alterum sive tertiam extremitatem Syllogizare. Dico autem tertium, quia tria sunt: primum et medium et tertium: et syllogizatur in syllogismo inductivo primum de medio per tertium.“ [1]

At, inquies, cur inductio haberi non possit syllogismus figurae tertiae? [2] Nam sicut hic, ita ibi terminus medius in praemissa utraque subiectum est. Respondeo, id ideo fieri non posse, quia in syllogismis figurae tertiae conclusio omnis particularis est, in inductione autem semper universalis [3].

Dices fortasse: Inductio, cuius exemplum posuit ARISTOTELES hoc modo, est syllogismus figurae primae: *Homo, equus, mulus est longaevus. Atqui quidquid vacat bile, est homo, equus, mulus. Ergo quidquid vacat bile, est longaevum.* Sed revocandum est in memoriam, reductionem, de qua quaeritur, ratione formae fieri, non autem ratione materiae. Haec autem, quae nunc facta est, secundum materiam tantum est facta.

„Dicendum, ut ad rem accommodate ALBERTUS MAGNUS, quod inductio in syllogismum reducitur materialiter et non formaliter, ita quod forma inductionis reducatur in formam syllogismi: sed quia materia nunc existens sub forma inductionis reducitur ad acceptionem formae syllogisticae . . . ideo, quum inductio reducitur in ipsum, non salvatur in eo natura syllogismi proprie dicti secundum modum, hoc est, secundum quod est ostendere in ipso primum de medio per tertium, quod proprium est inductionis.“ [4]

Quibus ex rebus iudicari potest, posse quidem aliquam fieri inductionis ad syllogismum reductionem, quatenus materia in forma inductionis contenta transfundatur in formam syllogisticam; attamen formam inductionis a forma syllogismi omnino diversam esse.

368. **Inductionis vis et certitudo.** Sequitur inquisitio, quae est in hac re gravissima quidem, sed paulo abstrusior, in qua quaeritur, quae certitudo per inductionem in intellectu humano effici possit.

Quae res si de inductione agitur, in qua omnia et singula enumerari possunt, difficultatem non habet. Si e. g. ostensum est, *in unoquoque sensu occasionem errandi sitam esse posse,* syllogismus inductivus erit: *Sensus „a“ errandi occasio est; etiam sensus*

[1] L. 2 prior. analyt. tract. 7 c. 4.

[2] Cfr. ARIST. l. 2 anal. prior. c. 23; DROBISCH § 147.

[3] Cfr. TRENDELENBURG, Log. Untersuch. II. p. 370 sqq.

[4] L. 2 anal. prior. tract. 7 c. 4.

b, c, d, e. Atqui hi sunt sensus externi omnes. Ergo sensus omnes externi occasio errandi sunt. Sed iam de inductione universe accepta dicendum est.

Aristoteles quum videret, singularia sive particularia quodammodo universalis partes esse, curandum quidem esse docuit, ut hae partes ad efficiendum totum acciperentur omnes, utque ita inductio eam vim haberet, quae ex enumeratis partibus omnibus eveniret [1]. Neque tamen Stagirita id postulavit, ut inductio fieret per explicitam omnium omnino partium singularium enumerationem — id enim in rebus plurimis fieri non posse probe intellexit. Sed contentus erat, ut acciperentur satis ea, quae apparerent (ληφθέντων γάρ ἱκανῶς τῶν φαινομένων) [2], sive sensu cognoscerentur. Et ubi primum certi esse possumus, id, quod in aliquibus observatis rebus singularibus insit, etiam ceteris rebus eiusdem speciei non observatis convenire, iam res acceptae sunt satis (ἱκανῶς), et enumerationem factam pro plena et integra accipere nobis licet, etiamsi explicite integra et plena non est, sed actu incompleta esse videtur. Ad hunc modum Averrhoes, quum Stagiritae sententiam explicaret, advertit, iudicio Aristotelis enumerationem esse debere integram „secundum opinionem", i. e. virtute, non „secundum veritatem", i. e. actu [3]. Atque id etiam S. Thomas voluit, quum diceret: „Ex multis experimentis universale colligimus, quod est principium artis et scientiae." [4] „Oportet supponere, quod accepta sint omnia, quae continentur sub aliquo communi; alioquin inducens non poterit ex singularibus acceptis concludere universale . . . Patet, quod inducens facta inductione, quod *Socrates* currat et *Plato* et *Cicero*, non potest ex necessitate concludere, quod omnis homo currat, nisi detur sibi a respondente, quod nihil aliud contineatur sub homine, quam ista, quae inducta sunt." [5]

Nemo autem, qui scripta Aristotelis vel primoribus labris tetigerit, ignorat, quin Stagirita et exemplo suo locupleti et doctrina saepius iterata eam proposuerit inductionem, quae postea a Sexto Empirico aliisque Scepticis ut incompleta vituperata est et explosa. Et hanc inductionem Aristotelicam, in qua enumeratio singularium actu incompleta est, Scholastici locis omnibus in mente tenuerunt. Ita Scotus advertit, „multa principia naturalia, ut: *omnis ignis est calidus*, facile esse evidentia per inductionem, et non in omnibus singularibus" [6].

Sed his observatis satis apparet, inductionem Aristotelis, si ea tantum spectentur, quae actu et explicite enumerentur, per se non gignere certitudinem, sed probabilitatem tantum. „Ille, qui inducit per singularia ad universale, nec demonstrat neque syllogizat ex necessitate", ut ex mente Aristotelis docet Aquinas [7]; et addit, quum quid syllogistice probetur, non esse necessarium ulterius, ut quis interroget de conclusione, sed necesse esse, ut conclusio sit vera, praemissis existentibus veris; id autem neque in divisione accidere, neque in inductione; utrobique enim oportere supponere, quod accepta sint omnia.

---

[1] Ἡ γὰρ ἐπαγωγὴ διὰ πάντων. L. 2 anal. prior. c. 23.
[2] L. 1 anal. prior. c. 30.
[3] Opp. Venet. 1574 ap. Iuntas tom. 1 fol. 22 et 23 et 161.
[4] 2 dist. 23 q. 2 a. 2 ad 2.
[5] In l. 2 anal. post. lect. 4.
[6] In l. 2 anal. prior. q. 8 n. 5.
[7] In l. 2 anal. post. lect. 4.

Videndum igitur est, possitne fieri, ut inductio, quae secundum enumerationem explicitam incompleta est, vim accipiat eius, quae completa est, et ut ex aliquibus tantum explicite enumeratis cum certitudine universe concludatur. Quae res magna est et iis praecipue, qui statuendis legibus naturalibus navant operam, summopere necessaria. Haec enim inductio, quam incompletam dicunt, in disciplinis naturalibus ut plurimum adhibetur, et una fere via est, qua nobis ad cognoscendas latius rerum naturas patet aditus[1]. Ita enim discimus, *plumbum omne aqua gravius esse,* et *corpora omnia inter se attrahere* et *esse impenetrabilia;* quae nobis sunt certissima, quamvis fieri non possit, ut de omnibus et singulis individuis habeatur experientia. Constare autem cuique debet, inductionem de aliquibus singularibus explicite positam ad res eiusdem speciei omnes trahi posse, quum id, quod per experientiam de compluribus singularibus est cognitum, non ex accidentariis rerum affectionibus vel conditionibus adventiciis, sed ex ipsa rerum natura evenire intelligatur. Quo posito inductionis vis eadem est atque huius syllogismi: *Attractio vel gravitas ex aliqua conditione accidentaria non procedit, sed in ipsa corporum natura fundatur. Atqui id, quod a rerum natura procedit, individuis omnibus, in quibus haec natura inest, convenit. Ergo attractio vel gravitas omnium corporum est propria.*

Qui autem certo scire possumus, effectum aliquem non aliunde, sed ex ipsa rerum natura evenire? Respondet ad hoc principium, quod hoc modo enuntiari potest: Quae res in naturalibus rebus saepissime est observata, et observata quidem semper est in iis individuis, quae experientiae humanae obvia erant, ea certe ex ipsa rerum natura oritur.

Neque haec vis inductionis actu incompletae a Scholasticis est ignorata. Unum audiamus Scotum: „De cognitis per experientiam dico, quod licet experientia non habeatur de omnibus singularibus, sed de pluribus, nec quod semper, sed quod pluries; tamen expertus infallibiliter novit, quod ita est, et quod semper et in omnibus; et hoc per istam propositionem quiescentem in anima: Quidquid evenit ut in pluribus ab aliqua causa non libera, est effectus naturalis illius causae . . . Quae propositio nota est intellectui, licet accepisset terminos eius a sensu errante, quia causa non libera non potest producere ut in pluribus effectum, ad cuius oppositum ordinatur, vel ad quem ex forma sua non ordinatur . . . Quod autem iste ef-

---

[1] Sed turpiter errant, qui propterea syllogismos ex disciplinis naturalibus exulare iubent. Qui ab ipsis illis disciplinis, quae „exactae“ vocantur, doceri possunt, syllogismos deductivos esse omnis scientiae elementum essentiale.

fectus evenit a tali causa producente ut in pluribus, hoc acceptum est per experientiam; quia inveniendo nunc talem naturam cum tali accidente, nunc cum tali, inventum est, quod, quantumcunque esset diversitas accidentium talium, semper istam naturam sequebatur talis effectus." [1]

Atque ita efficitur, ut enumeratis actu aliquibus, quae, quantum satis (ἱκανῶς) sit, per se sive in propria forma inducantur, addi possit clausula communis, in qua implicite contineantur omnia. „Quamvis, inquit Albertus Magnus, singularia sint infinitae multitudinis, ut dicit Plato, tamen ad inductionem perfectam oportet in summa inducere, non quod singillatim enumerentur, sed ut brevius collecta insinuentur dicendo: et sic de singulis, vel: et sic de aliis." [2]

Neque id hoc loco praetermittendum esse videtur, voce „omne" in hac inductione non conceptum solum collectivum significari, sed vere universalem. Cum inductione enim coniuncta est abstractio proprie dicta, et ita coniuncta est, ut non recondita quadam ratione cernatur, sed sit in promptu; quae quamvis cum inductione confusa sit, ab ea tamen non solum cogitatione, sed etiam re distinguitur.

369. **Inductionis principium** ab aliis aliis verbis concipitur. Alii dicunt: In rebus naturalibus proprietas semper observata in individuis alicuius speciei ceteris omnibus individuis eiusdem speciei convenit. Alii: Eadem causa naturalis in iisdem conditionibus posita eundem effectum producit. Newton: Effectuum generalium eiusdem generis eaedem sunt causae. Quod principium verbis S. Thomae enuntiari potest: Natura uno et eodem modo operatur, nisi impediatur[3], vel: Natura determinata est ad unum[4]. Alii dicunt: Reperiuntur a nobis in mundo leges perpetuae et universales. I. St. Mill: Naturae cursus uniformis est[5].

Sed utcunque principium effertur, semper ab illo principio primitivo deducitur, quo nihil fieri sine ratione sive causa enuntiatur. Ex quo principio recte infertur etiam rationem sive causam esse, cur res aliqua universe et constanter in observatis individuis alicuius speciei insit. Nulla autem ratio, quae praeter naturam horum individuorum indicatur, illi facto explicando satis

---

[1] In l. 1 dist. 3 q. 4 n. 9.
[2] L. 2 anal. prior. tract. 7 c. 4. Cfr. l. 1 topic. tract. 3 c. 4.
[3] Summ. theol. I. q. 19 a. 4. [4] Summ. theol. I. q. 41 a. 2.
[5] System of Logic, Book 3 c. 3.

esse potest. Ubicunque igitur individuum est eiusdem naturae, id etiam eadem proprietate praeditum sit, necesse est. Nam, ut est apud Aquinatem, „oportet ut, quae ad aliquam naturam pertinent, conveniant omnibus suppositis in natura illius“ [1].

Quodsi quis inductionem incompletam in syllogisticam formam redigere velit, is inductionem hanc per trium syllogismorum gradus a singularibus ad stabiliendam notitiam universalem quasi procedere videbit. Quod quo pacto fiat, sic logici solent explicare:

a. Effectus, qui, mutatis utcunque adiunctis, est constans et uniformis, a causa efficitur constanti et uniformi. Atqui effectus, quem observavi in his individuis, quorum experientiam habui, mutatis utcumque adiunctis, constans fuit et uniformis. Ergo effectus ille est a causa constanti et uniformi.

b. Quod multis inest constanter et uniformiter, id ad eorum essentiam pertinet. Atqui causà constans et uniformis illius effectus debet esse aliquid, quod individuis insit constanter et uniformiter. Ergo causa constans et uniformis illius effectus ad individuorum essentiam pertinet.

c. Quod ab essentia quorumdam individuorum procedit, commune est omnibus omnino individuis, quae eandem essentiam habent. Atqui effectus in individuis illis observatus ab illorum essentia procedit. Ergo communis est omnibus omnino individuis, quae eandem naturam habent.

370. **Inductio alia moralis est, alia physica.** M o r a l i s est, quae ex multis factis id concludit, quod inter homines contingere solet. Quum autem apud philosophos de inductione agitur, fere semper ea intelligitur, quae p h y s i c a est. Ex factis enim particularibus, quae in natura contingere solent, leges naturae universales concludit sive modos illos constantes, secundum quos causae omnes naturales agere necesse est; atque his legibus statutis, quae sit rerum natura ipsa, definitur et constituitur. Quod inductionis genus apud eos, qui res naturales perscrutantur, usum habet frequentissimum. Praeter moralem autem et physicam vix ulla est, quae m e t a p h y s i c a appellari possit. Veritates enim metaphysicae non tam inductione, quam intellectu per abstractionem vel etiam ratiocinationem cognoscuntur.

Inductionem physicam S. THOMAS prae oculis habuit, quum ARISTOTELEM secutus scriberet, disserens de animalibus, supra memoriam in hominibus proximum esse „experimentum“, quod fit ex collatione plurium singularium in memoria receptorum. „Ex multis memoriis unius rei accipit homo experimentum de aliquo, quo experimento potens est ad facile et recte operandum. Et ideo, quia potentiam recte et faciliter operandi praebet experimentum, videtur fere esse simile arti et scientiae . . . Ex experientia in hominibus fit scientia et ars . . . Sicut ex multis memoriis fit una experimentalis scientia, ita ex multis experimentis apprehensis fit universalis acceptio de omnibus similibus. Unde

[1] Quaest. disput. q. 9 de pot. a. 9 ad 2.

plus habet hoc ars quam experimentum, quia experimentum tantum circa singularia versatur, ars autem circa universalia." [1] Et alio loco: „Ex memoria multoties facta circa eandem rem in diversis tamen singularibus fit experimentum; quia experimentum nihil aliud videtur, quam accipere aliquid ex multis in memoria retentis. Sed tamen experimentum indiget aliqua ratiocinatione circa particularia, per quam confertur unum ad aliud, quod est proprium rationis. Puta, quum talis recordatur, quod talis herba multoties sanavit multos a febre, dicitur esse experimentum, quod talis sit sanativa febris. Ratio autem non sistit in experimento particularium, sed ex multis particularibus, in quibus expertus est, accipit unum commune, quod firmatur in anima; et considerat illud absque consideratione alicuius singularium, et hoc accipit ut principium artis et scientiae. Puta: diu medicus consideravit, hanc herbam sanasse Socratem febricitantem et Platonem et multos alios singulares homines; quum autem sua consideratio ad hoc ascendit, quod talis species herbae sanat febricitantem simpliciter, hoc accipitur ut quaedam regula artis medicinae." [2] Secundum hanc igitur doctrinam ex experimentis multis comparatur scientia, quae est de universalibus. Atque id in genere a Scholasticis praecipitur, primo ut inferiora universale vel actu vel virtute adaequent, quod in conclusione ponitur; deinde ut certum sit satis, inferioribus id praedicatum convenire, quod in subiecto universali concluditur. Ex dictis id quoque manifesto iterum apparet, secundum Aquinatis et generatim Scholasticorum mentem inductionem ad id adhibendam esse, ut cognoscatur, conveniatne praedicatum subiecto ex essentia sive ex legis necessitate, an per accidens tantum.

371. **Inductionis divisiones reliquae.** Inductio alia est perfecta sive demonstrativa, alia imperfecta sive dialectica. Prior illa est, quae si non actu, virtute tamen completa est; cuius conclusio est certa. Altera est illa, ex qua non certo, sed probabiliter tantum constat id, quod in aliquibus singularibus observatum est, reperiri etiam in reliquis sub clausula communi inductis. Qua de re Scotus: „Ad habendum opinionem (n. 130) de conclusione sufficit inducere de aliquibus singularibus; sed ad inferendum de necessitate oportet inducere de omnibus." [3]

Praeterea post Wolffium distinguere solent inductionem completam et incompletam ita, ut incompletam spernant tamquam mancum et infirmum argumentationis genus. Qua de re vidimus, quid sentiendum sit. Intelligenda igitur sic est haec divisio, ut completa sit inductio, in qua omnia singularia per se actu sive in propria forma inducantur ut per experientiam vel experimentum probata. Ita anatomicus, qui ossa omnia et singula animalis individui inspicere et cognoscere potest, per inductionem completam etiam universe naturam ossium omnium illius individui cognoscit. Incompleta est, in qua aliquibus in propria forma enumeratis,

---

[1] In l. 1 metaph. lect. 1. [2] In l. 2 anal. post. lect. 20. [3] Loc. cit.

cetera sub clausula communi adiciuntur. Ita anatomicus, qui ossa individuorum omnium alicuius speciei cognoscere non potest, id quod de compluribus individuis est observatum, de individuis omnibus enuntiat. Ex quo efficitur, inductionem incompletam esse posse aut perfectam sive demonstrativam, aut imperfectam sive probabilem. Perfecta est, in qua, etsi non ad unum omnia individua observata sint, tamen tot individua diligenti observatione sint cognita, quae satis sint, ut ad essentiam illorum individuorum tuto concludatur, ita ut principium universale formari possit, ex quo cum vera certitudine etiam ad ea individua concludatur, quae experientiae et observationi subiecta non fuerint. Propter hanc inductionem incompletam quidem, sed perfectam affirmant physici, corpora omnia ex natura sua esse impenetrabilia, inter se attrahere. Inductio incompleta erit imperfecta, in qua non tot individua observari possint, ut ad essentiam certo concludatur; quae in similitudine sistit et ex simili simile elicit. Haec per se solam probabilitatem parit, et analogia vocatur, de qua post separatim dicere oportebit.

372. **Falsae de inductione sententiae.** His ex dictis sequitur: 1° Errare eos, qui dicunt, inductionem incompletam ab Aristotele ceterisque ante Baconem philosophis penitus ignoratam esse; vel qui autumant, hanc inductionem „ab Aristotele parum adhibitam, a cunctis eius scholis neglectam et a philosophis mediae aetatis oblivioni traditam esse“ [1].

2° Falli similiter eos, qui a Peripateticis vim inductionis minus recte intellectam esse contendunt. Quamquam apud veteres inductionis usum minus fuisse frequentem fatendum est, quam apud nostrae aetatis homines videmus [2].

Nam Aristotelici quum maximum pro scientia momentum in deductione positum esse viderent, recte omnino deductionis doctrinam summo studio excoluerunt; atque ita, quae sunt humani ingenii angustiae, factum est, ut per longissima temporis intervalla inductio non ea, qua par est, diligentia sit explorata et descripta. Neque tamen a Peripateticis vis et necessitas inductionis unquam negata est. Sed quamdiu scientia ad id potissimum adhibebatur, ut ascenderetur ex hoc mundo visibili ad summa illa et intelligibilia, in quibus finis ultimus hominis anima spirituali praediti situs est, vix sentiebatur ulla accuratioris et amplioris inductionis necessitas. Postquam autem scientia potissimum ad bona vitae animalis adhiberi coepta est, theoriam inductionis summo studio et praeclaro eventu excoluerunt.

---

[1] Ita Remusat, Bacon, sa vie etc. l. 3 c. 3 et c. 4 et alii permulti.

[2] Ex quo apparet, aliquid veritatis tetigisse Ueberweg, quum diceret: „Die volle Bedeutung des inductiven Verfahrens in den Wissenschaften zu erkennen, blieb der neueren Zeit vorbehalten.“ System der Logik § 127.

Hoc loco illud nolumus tacere, inter primos, qui diligentem inductionis usum et ordinem postulaverint, esse Baconem Verulamium (n. 55.) Qui: „Inductio, inquit, quae procedit per enumerationem simplicem, res puerilis est et precario concludit et periculo exponitur ab instantia contradictoria et plerumque secundum pauciora, quam par est, et ex iis tantummodo, quae praesto sunt, pronuntiat. At inductio, quae ad inventionem et demonstrationem scientiarum et artium erit utilis, naturam separare debet per reiectiones et exclusiones debitas ac deinde post negativas tot, quot sufficiunt, super affirmativas concludere, quod adhuc factum non est nec tentatum certe, nisi tantummodo (?) a Platone, qui ad excutiendas definitiones et ideas hac certe forma inductionis aliquatenus utitur.“ [1]

3° Errasse speciatim Baconem, quum diceret, Aristotelicos in inductione solam enumerationem partium considerasse et ignorasse penitus principium, ex quo veritas inductionis penderet. Scholastici quum vim principii inductionis deducerent ex essentiis rerum, nexibusque, quibus res inter se continentur, ipsum principium pro certo et explorato habuerunt. Lapsus est quoque, quum diceret, veram utilemque inductionem prorsus aliam esse, quam quae ab Aristotele eiusque discipulis usque ad sua tempora tradita erat. Universa autem Baconis de inductione doctrina non ad enucleandam vim et formam logicam inductionis spectat, sed potius ad rectum eius et utilem usum sive methodum. Neque ignota de ea re tradidit, sed potius collegit exposuitque, quae ab aliis ante iam adhibita et praecepta erant.

4° Atque illud etiam ex supra disputatis sequitur, in errore versatum esse Th. Reid, quum principium inductionis ex caeco nescio quo instinctu peteret, qui instinctus, quamvis esset subiectivum quiddam, tamen satis esset, ut conclusioni inductionis vim realem et obiectivam largiretur (n. 68).

5° Vix propius ad verum accessit Theodorus Jouffroy (n. 78), qui docuit, inductionem vim suam haurire ex speciali quadam actione cognoscente, quae in eo consisteret, quod mens immediate ex observato uno facto notionem universalem videret. Hanc actionem proprio nomine carere; tamen inductionis nomine insigniri posse eo, quod per illam ex unius cognitione cognitio alterius induceretur.

6° Neque audiendi sunt Ontologistae, qui inductionem et abstractionem intellectualem confundunt, et vim inductionis, sicut generatim cognitionis omnis ab immediato Dei intuitu repetunt. Inter quos Gratry docuit, mentem humanam divino quodam sensu raptam a cognitione particularium ad universale assurgere; intellectum a finito per destructionem limitum ad infinitum progredi; inductionem esse processum quendam infinitesimalem et cum ea methodo convenire, quam Plato dialecticam vocasset. Divino illo sensu effici, ut mens humana unum sub diverso, necessarium sub contingenti, infinitum sub finito quasi intueretur (n. 79).

---

[1] Cfr. Apelt, Die Theorie der Induction, 1854; Liebig, Induction und Deduction. Rede 1865.

Ab hac sententia non multum differt doctrina eorum, qui censent, nos ideo solum ab aliquibus particularibus ad universale progredi, quod sensum habeamus sive propensionem naturalem, qua aliqua experti facta particularia ad legem universalem admittendam vel potius divinandam cogamur [1].

7° Ex dictis, illud etiam consequens est, ut non verbis Ontologistae a Peripateticis, sed universa re et tota sententia dissideant, quum inductionem esse cognitionem omnino immediatam dicant. Nam etsi in inductione medium syllogisticum, i. e. medium ab extremis diversum, deest, nihilo tamen setius intellectus in inductione a propositione, facta particularia enumerante, ad conclusionem, quae legem universalem statuit, non ipso actu progreditur; sed interveniente propositione, qua significetur, enumerationem illam ad complectenda individua omnia satis esse.

8° Non recte dicunt illi, qui omnem demonstrationem a posteriori sive ab effectu ad causam concludentem vocari inductionem volunt; neque satis accurate alii inductionem nihil aliud esse affirmant, nisi experientiam subministratam a sensibus, cuius occasione intellectus ideas et principia analytica efformet.

9° Denique dubium esse non potest, quin vituperandi sint illi, qui contradicentes Aristoteli inductionem in disciplinis philosophicis parvi aestimant. Inter quos praecipui sunt ex Cartesianis (ut auctor „artis cogitandi“) et Leibnizianis aliqui, qui in libris logicis vix inductionis mentionem faciunt.

373. Observatio et experimentum ad inductionem recte instituendam necessaria. Inductionem omnem ab experientia proficisci diximus. Est autem in nobis experientia, „dum singularia per sensum cognoscimus“ [2]. Itaque maximopere in inductionis negotio necessarium est, ut recta et certa de rebus acquiratur experientia, a cuius quippe veritate veritas ipsius inductionis pendeat. Cuius rei instrumenta quaedam paucis hoc loco tangenda sunt.

Experientia externa est, si facta externa respicit; interna, quae facta interna manifestat. Quum de eventibus externis agitur, maxime iuvamur observatione et experimento. Quum de rebus internis experientia habenda est, illa potissimum observatio adhibebitur, quae speciali meditationis nomine insignitur, quae nihil aliud est, quam cogitationum nostrarum accurata inspectio.

Experimenti vox apud veteres latius patet. Est enim „experimentum, ut dicit Aquinas, ex plurium singularium collatione in memoria receptorum“, et addit: „Ex memoriis in hominibus experimentum causatur, quia ex multis memoriis unius rei accipit homo experimentum de aliquo.“ [3] Id igitur, quod vocarunt experimentum, ex sensibus efficitur et ex memoria, siquidem singularia sensibus apprehenduntur, et memoria retinentur. Posterioris autem temporis logici inter observationem et experimentum distinguunt.

---

[1] Ita inter alios Waddington.

[2] S. Thom., Summ. theol. I. q. 95 a. 5 ad 2.

[3] In l. 1 metaph. lect. 1.

Observatio in eventibus, ut quasi sponte occurrunt, perspiciendis colligendisque se continet, neque ad hunc finem naturalem rerum conditionem immutat, nisi omnino extrinsecus. Experimentum autem certas quasdam effectuum naturalium producendorum causas ponit, substantias substantiis subdit, easque inter se miscet, atque ita arte quadam et industria effectus novos et insolitos progignere conatur. Id „tentare naturam vocant". „Tentare, ut dicit Aquinas, est proprie experimentum sumere de aliquo. Experimentum autem sumitur de aliquo, ut sciatur aliquid circa ipsum. Et ideo proximus finis cuiuslibet tentantis est scientia." [1]

Aristoteles in libris, qui exstant, de arte observandi et experiendi nihil ex industria dixit. Verum in omnibus suis libris, ut recte observat Sanseverino [2], iis praesertim, quibus scientiam rerum naturalium complexus est, observationes assidue a se factas exposuit, et si quid a suis antecessoribus vel non observatum vel observatum perperam fuit, illud diligenter adnotavit [3]. Neque solum observationes adhibuit, sed adhibendas esse praecepit, eo quod ratio sine observationum praesidio naturas rerum assequi non posset [4]. Atque in historia animalium, in physiognomicis, in iis, quae de respiratione, de iuventute, de aliis rebus scripsit, multi sunt loci, qui ostendant, ab Aristotele omnes illas leges observatas esse, quas Baco de Verulamio ad artem experiendi refert et, qui ignoraverunt Baconem, sancte tenuerunt Galilei, Kopernicus, Tycho, Kepler, Boyle, Hooke, Borelli, Kircher.

§ 2.

De analogia.

374. Analogia quid hoc loco intelligatur. Analogia, cuius notio generalis designat aliquam inter duas vel plures res similitudinem minus perfectam, et in ipsis rebus spectari potest et in mente cognoscente (n. 226). Analogia, quae inest in rebus, est relatio cuiusdam inter res similitudinis, vel est nexus rerum omnium, quo sub quadam unitate similitudinis totius universi partes suis relationibus coniunguntur et originem ab una causa prima produnt atque ad unum finem ultimum conspirant. Analogia, quae inest in mente, est medium acquirendi cognitiones novas ex considerata rerum similitudine; et de hac quidem pauca hoc loco dicenda sunt (n. 160).

Haec analogia vel potius argumentatio ex analogia intelligitur ea, qua concludimus affirmantes vel negantes de re aliqua id, quod de aliis rebus similibus aut dissimilibus affirmavimus vel negavimus.

---

[1] S. Thom., Summ. theol. I. q. 114 a. 2. [2] Log. Vol. 4 p. 176.
[3] De respiratione c. 1—7, 470 a, 19 sqq.
[4] De animalium motione c. 1, 698 a, 12.

Sicut igitur syllogismus (deductivus) ex universalibus ad particularia concludit, et inductio ex particularibus ad universalia, ita analogia ex particularibus aliquibus concludit ad particularia alia, quae sub eodem universali contenta esse propter similitudinem putantur. Et quia ex aliquorum particularium consideratione proficiscitur, recte putatur cum inductione magnam habere affinitatem. Sicut inductio aliquid habet similitudinis cum figura syllogismi tertia, ita analogia accedit ad figuram secundam[1]. Hoc argumentandi genus non solum poësi, eloquentiae[2] ceterisque artibus, quae imitatione continentur, normas, subsidia, fundamenta praebet; sed illud etiam saepissime in disciplinis naturalibus adhibetur, eique notitias paene innumerabiles in omni rerum naturalium genere debemus[3].

Scholion 1. Maxima est in omni vitae consuetudine analogiae necessitas, sine qua multis in rebus cum ea, qua par est, probabilitate agere non possemus et quae sola saepe per argumenta probabilia via ad certitudinem est. Quoniam vero creaturis pro omni vitae necessitate sufficienter a natura consultum est, inest non solum in vita animali illa, quae vocatur „exspectatio casuum similium", sed etiam in vita rationali hominis naturalis quaedam propensio ad formanda iudicia analogica.

Scholion 2. Ad analogiam referri diximus (n. 160) „similitudinem" et „exemplum" tamquam analogiae species. Huc quoque revocatur proportionalitas, quae est identitas rationum, quam duo habent ad alia duo propter aliquam similitudinem[4].

---

[1] Trendelenburg, Log. Untersuch. II. p. 372.

[2] Dicit Aristoteles, rationes oratorias persuadere „vel exemplis, quae sint inductiones, vel enthymematis, quae sint syllogismi". (L. 1 anal. post. c. 1, 71 a, 10.) In quem locum advertit Aquinas, id fieri „propter incertitudinem materiae, circa quam versetur, scilicet circa actus singulares hominum, in quibus universales propositiones non possint vere assumi". Et pergit: „Et ideo loco syllogismi, in quo necesse est esse aliquam universalem, utitur (rhetoricus) aliquo enthymemate, in quo non necesse est esse aliquam universalem. Et similiter loco inductionis, in quo concluditur universale, utitur aliquo exemplo, in quo proceditur a singulari non ad universale, sed ad singulare. Unde patet, quod sicut enthymema est quidam syllogismus detruncatus, ita exemplum est quaedam inductio imperfecta." In lib. 1 anal. post. lect. 1.

[3] Inter alios cfr. H. Ritter, System der Logik und Metaph. Göttingen 1856, tom. 2 p. 376 sqq.; Trendelenburg, Log. Untersuch. II. p. 373 et 414 sqq.

[4] Ipse Aristoteles voci ἀναλογίας nunquam eam vim subiicit, de qua hoc loco; sed fere semper eo nomine proportionem significat, de qua in ma-

375. Analogiae principia. Haec, quae ex analogia petitur, ratio concludendi, ex principio proficiscitur, de similibus similia, de dissimilibus dissimilia affirmanda esse. Velut quum quis, multos effectus *fulminis* similes esse videns effectibus electricis, naturam fulminis eandem esse concludit atque naturam electrici; vel quum a similitudine motuum „irregularium" in *sideribus* et motuum spontaneorum in animalibus sidera animata esse concluderent.

Sicut igitur omnis rationalis mentis humanae operatio, ita etiam haec ex analogia petita argumentatio supponit, in rebus inesse nexum causalem et causarum ordinem, qui in certis legibus manifestetur.

Ex quo fit, ut pro harum legum diversitate analogia duplex distingui possit, physica altera, altera moralis. Physica est, quae in legibus naturalibus fundamenta habet; moralis, quae illis legibus efficitur, quibus actiones humanae reguntur, cuius generis sunt amor veri et boni, amor beatitudinis propriae.

Scholion. Si principia, quibus analogia proxime exhibetur, desideras accuratius expressa, haec fere a logicis indicari solent:

Id quod in similium uno valet, valet in ceteris.
Id quod non valet in uno similium, neque valet in ceteris.
Res similes producunt effectus similes;
similibus proprietatibus sunt praeditae;
secundum typos similes sunt conditae;
similes habent fines;
similibus reguntur in agendo legibus.
Dissimilibus dissimilia conveniunt.
Contrariis contraria conveniunt.

Ex quo apparet, analogiam secundum argumenti formam spectari posse ut enthymema, atque ad syllogismum revocari hoc modo: Causae similes similes effectus producunt; atqui causae A et B similes sunt; ergo similes effectus producunt. Atqui effectus causae A, quem novi, talis est. Ergo effectus causae B, quem non novi, eiusdem rationis erit.

376. Analogiae accuratior analysis. Quae ab analogia ducitur argumentatio, si consideretur enucleatius, in partes duas distingui potest, quarum prior per inductionem quandam imperfectam a re

---

thesi. Theophrastus syllogismos hypotheticos vocat syllogismos κατ' ἀναλογίαν. Posteriore tandem tempore argumentationes ex analogia petitae vocabantur οἱ κατὰ τὸ ἀνάλογον συλλογισμοί. Cfr. Prantl, Geschichte der Logik. I. p. 608.

particulari ad universalem transit, altera per syllogismum ex universali ad particulare aliud. Hac de re Stagirita: „Verbi gratia esto τὸ α: *malum*, τὸ β: *contra finitimos bellum suscipere;* ubi γ: *Athenienses contra Thebanos;* ubi δ: *Thebanos contra Phocenses.* Ergo si velimus probare, cum Thebanis bellum gerere malum esse, accipiendum est (universe), adversus finitimos bellum gerere esse malum. Huius autem rei fides petitur ex similibus, veluti, quia Thebanis perniciosum fuit bellum contra Phocenses. Quoniam igitur bellum adversus finitimos malum est, bellum autem contra Thebanos est contra finitimos, perspicuum est, adversus Thebanos bellum gerere malum esse."[1]

Tres in hoc exemplo sumptiones praemissae sunt:

1. δ est α
2. δ est β
3. γ est β.

Ex prima et altera primo Aristoteles opinando concludit:

4. β est α.

Et deinde ex quarta et tertia per syllogismum concludit:

5. γ est α.

Huius conclusionis vim et firmitatem manifestum est, ex parte priore pendere, in qua per inductionem admodum incompletam ad propositionem universalem (β est α) conclusum est.

377. **Formae concludendi ex analogia tres**[2]. Schema analogiae generale modo vidimus esse:

$$\delta = \alpha$$
$$\gamma \text{ est simile } \delta$$
$$\overline{\text{ergo } \gamma \text{ est } \alpha.}$$

Vel distinctius:

$$\delta \text{ est } \alpha$$
$$\delta \text{ est } \beta$$
$$\gamma \text{ est } \beta$$
$$\overline{\gamma \text{ est } \alpha.}$$

Sit exemplum primum: *Mercurius, Venus, Terra, Mars, Iupiter, Saturnus circum axem moventur orientem versus. Sed hae stellae sunt planetae systematis solaris. Atqui etiam Uranus est huius*

[1] L. 2 anal. prior. c. 24. Et pergit Aristoteles: Φανερὸν οὖν ὅτι τὸ παράδειγμά ἐστιν οὔτε ὡς μέρος πρὸς ὅλον, οὔτε ὡς ὅλον πρὸς μέρος, ἀλλ' ὡς μέρος (δ) πρὸς μέρος (γ), ὅταν ἄμφω μὲν ῇ ὑπὸ ταὐτὸ (β), γνώριμον δὲ θάτερον. 69 a, 12 sqq.

[2] Cfr. Ueberweg, System der Logik § 131.

systematis planetes. Ergo etiam Uranus circum axem movetur orientem versus. Id quod generalius expresseris:

$$\begin{array}{r} \delta_1,\ \delta_2,\ \delta_3 \ldots \text{ sunt } \alpha \\ \delta_1,\ \delta_2,\ \delta_3 \ldots \text{ sunt } \beta \\ \gamma \text{ etiam est } \beta \\ \hline \text{ergo } \gamma \text{ etiam est } \alpha. \end{array}$$

Cuius argumentationis pars prior (inductiva) est:

$$\begin{array}{c} \delta_1,\ \delta_2,\ \delta_3 \ldots \text{ sunt } \alpha \\ \delta_1,\ \delta_2,\ \delta_3 \ldots \text{ sunt } \beta \\ \hline \text{ergo } \beta \text{ est } \alpha; \end{array}$$

et pars altera per syllogismum figurae primae:

$$\begin{array}{c} \beta \text{ est } \alpha \\ \gamma \text{ est } \beta \\ \hline \text{ergo } \gamma \text{ est } \alpha. \end{array}$$

Et haec est forma analogiae prima.

Sit exemplum alterum: *Terra est organismis vestita. Sed terra circum solem movetur, et atmosphaera est circumdata, et quattuor anni tempora habet. Sed etiam Mars circum solem movetur, et atmosphaera est circumdatus, et quattuor anni tempora habet. Ergo etiam Mars organismis vestitus est*[1]. Cuius formula generalis est:

$$\begin{array}{c} \delta \text{ est } \alpha \\ \delta \text{ est } \beta_1,\ \beta_2,\ \beta_3 \ldots \\ \gamma \text{ est } \beta_1,\ \beta_2,\ \beta_3 \ldots \\ \hline \gamma \text{ est } \alpha. \end{array}$$

Huius argumentationis pars prior (inductiva) est:

$$\begin{array}{c} \delta \text{ est } \alpha \\ \delta \text{ est } \beta_1,\ \beta_2,\ \beta_3 \ldots \\ \hline \beta_1,\ \beta_2,\ \beta_3 \ldots \text{ est } \alpha; \end{array}$$

et pars altera iterum per syllogismum figurae primae:

$$\begin{array}{c} \beta_1,\ \beta_2,\ \beta_3 \ldots \text{ est } \alpha \\ \gamma \text{ est } \beta_1,\ \beta_2,\ \beta_3 \ldots \\ \hline \text{ergo } \gamma \text{ est } \alpha. \end{array}$$

Et haec est forma analogiae secunda.

---

[1] Ex quo exemplo ab Ueberweg allato id quoque apparet, quam facile quis analogia male abuti possit. (Cfr. Trendelenburg, Log. Untersuch. II. p. 373.) Veritatem analogiae in hoc exemplo is tantum admittet, qui causam vitae organicae vel saltem verae causae initia in ista conditionum anorganicarum circumstantia viderit.

Exemplum tertium habetur, si formae duae priores coniungantur hoc fere modo:

$$\begin{array}{c} \delta_1, \delta_2, \delta_3 \ldots \text{ est } \alpha \\ \delta_1, \delta_2, \delta_3 \ldots \text{ est } \beta_1, \beta_2, \beta_3 \ldots \\ \hline \gamma = \beta_1, \beta_2, \beta_3 \ldots \\ \hline \gamma = \alpha. \end{array}$$

Cuius pars prior (inductiva) est:

$$\begin{array}{c} \delta_1, \delta_2, \delta_3 \ldots \text{ est } \alpha \\ \delta_1, \delta_2, \delta_3 \ldots \text{ est } \beta_1, \beta_2, \beta_3 \ldots \\ \hline \beta_1, \beta_2, \beta_3 \ldots \text{ est } \alpha; \end{array}$$

et pars altera iterum per syllogismum figurae primae:

$$\begin{array}{c} \beta_1, \beta_2, \beta_3 \ldots \text{ est } \alpha \\ \gamma \text{ est } \beta_1, \beta_2, \beta_3 \ldots \\ \hline \text{ergo } \gamma \text{ est } \alpha. \end{array}$$

Et haec est forma analogiae tertia, cuius exemplum sit hoc: *Mercurius, Venus, Terra, Mars, Iupiter, Saturnus circum axem moventur orientem versus. Sed hae stellae sunt planetae systematis solaris, et maioris molis, determinatoque intervallo a sole distant. Ergo stellae, quae sunt systematis solaris planetae et maioris molis et determinato intervallo a sole distant, hae circum axem moventur orientem versus. Atqui Uranus est stella systematis solaris planeta et maioris molis et determinato intervallo a sole distat. Ergo etiam Uranus movetur circum axem orientem versus.*

378. **Analogiae effectus per se in genere opinionis est.** Ex iis, quae de analogia disseruimus, consequitur, conclusiones ex sola analogia deductas per se ad hoc non valere, ut scientiam vel certitudinem in mente efficiant. In quo analogia ab inductione differt. In inductione enim, antequam de toto id inferamus, quod in singulis animadvertimus, aliqua ratione certi sumus, id attributum, de quo quaestio est, ad essentiam singulorum pertinere. Sed quamdiu in analogia tantum innitimur, non sumus certi, proprietatem, quam deducimus, ad ipsam analogi essentiam pertinere; sed id nobis suadetur dumtaxat ex aliqua similitudine. Iam vero fieri potest, ut duo rerum ordines quantumvis similes, quum tamen in quibusdam inter se discrepent, et in ea proprietate, quam communem esse coniicimus, et in aliis plurimum differant; quum praesertim naturae ordo sit nobis magna ex parte inexploratus. Sed nemo est, quin videat, quo plura sint et graviora ea, quibus duae

res inter se conveniant, eo maiorem etiam probabilitatem esse, quae ex argumento analogiae nascatur[1]. Quinimmo in multis rebus accidit, ut mens, postquam ex argumento analogiae hauserit de re aliqua probabilitatem, deinde ex aliis argumentis adducatur ad habendam de eadem re certitudinem.

Scholion 1. Perperam nonnulli distinguunt analogiam perfectam sive exactam et analogiam incompletam sive probabilem[2]. Ubi primum enim mens argumentans nititur in perspectis ipsis rerum essentiis, iam analogia eam imperfectionem amittit, quae eius est propria; quare tum analogia esse desinit.

Scholion 2. Ex iis, quae de conclusione a similibus ad similia sunt dicta, satis apparet, quae vis tribuenda sit conclusionibus „a minori ad maius“, „a maiori ad minus“, „a contrario ad contrarium“.

379. **Analogiae usus lubricus.** Id quidem commodi habet analogia, ut ad detegendam veritatem scientiamque amplificandam multum valeat, praesertim in disciplinis empiricis, ut sunt physiologia, chimia, astronomia. Periculum tamen est, ne mens adducatur ad ferenda falsa et temeraria iudicia, et hinc ad construenda systemata, quae a veritate longe aberrant. Vix ullum in historia scientiae reperies errorem falsamve theoriam, cuius non aliquae partes fuerint in analogia quadam male intellecta. Periculum quoque est, ne mens certum putet id, quod tantum probabile est. Omnes enim ex rebus analogis tractae conclusiones manent probabiles, donec rationes aliae accedant, quae certitudinem efficere possint. Atque etiam, qui reperiuntur in ipsa probabilitate gradus pro numero notarum similium, diligenter attendendi sunt.

Inter vitia autem, quae in usu analogiae cavere oportet, a logicis haec potissimum notata sunt: a) analogiae contemptio, quo vitio homines laborant, in quibus inest tenue ingenium, qui praeclaram naturae harmoniam et rerum proportionem non capiunt; b) nimia analogiae aestimatio, qua analogiae vis attribuitur, quam non habet; c) analogiae ultra debitos fines extensio, et d) nimia eiusdem coarctatio; quo fit, ut propter aliquam analogiam nimium rebus concedatur, aut propter defectum analogiae nimium rebus negetur.

---

[1] Tongiorgi, Instit. log. n. 324.

[2] Drobisch, Neue Darstellung der Logik § 149 et 150.

SECTIO QUARTA.

De argumentationis in probando vi secundum materiam.

380. **Huius tractationis ordo et ratio.** Hactenus de argumentationis forma et dispositione diximus, ut ea est opus nostrum ad assequendam veritatem recte et legitime effectum. Nunc videndum aliquid de argumentationis materia restat, quo, quid argumentatio in mente nostra efficere possit, clarius appareat. Non enim id solum ad logicum spectat, ut videat, qua ratione argumentatio formanda sit, sed etiam, ut bene attendat, quae vis et efficacia in sumptionibus insit et inde ad conclusionem trahatur. Atque hoc servato ordine Aristotelem sequimur (n. 31).

Potest autem materia argumentationis sive res, quae in ea proponitur, aut vera esse sive conformis ordini ontologico, aut falsa. Si est vera, aut cum necessitate veritas proponitur, ita ut res aliter, ac dicitur, esse non possit; aut cum sola probabilitate proponitur ut aliquod, quod fere sic esse solet, vel non sine ratione in opinione communi hominum est positum. Quum igitur ipsa res, de qua agitur, aut necessaria sit, aut probabilis, aut falsa, etiam propositiones, quae de illa re edicuntur, aut necessariae sunt, aut probabiles, aut falsitate sua captiosae; unde recte diximus (n. 330) argumentationem ratione materiae esse posse triplicis indolis: demonstrativam sive necessariam, quae efficiat scientiam proprie dictam; topicam sive probabilem, quae opinionem producat probabilem[1]; sophisticam, quae errorem generet.

Quoniam autem perfectio cognitionis humanae in scientia est posita, quae per demonstrationem comparatur, et cuius veritas per iudicium effertur, homo non statim ab initio ad efficiendam demonstrationem progredi potest; sed veritas ut perfecte possideatur, prius paulatim inquirenda est. Unde ex natura hominis est, ut prius quaerat et inveniat veritatem per opinationes probabiles, et deinde de inventa iudicet per demonstrationem. Ex quo factum est, ut demonstratio putata sit imprimis inservire iudicio, argumentatio autem probabilis inventioni.

§ 1.

De argumentatione demonstrativa sive scientifica.

(Quae dicitur esse pars logicae iudicatrix.)

381. **Demonstratio quid sit.** Argumentatio demonstrativa sive demonstratio (ἀπόδειξις) est argumentatio, qua ex sumptionibus

---

[1] Ἀπόδειξις μὲν οὖν ἐστιν, ὅταν ἐξ ἀληθῶν καὶ πρώτων ὁ συλλογισμὸς ᾖ, ἢ ἐκ τοιούτων, ἃ διά τινων πρώτων καὶ ἀληθῶν τῆς περὶ αὐτὰ γνώσεως τὴν ἀρχὴν εἴληφεν· διαλεκτικὸς δὲ συλλογισμὸς ὁ ἐξ ἐνδόξων συλλογιζόμενος. L. 1 topic. c. 1, 100 a, 27.

omnino certis rem aliquam veram esse evidenter cognoscimus[1]. Cuius duplex definitio ab Aristotele[2] est tradita. Una ex effectu sive fine petitur, ut demonstratio dicatur ratiocinatio, quae certam et firmam rei conclusae notitiam praebeat, vel brevius: syllogismus gignens scientiam (συλλογισμὸς ἐπιστημονικός). Altera ex demonstrationis principiis vel, si mavis, ex materia petitur, ut dicatur ratiocinatio constans ex propositionibus omnino veris, necessariis, primis sive immediatis, et quae priores sint ac notiores causaeque conclusionis[3].

Verae esse omnino debent praemissae, „quia quod non est, sciri non potest". Deinde primae sive immediatae esse debent, quatenus fundatae esse debent in veritatibus, quarum cognitio aliam non praesupponit, et quae per se certae et evidentes sunt, ut ulteriore demonstratione non egeant.

„Detur enim, quod aliquis demonstrator syllogizet ex demonstrabilibus sive mediatis. Aut ergo habet illorum demonstrationem, aut non habet Si non habet, ergo non scit praemissas et ita nec conclusionem propter praemissas. Si autem habet, quum in demonstrationibus non sit procedere in infinitum, tandem erit devenire ad aliqua immediata et indemonstrabilia. Et sic demonstratio oportet, quod procedat ex immediatis vel statim, vel per aliqua media." [4] Generatim igitur propositio immediata dicitur dupliciter, aut respective ad alteram, quum est causa proxima alterius; aut absolute in se, quum ita clara est, ut nullius probationis indigeat, ut sunt principia rationis. Id autem iterum esse potest dupliciter, aut formaliter, quum propositio per se sine discursu evidenter innotescit, aut aequivalenter, sive virtualiter, quum propositio non quidem ex se clara est, est tamen clara proponenti, quippe qui eam, si negaretur, usque ad prima et evidentissima principia resolvere possit. Quodsi Aristoteles poscit, ut praemissae conclusionis immediatae sint, non videtur ipsi satis esse, ut sint immediatae respective (id enim in ea demonstratione locum habet, quae vocatur „propter quid"); neque ex altera parte requirere videtur, ut sint immediatae absolute formaliter, quia id fere in ea sola locum habet, quae potissima vocatur[5]; sed iure et recte requirit, ut sint immediatae aequivalenter sive vir-

---

[1] Est igitur aliqua inter Aristotelicos et recentiores loquendi diversitas. Apud hos enim nomen demonstrationis latius patet, et quamlibet argumentationem sive argumentationum seriem significat, qua verum ex vero concluditur, sive verum, a quo proceditur, est necessarium sive contingens, sive est causa, sive effectus, sive a singularibus ad universale per inductionem ascenditur, sive ab universali ad particularia per deductionem descenditur.

[2] L. 1 analyt. post. c. 2.

[3] Ἀνάγκη τὴν ἀποδεικτικὴν ἐπιστήμην ἐξ ἀληθῶν τ'εἶναι καὶ πρώτων καὶ ἀμέσων καὶ γνωριμωτέρων καὶ προτέρων καὶ αἰτίων τοῦ συμπεράσματος. L. 1 analyt. post. c. 2, 71 b, 20.

[4] S. Thom. in l. 1 analyt. post. lect. 4.

[5] Ut tota, quam Aristoteles de demonstratione tradidit doctrina, recte intelligatur, prae oculis habendum est, quod saepius a Scholasticis est obser-

tualiter. Unde alio loco docet, demonstrationem aut ex primis constare aut ex iis, quae a primis initium suae cognitionis sumpserint [1].

Praemissas esse debere causas conclusionis, per se satis intelligitur; in omni enim argumentatione sumptiones id sunt, unde cognitio conclusionis gignitur.

Et priores conclusione esse debent, quia ideo sunt causae ducentes in cognitionem alterius, quod ipsae prius sunt cognitae. Quam ob rem praemissae etiam notiores conclusione sint oportet; secus enim conclusioni evidentiam afferre seu certam illam efficere non possent.

„Semper enim —, ut Stagirita docet, id magis tale est, propter quod unumquodque tale est [2]; ut puta id magis dilectum est, propter quod diligimus; quocirca si propter prima scimus et credimus, illa quoque scimus et credimus magis, quia per illa scimus et credimus etiam posteriora."

Duplici autem ratione aliqua sunt priora et notiora: naturâ et nobis. Priora et notiora naturâ, sive quoad se ea sunt, quae revera aliquo modo praecedunt. Ita causa prior est effectu, essentia proprietatibus, substantia accidentibus, universale singularibus. Priora et notiora nobis sive quoad nos ea esse solent, quae ad experientiam sensilem magis accedunt. Ita ut plurimum effectus priores sunt et notiores quoad nos causis, et proprietates essentiis, et accidentia substantiis et singularia universalibus. Et hoc saltem modo praemissae cuiuscunque demonstrationis debent esse conclusione notiores et priores.

Necessarias tandem praemissas certitudo exigit, quae conclusioni creanda est. Nam tum solum conclusio certa est et firma, si ex sumptionibus oritur, quae aliae, quam ponuntur, esse omnino non possunt.

382. Neque sine ratione Aristoteles in definienda breviter demonstratione syllogismi mentionem facit. Argumentationes enim reliquae vim demonstrativam habent, quatenus ad syllogismi formam trahi possunt [3].

---

vatum. „Quia perfectum est regula sui et imperfecti, ideo Aristoteles agens de demonstratione, totus est in eo, ut describat perfectam, potissimam, idealem demonstrationem; per illam enim facile deinde cognoscuntur imperfectae ac deficientes ab ideali." Sylv. Maurus, Quaest. phil. Log. q. 67.

[1] L. 1 top. c. 1, 100 a, 25.

[2] Hoc Aristotelis axioma certe vim habet, si a) praedicatum sit commune causae et effectui; b) illud suscipiat magis et minus; c) sit positivum; d) sit numero diversum a causa et effectu neque sit eadem forma utriusque. Cfr. S. Thom. in l. 1 anal. post. lect. 6; in l. 2 met. lect. 2; 1 dist. 12 q. 1 a. 2 ad 2; 3 dist. 28 q. 1 a. 1 ad 2; Summ. theol. I. q. 87 a. 2 ad 3; II. II q. 165 a. 2 ad 1.

[3] Id etiam aliqua ratione de inductione valere vidimus. „Quamdiu perseverat pura inductio, formalis argumentatio non est; redacta vero in formam syllogismi, et formalis erit et demonstrativa, si in materia idonea construatur." Conimbricenses, Comment. in Arist. q. 2 a. 1.

Et syllogismus, ut demonstratio sit, scientiam sive cognitionem certam et rei congruentem gignere debet. „Quia autem scire opinamur, quum sciamus causam, demonstratio autem est syllogismus faciens scire, ita consequens est, quod medium demonstrationis sit causa" (n. 334)[1].

Itaque in demonstratione termino medio non solum causa cognitionis conclusione expressae exhibetur, sed etiam causa rei[2]. In quo specialis perfectio demonstrationis cernitur. Quo enim magis cognitio rem ostendit, ut haec est, eo perfectius rei congruens est, et eo perfectior erit demonstratio. Haec, quae ex praemissis procedit, quae non solum in ordine logico, i. e. pro nostra cognitione, sed etiam in ordine ontologico, i. e. in rerum realitate, „causae" demonstrationis sunt, „a nonnullis demonstratio genetica" vocatur. Quae etiam perfectior erit, quum causam rei proximam[3] et adaequatam[4] exhibet.

Quum autem duplex apud philosophos distinguatur causa ontologica, una, quae realiter ab effectu suo differt, ut *ignis* ab *illuminato aëre;* et altera, quae metaphysice sive virtualiter a suo effectu distincta est, ut *Dei necessitas* ab *eius aseïtate,* vel a *corporum divisibilitate eorundem compositio* — quae quidem potius ratio quam causa appellatur — ad demonstrationem perfectam sive simpliciter dictam satis est et requiritur, ut praemissae vel causam proprie dictam contineant, vel causam illam late acceptam, quae causa virtualis idealisve vel ratio metaphysica appellari solet[5]. Et demonstratio haec, quum causam essentialem indicet, cur res ita sit, ex praemissis nascitur, quae speciali ratione sunt necessariae. Demonstrationem perfectam et natam ex ea scientiam philosophi prae oculis habent, quum dicunt, eam esse rerum necessariarum, aeternarum, immutabilium[6].

---

[1] S. Thom. in l. 2 anal. post. lect. 9. Ἐπίστασθαι δὲ οἰόμεθ' ἕκαστον ἁπλῶς, — — ὅταν τήν τ' αἰτίαν οἰώμεθα γινώσκειν, δι' ἣν τὸ πρᾶγμά ἐστιν, ὅτι ἐκείνου αἰτία ἐστί, καὶ μὴ ἐνδέχεσθαι τοῦτ' ἄλλως ἔχειν. (L. 1 analyt. post. c. 2, 71 b, 9.) Cfr. l. 2 anal. post. c. 2, 90 a, 6.

[2] Hac de re Leibnizius: „Particulièrement et par excellence on l'appelle raison, si c'est la cause non seulement de notre jugement, mais encore de la vérité même, ce qu'on appelle aussi raison a priori, et la cause dans les choses répond à la raison dans les vérités. C'est pourquoi la cause même est souvent appelée raison et particulièrement la cause finale. Enfin la faculté de raisonner est aussi appelée raison." Nouv. Essais sur l'entendement humain l. 4 c. 17 ap. Erdm. p. 393 a.

[3] „Demonstratio, quae facit scientiam de re, sumitur ex causis proximis rei." S. Thom., 1 dist. 45 q. 1 a. 3 ad 5.

[4] „Perfecta ratio uniuscuiusque rei colligitur ex omnibus causis eius." S. Thom., Summ. theol. I II q. 55 a. 4.

[5] Cfr. Conimbricenses, De scientia et demonstratione art. 2.

[6] Arist. l. 1 anal. post. c. 6; S. Thom. i. h. l. lect. 13.

Scholion. Non sine ratione a mathematicis methodus Euclidica in eo reprehensa est, quod demonstrationibus suis consulat quidem certitudine, negligat tamen petere argumenta ex visceribus rei. Laudatur autem in mathesi nostri temporis, quod in ea, quantum fieri possit, adhibeantur demonstrationes geneticae, in quibus medium cognitionis idem sit atque causa rei demonstrandae [1].

383. Haec demonstratio perfecta ab ARISTOTELE vocata est demonstratio propter quid (διότι), quia non modo praedicatum quoddam subiecto convenire ostendit, sed etiam causam immediatam et adaequatam declarat, propter quam praedicatum illud subiecto conveniat.

A perfectione huius demonstrationis deficit illa, quae ab ARISTOTELE dicta est demonstratio „quod sit", sive „quia est" (ὅτι), quae solum docet, rem ita esse, et a declaranda causa proxima et adaequata abstinens, rem esse ostendit aut ex eius effectu, aut ex eius causa remotiore. Quae scientiam quidem gignit, sed imperfectiorem tantum. Neque enim ex cognito effectu, neque ex cognita causa remota perfecte scimus, cur res sit, nisi per alias demonstrationes ad causas usque proximas deveniamus [2].

Scholion. Causae, quarum supra incidit mentio, varias esse posse, hoc loco breviter indicandum videtur. Si sunt ordinis physici, aut efficientes sunt, quae rem producunt, aut finales, quarum gratia res producitur, aut materiales, ex quibus res producitur, aut denique formales, quae materiam ad certum quoddam Esse et Agere determinando simul cum materia res intrinsecus constituunt. Causarum igitur duae internae sunt, externae duae. Et „finis inter alias causas primatum tenet, et ab ipso omnes aliae causae habent, quod sint causae in actu; agens enim non agit nisi propter finem; ab agente autem materia in actum formae reducitur. Unde materia fit actu huius rei materia, et similiter forma huius rei forma per actionem agentis, et per consequens, per finem" [3]. Si autem causa est ordinis metaphysici, est essentia sive definitio ut proprietatum radix; atque etiam attributa, ex quibus attributa alia secundum nostrum concipiendi modum oriuntur. Sed hae res alium in locum differendae sunt; nam et multis verbis indigent, et ad demonstrationis descriptionem non tantopere pertinent.

384. **Quotuplex sit demonstratio.** Primaria est divisio, qua ab ARISTOTELE demonstratio distincta est in ostensivam sive apodicticam (ἀπόδειξιν vi vocis pressione; τοὺς δεικτικοὺς συλλογισμούς) et apagogicam sive „ad impossibile" [4]. Sed accuratior est illa divisio,

---

[1] Cfr. UEBERWEG, System der Logik § 135.

[2] Cfr. ALAMANNI Summ. phil. I. q. 22 a. 1; q. 23 a. 1.

[3] S. THOM., Summ. c. gent. l. 3 c. 17; cfr. Summ. theol. I. q. 5 a. 4.

[4] Ἀνάγκη δὴ πᾶσαν ἀπόδειξιν καὶ πάντα συλλογισμὸν ἢ ὑπάρχον τι ἢ μὴ ὑπάρχον δεικνύναι, καὶ τοῦτο ἢ καθόλον ἢ κατὰ μέρος, ἔτι ἢ δεικτικῶς ἢ ἐξ ὑποθέσεως. τοῦ δ' ἐξ ὑποθέσεως μέρος τὸ διὰ τοῦ ἀδυνάτου. L. 1 anal. prior. c. 23, 40 b, 23.

qua demonstratio distinguitur in universalem et particularem, ostensivam (δεικτικήν), privativam (στερητικήν), ad impossibile (εἰς τὸ ἀδύνατον vel τὴν ἀπάγουσαν ἀπόδειξιν vel τὴν εἰς τὸ ἀδύνατον ἀπαγωγήν vel τὸν διὰ τοῦ ἀδυνάτου συλλογισμόν)[1]. Universalis est demonstratio, si ex propositionibus universalibus proficiscitur; si ex particularibus, particularis. Ostensiva ex solis procedit affirmativis; privativa ex affirmativa et negativa. Demonstratio ad impossibile ex positione adversaria conclusionem aperte falsam deducit, ex quo indirecte veritas contradictoriae infertur.

Scholion. In his demonstrationis generibus ARISTOTELES ordinem posuit, ex quo aliud alio sit praestantius. Et primo dixit, universalem particulari potiorem esse. Namque „propositionum universalis et particularis talis est comparatio, quod ille, qui habet cognitionem de priori, i. e. de universali, cognoscat quodammodo posteriorem, scilicet in potentia. Nam in universali sunt in potentia particularia, sicut in toto sunt potentia partes. Puta si aliquis cognoscit, quod omne *triangulum* habet tres angulos aequales duobus rectis, iam in potentia cognoscit id de isoscele. Sed ille, qui cognoscit aliquid de particulari, non propter hoc cognoscit in universali, neque in potentia neque in actu. Non enim universalis propositio continetur in particulari, neque in actu neque in potentia. Si igitur demonstratio est potior, quae ex potioribus propositionibus procedit, sequitur, quod demonstratio universalis sit potior.“ [2]

Deinde ostensivam privativa potiorem esse statuit „primo quidem, quia affirmativa est potior et notior, quum per affirmativam probetur negativa et non e converso; secundo, quia affirmatio praecedit naturaliter negationem, sicut Esse prius est quam Non-esse“ [3].

Ultimo denique loco demonstrationem ad impossibile reposuit, quippe quae per ambages dumtaxat eo perveniret, quod demonstrationes aliae recta via assequerentur. Et reapse hoc demonstrationis genere mens adversarii convincitur quidem, neque tamen ei ostenditur, cur et quomodo res vera sit. Verum haec, quae est ad impossibile, argumentandi ratio, modo recte instituatur, in omni disciplinarum genere ad detegendam veritatem est magnae utilitatis. Contradictione contra id, quod firmum est et verum, id extinguitur, quod falsum est et incertum; atque ita menti ad amplectendam veritatem stimulus admovetur. Saepe haec est ad statuendas veritates via facilior, quarum demonstratio directa prolixior est et tortuosior. Saepius ad respondendum obiectionibus est facillima, quarum solutio ostensivae demonstrationi eius, quod verum sit, haud raro aequiparari potest. Probatis etiam demonstratione directa veritatibus vim novam et lucem clariorem affert. Quinimmo ad persuadendum animo obstinaci et sceptico veritatem est aptissima, qui demonstratione ostensiva convinci non potest. Sunt praeterea veritates, quae nescio an alia ratione declarari non possint. Cuius generis sunt principia, quae quum sint suprema, a superioribus ostensive deduci non possunt; vel etiam facta particularia; ita *reum criminis accusatum* „demonstratione ad impossibile“ innocentem clarissime ostendes, si eum ad tempus alibi fuisse probaveris.

---

[1] L. 1 anal. post. c. 24, c. 25, c. 26.

[2] S. THOM. in l. 1 anal. post. lect. 36.

[3] L. c. lect. 37.

Ab hac demonstrationum partitione vix differt altera, qua demonstrationem in directam et indirectam distinguunt. Directa est, quum praedicatum quaestionis subiecto convenire aut non convenire ostendimus propter notas aliquas, quae vel subiecto vel praedicato insunt. Hoc modo „Deum non esse pendentem ab alio“ demonstrabis propter notam „causae primae“, quae est de subiecti ratione, hoc syllogismo: *Causa prima ab alio non pendet. Atqui Deus est causa prima. Ergo Deus ab alio non pendet.* Indirecta est demonstratio, quum ex contradictoria propositionis demonstrandae deducimus conclusionem aperte absurdam (n. 171). Demonstratione indirecta argumentaberis contra negantes aeternitatem Dei: *Quod non est aeternum, ab aliqua causa productum est. Atqui vos dicitis, Deum non esse aeternum. Ergo Deum ab aliqua causa productum esse debetis dicere; i. e. causam primam ab aliqua causa priore productam esse; quod aperte absurdum esse videtis.*

Demonstratio indirecta proferri etiam potest per formam disiunctionis[1]; sed ut vera sit, disiunctio ita completa esse debet, ut res omnes, quae aliqua ratione cogitari possunt, proponantur.

Per utramque hanc viam ad certitudinem de conclusione habendam pervenire possumus et adversarios, ut assentiantur, cogere. Verum inter priorem et alteram id est discriminis, ut demonstratione directa ostendatur, quam ob causam conclusio sit admittenda, indirecta ostendatur dumtaxat, rem esse admittendam; illa ad affirmandum adducit, haec a negando absterret; illa docet per ostensam veritatem; haec cogit propter fugiendam absurditatem [2].

Demonstratio directa, quum medium attendis, quod in ea adhibetur, in duas dividitur, quarum altera vocatur a priori, altera a posteriori.

385. **Demonstratio a priori et a posteriori.** Tertia est divisio, qua ea demonstratio a priori esse dicitur, quae rem demonstrat per causam; a posteriori ea, quae per effectum (n. 269 *Schol.* 4). A priori igitur est, si veritas, quae est in conclusione, secundum ordinem ontologicum a veritate eorum pendet, quae sunt in praemissis. Et a posteriori trahi dicitur, si in eodem ordine ontologico veritas, quae est in praemissis, pendet a veritate, quae est in conclusione. „Non enim est necesse, quod omne, quod est principium cognoscendi, sit principium essendi“[3]; sed etiam „con-

[1] Cfr. Euclid. I. 6, 19, 29 . . .

[2] Qua ratione haec argumentatio indirecta potissimum inserviat refutationi et illi, quam dicunt, „crisi negativae“, praeclaris exemplis ostendit Trendelenburg, Log. Untersuch. II. p. 432 sqq.

[3] S. Thom., Summ. theol. III. q. 55 a. 5.

tingit, ex effectu causam cognoscere . . . secundum quod effectus sumitur ut medium ad cognoscendum de causa, quod sit, et quod talis sit" [1].

Quo loco in memoriam revocandum est, quod supra breviter monuimus, duplici ratione intelligi id, quod prius et quod posterius sit: aut secundum ordinem logicum, in quo prius est, quod prius a nobis cognitum causa est, cur cognoscamus aliud posterius, etsi id in ordine rerum fortasse prius est; aut secundum ordinem ontologicum, in quo semper illud est prius, a quo aliud re pendet. Iam hoc loco prius et posterius non ad ordinem logicum, sed ad ontologicum referuntur. Nam generatim nulla esse potest demonstratio, in qua non sint secundum ordinem logicum praemissae conclusione priores, neque conclusio ut posterius quid a praemissis pendeat. Sed ordinem ontologicum si spectas, ea est diversitas, ut aut veritas conclusionis pendeat a veritate praemissarum, aut haec ab illa. Quum igitur veritas, quae est in conclusione, secundum ordinem ontologicum pendet a veritate eorum, quae sunt in praemissis, demonstratio dicitur a priori. Quum autem in eodem ordine ontologico veritas, quae est in praemissis, pendet a veritate eorum, quae sunt in conclusione, demonstrationem vocant a posteriori. In illa subiectum conclusionis habet affectionem significatam praedicato, quia habet realitatem significatam termino medio; in hac contra subiectum conclusionis habet, quod significatur termino medio, quia habet, quod exprimitur praedicato. In illa terminus medius est ratio ontologica praedicati; in hac praedicatum est ratio ontologica termini medii.

Demonstratio a priori nonnunquam dicitur demonstratio „simpliciter"; demonstratio a posteriori autem demonstratio „secundum quid".

Scholion 1. His explicatis intelligitur, utramque demonstrationem in iis solum rebus fieri posse, quae in ordine ontologico connexione necessaria inter se copulantur, velut quum a mundi existentia Dei existentiam demonstramus, quia mundus aliunde quam a Deo procedere non potest; neque tamen contra ex Dei existentia mundum esse demonstrare possumus, quia Dei existentia cum mundi productione necessario connexa non est.

Scholion 2. Perspicuum est quoque, demonstrationem, quae trahatur a priori, tum solum fieri posse, quum causa vel ratio ontologica, cur res est, etiam in ordine logico prior est et notior effectu vel rationato, quod ab ea dependet. Quum autem effectus vel rationatum cognoscitur prius, quam eius causa vel ratio — id quod pro humanae naturae conditione saepissime nobis contingit — demonstratio a posteriori procedat necesse est. „Quandoque enim, id quod est magis notum quoad nos, est etiam magis notum simpliciter et secundum naturam; sicut accidit in mathematicis, in quibus propter abstractionem a materia non fiunt demonstrationes nisi ex principiis formalibus. Et in talibus fiunt demonstrationes ex his, quae sunt notiora simpliciter. Item quandoque id, quod est notius quoad nos, non est notius simpliciter; sicut accidit in naturalibus, in quibus essentia et virtutes rerum, propter quod sunt

[1] S. Thom., Summ. c. gent. l. 3 c. 49.

in materia, sunt occultae et innotescunt nobis per ea, quae exterius de ipsis apparent. Unde in talibus fiunt demonstrationes ut plurimum per effectus, qui sunt notiones quoad nos et non simpliciter." [1]

Rursus demonstratio, quae est a priori, duplex distingui potest, altera propria, quae propter veras et immediatas causas rem demonstrat; impropria altera, quae propter causas remotas et minus proprias aliquid probat. Itaque demonstratio ex causa immediata peti potest, velut quum ex *admirativo* ostenditur risibile, vel ex *Dei immutabilitate* ostenditur Dei aeternitas; aut ex causa mediata, velut quum ex *rationali* ostenditur risibile, vel ex *Dei essentia* ostenditur Dei aeternitas. In utraque re demonstratio perfecta quidem est; perfectior tamen, si ex causa immediata petitur. Et perfectior etiam est, si causa adaequata attenditur, quam inadaequata. Quod qui considerat, facile intelliget, cur demonstratio perfectissima ea dicebatur ab Aristotele, quae definitionem subiecti pro medio habeat.

386. Demonstratio regressiva sive regressus demonstrationis [2]. Demonstrationes a posteriori et a priori nonnunquam ita coniungi possunt, ut per demonstrationem a posteriori discamus causam esse, et deinde a causa diligenter considerata ad effectum regrediamur. In quo negotio a circulo vitioso cavendum est; cuius vitium in eo consistit, quod termini utriusque demonstrationis non cognoscuntur nisi per alteram, et in utraque eodem modo formantur (n. 161). Regressus autem hoc vitio carebit, si termini demonstrationis secundae paulo aliter accipiuntur, atque in priore, neque lucem eam solam habent, quam ex priore hauserunt, sed insuper interveniente aliqua operatione mentis in seipsis quasi illuminati sunt. Tum enim fieri potest, ut exordiis demonstrationis prioris novam lucem ingerant et quasi replicent. Neque repugnat, eius generis regressum esse in duabus demonstrationibus, quarum altera a priori est et altera a posteriori. Sed frequentissimus ille est regressus, in quo demonstratio primo loco posita a posteriori est, et secunda a priori. Saepissime enim accidit, ut ex effectibus in conclusionibus nostris de rebus incipiendum sit; et iam consequens est, ut ex causa melius cognita ad effectum clarius perspiciendum revertamur. Ita *ex animi spiritualitate* animi incorruptibilitatem probare possumus, et ex animi incorruptibilitate aliis

---

[1] In l. 1 anal. post. lect. 4.

[2] Cfr. Alamanni Summ. phil. I. q. 22 a. 2; Sylv. Maurus, Quaest. phil. q. 68.

etiam argumentis probata rursus animi spiritualitatem inferre licet. Et *ex mundi ordine* divinam providentiam discimus, qua bene perspecta ad contemplandum mundum regredientes multo melius ipsum mundi ordinem intelligimus. Hic legitimus regressus demonstrativus definitur: argumentatio duplex iisdem constans terminis, quarum posterior id, quod in priore conclusum est, adhibet ad concludendum id, quod prioris erat principium, ita tamen, ut termini in utraque paulo aliter intelligantur.

387. **Demonstratio analytica et synthetica.** Quarta est divisio, qua distinguunt demonstrationem, quae a propositione quadam generali exordiens, synthetice ad probandas positiones particulares descendit; et alteram, quae a re particulari, cuius mentio fit in quaestione, incipit, et analytice ad principium generale ascendit.

388. **Demonstratio propter quid et quod sit.** Haec divisio, quae ipsam naturam demonstrationis afficit, supra (n. 383) satis indicata est, quum de demonstrationis definitione ageretur. Quarum priorem eam esse diximus, qua ostendatur, propter quid res sit; altera autem ostendi dumtaxat, rem ita esse. Haec demonstratio „quod sit" sive „quia" pro medio sive argumento effectum sumit vel causam remotam. Demonstrationem „propter quid" pro argumento causam rei proximam adhibere scimus. Ex quo intelligitur, prius argumentandi genus tum a posteriori per effectum fieri posse, tum a priori per causam remotam; genus autem posterius a priori tantum fieri per causam proximam sive immediatam.

Atque ex his illud quoque elucet, aliud esse „scire quia", aliud vero „scire propter quid". Nam „scire quia" nihil aliud est, quam scire, rem esse; sive propter causam remotam vel impropriam id cognoscitur, sive per effectum. Sed „scire propter quid" est scire rem per causam propriam et immediatam.

Recolendum quoque hoc loco videtur, „demonstrationem propter quid", quamvis legitima sit et vi vocis propria dicatur demonstratio, non tamen omnem eiusdem esse dignitatis; sed eam potissimam haberi diximus, quae ex causa immediata simul et indemonstrabili et adaequata procedat et quae proprietatem de subiecto demonstret per accuratam eiusdem subiecti definitionem.

Et sicut in unoquoque entium genere rarius occurrunt, in quibus ratio illius generis omni re et numero absoluta perfectaque est, ita etiam haec demonstratio perfectissima, quam Aristoteles fere semper prae oculis habet, quum de demonstratione loquitur, haud saepe homini se offert.

De cetero gradus sunt perfectionis in variis demonstrationibus, ita ut eo perfectior sit demonstratio, quo plures et magis propinquae sunt causae in demonstratione adhibitae.

389. **Reliquae demonstrationum divisiones.** Sunt praeterea multa genera, in quae ab aliis alio modo demonstrationes sunt distributae; quae tamen omnia proponere operae pretium non est, quum aut sint minus utilia, aut in se sint satis perspicua.

Distinguunt igitur demonstrationem late, stricte, strictissime acceptam. Lata est, qua alicuius rei veritas per experientiam ostenditur; quo pacto physicus experimentis suis veritatem legis physicae demonstrat. Stricta est, quae partim in definitione vel axiomate nititur, partim facto contingenti per experientiam probato, velut quum quis dicit: *Quidquid esse incipit, causam a se distinctam habet; mundi autem evolutio esse coepit; habet igitur causam a se distinctam;* cuius sumptio minor vera non est nisi in hypothesi mundi existentis. Strictissima est, si ex solis praemissis necessariis pendet; quod in rebus mathematicis accidere solet.

Deinde demonstrationem apodicticam distinguunt et non-apodicticam. Quarum prior est, cuius partes omnes interna terminorum evidentia patent. Non-apodicticam illam vocant, cuius una saltem sumptio interna evidentia caret.

Praeterea demonstrationem in absolutam et relativam distribuunt. Relativa est, cuius principia ab adversario, quocum est controversia, admittuntur, etsi in seipsis fortasse certa non sunt. Absoluta est, cuius principia absolute sive in se ipsis accepta vera sunt et certa. Ex quo colligitur, demonstratione relativa non probari, conclusionem in se veram esse, sed ostendi dumtaxat, eam ab iis negari non posse, qui demonstrationis principia admittant. Demonstratio igitur relativa eadem fere est, atque ea, quam argumentum ad hominem vocare solent (n. 171, 3).

390. **Demonstrationis praecognitiones et praecognita**[1]. Explicata demonstrationis indole sequitur, ut de modo dicamus, quo ab homine comparatur. Qua in re celebre est Aristotelis axioma, quod posuit contra Platonem: Omnis doctrina omnisque disciplina fit ex cognitione praecedente sive ex aliqua praecognitione. Nam priusquam fiat demonstratio, quid quaeratur, videndum est. Quum autem in omnibus, quae quaeruntur, sit aliquid, quod praenoscatur et a quo ad inquisitionem procedatur, iam quaestio omnis invenitur in aliqua praeexistente cognitione.

Praecognitio sive praenotio (πρόληψις) vi vocis cognitionem quamlibet alteri praeviam significat; quae esse potest aut per accidens aut per se praevia. Per accidens ea est, quae praevia est, neque tamen quidquam ad subsequentem cognitionem confert; de qua logico nihil curandum est. Cognitio per se praevia ea est, quae aliquid ad subsequentem confert; ut sunt praemissae, vel principia ex terminis nota, vel generatim omne antecedens, ex quo aliquid consequens infertur. Et de hac solum hoc loco agitur.

---

[1] Alamannus, Summ. phil. I. q. 21; Sylv. Maurus, Quaest. phil. q. 67.

Praecognitio definiri potest: anticipata quaedam animo circa rem plenius cognoscendam notitia. Est autem haec in demonstratione triplex: praeparans, dirigens, efficiens. Praenotio praeparans est cognitio sensuum homini ad intellectionem necessaria secundum tritum illud: Nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu. Is enim homini modus intelligendi naturalis est, ut discursus iudicium supponat, iudicium apprehensionem, apprehensio sensationem internam, sensatio interna externam. Praenotio dirigens est notitia intellectiva extremorum, quae in proposita quaestione simulque in demonstranda conclusione continentur. Praenotio efficiens sive influens est notitia intellectiva praemissarum, ex quibus conclusio deducenda est.

Iterum duplex praecognitio hic distinguenda est: an sit, et quid sit. Praecognitio „an sit" duplex est: an res sit existens, sive actu sive potentia tantum, et an propositio sit vera. Et praecognitio „quid sit" etiam duplex est: quid nominis, et quid rei, i. e. quid nomen significet, et quae sit alicuius rei essentia.

Scholion. Praecognitiones etiam aliae indicari possunt, v. g. praecognitio „qualis sit" sive quae sint rei attributa, accidentia; quae tamen omnes ad eas, quas indicavimus, revocari possunt.

391. Et hae quidem praecognitiones sunt. Ea autem, quorum sunt praecognitiones, vocantur praecognita. Sed praecognita vel potius praecognoscenda non vocari solent ea omnia, quae praecognoscenda sunt in ordine ad totum discursum faciendum, sed ea tantum, quae ordinem ad conclusionem habent, i. e. de quibus aliquid cognosci debet immediate, antequam eliciatur conclusio.

Praecognita eius generis Aristoteles recte docuit esse tria: conclusionis vel quaestionis subiectum et eiusdem praedicatum atque etiam principia sive praemissae. Subiectum illud est, de quo aliquid quaeritur. Praedicatum illae sunt affectiones sive passiones, in quibus demonstrandis, qui argumentatur, versatur. „Id igitur, cuius scientia per demonstrationem quaeritur, est conclusio aliqua, in qua propria passio de aliquo subiecto praedicatur, quae quidem conclusio infertur ex aliquibus principiis." [1]

Quamobrem non inscite demonstratio a Scholasticis motui locali est comparata. Scopus est, alicuius rei ignotae cognitione potiri. — Igitur, antequam eliciatur conclusio, ut concipiatur quaestio, subiectum et praedicatum conclusionis praenosci debent. Sed praecognosci etiam debet termini medii cum utroque extremo coniunctio, quae praemissis exhibetur; quia haec coniunctio est causa intellectum necessario ad assensum determinans. Praeter haec tria re-

---

[1] S. Thom. in l. 1 post. anal. lect. 2.

quiritur nihil. Nam vis syllogismi illativa, quae sane etiam praecognosci debet, est ex parte formae, non autem praecognoscendae materiae, de qua hic dicitur.

Scholion 1. Quamquam res omnis loco subiecti poni potest, subiectum tamen, quum sit id, quod scientiae quasi substernitur, subsitque affectionibus, a nobis consideratur ut substantia. Contra affectiones omnes a nobis considerantur ut accidentia.

Scholion 2. Id quod in una argumentatione est affectio, potest in altera fieri subiectum, de quo quaeratur affectio ulterior. Quod commode illustratur hoc exemplo tracto ex rebus mathematicis: „Supponuntur in his scientiis ea, quae sunt prima in genere quantitatis, sicut unitas et linea et superficies et alia huiusmodi. Quibus suppositis per demonstrationem quaeruntur quaedam alia, sicut triangulus aequilaterus, quadratum in geometricis et alia huiusmodi. Quae quidem demonstrationes quasi operativae dicuntur, ut est illud: Super rectam lineam datam triangulum aequilaterum construere. Quo adinvento, rursus de eo aliquae passiones probantur, sicuti quod eius anguli sunt aequales aut aliud huiusmodi. Patet ergo, quod triangulus primo modo demonstrationis se habet ut passio, in secundo se habet ut subiectum.“ [1]

Scholion 3. Si deinde quaeratur, quidnam de unoquoque praecognito cognosci a concludente debeat, imprimis certum est, de nullo praecognito praenoscendum esse id, quod de eo quis sit probaturus; id enim si iam cognosceretur, demonstrationis non indigeret. Verum de unoquoque praecognito accurate praecognosci debet quid nominis, ut sciamus, de quo agatur.

De praemissis praeterea praecognosci debet, quod sint, i. e. sintne verae; nam „esse“ alicuius propositionis est eius veritas. Id vero ut praenoscatur, requiritur, quia necessitas demonstrandae conclusionis aliam causam non habet, nisi praecognitam veritatem praemissarum.

De subiecto conclusionis, quod etiam datum vel suppositum vocari solet, sciri debet, sitne ens verum sive possibile. Nam in quaestionibus, quae poni solent, non attinet quaerere de proprietatibus rei fictae sive impossibilis. Fieri quidem potest, ut ipsa alicuius rei possibilitas trahatur in quaestionem; tum sane satis est, praenoscere definitionem nominis.

De praedicato conclusionis, quod etiam quaesitum vel interrogatum nuncupant, praeter „quid nominis“ requiritur nihil, quod praenoscatur. Eo enim, quod in conclusione praedicatum subiecto inesse probatur, illud esse satis demonstratur, quum inesse non possit, nisi sit.

392. **Demonstrationis principia**, si latius ea vox accipiatur, sumptiones omnes sunt sive praemissae, ex quibus conclusio deducitur. Pressiore autem sensu (ἀρχή) significat positiones eas, ex quibus demonstratio vim suam et necessitatem primo haurit: „Principia in suo quoque genere sunt illa, quae quum sint vera, tamen non convenit demonstrare in illa scientia, in qua sunt principia.“ [2]

---

[1] S. Thom. in l. 1 anal. post. lect. 1.

[2] S. Thom. in l. 1 anal. post. lect. 18.

Propterea „scientiae non argumentantur ad sua principia probanda[1], sed ex principiis argumentantur ad ostendendum alia in ipsis scientiis. . . . Sed tamen considerandum est in scientiis philosophicis, quod inferiores scientiae non probant sua principia, nec contra negantem principia disputant, sed hoc relinquunt superiori scientiae; suprema vero inter eas, scilicet metaphysica, disputat contra negantem sua principia, si adversarius aliquid concedit, si autem nihil concedit, non potest cum eo disputare, potest tamen solvere rationes ipsius."[2]

Scholion. Fieri igitur potest, ut declaratione opus sit, qua ostendatur, principia vera esse; „et hoc ideo, quia nihil est adeo verum, quin voce negari possit. Nam et hoc principium notissimum, quod non contingit, idem esse et non esse, quidam ore negaverunt."[3] Quocirca Aquinas laudat Aristotelem, quod diserte dixerit: Si aliqua scientia „tentet" probare principia communia; „quia philosophia prima non demonstrat principia prima, sunt enim indemonstrabilia simpliciter, sed aliqui errantes tentaverunt ea demonstrare. Vel etiam etsi non possunt demonstrari simpliciter, tunc philosophus primus tentat monstrare eo modo, quo est possibile, scilicet contradicendo negantibus ea, per ea, quae oportet ab eis concedi, non per ea, quae sunt magis nota. Sciendum est etiam, quod primus philosophus hoc modo non solum demonstrat ea, sed etiam aliquid de eis monstrat sicut de subiectis, sicut quod impossibile est, mente concipere opposita eorum."[4]

Quo autem potiora sunt principia, eo potior est demonstratio. Quae vero principiorum conditiones requirantur, ut demonstratio sit potissima, non semel describit Aristoteles. Atque hae conditiones a logicis hac serie enumerantur, ut principia sint vera, prima et immediata, sint conclusionis causae, priora, notiora, necessaria et ideo sempiterna, si ipsa praedicati cum subiecto connexio spectetur. Quibus de rebus ante expositum est satis. Requiritur praeterea, ut principia sint propria, i. e. neque a scientia, de qua dicitur, aliena, neque huic scientiae cum aliis disciplinis communia. Verum hac conditione indicatur perfectio, quae non omnino ad omne demonstrationis genus requiritur, sed si adsit, demonstrationi eam firmitatem dat, quae in scientia est expetenda. Ita posset quis *eruditionem esse aliquod bonum* inde probare, quod esset appetibilis; atque id recte quidem, non tamen acute satis. Sed hac de re mox.

Principia autem ad conclusionem aut actu pertinent, aut virtute tantum; et actu quidem, si ad probandum definite et directe adhibentur ut praemissae;

---

[1] Φανερὸν ὅτι οὐκ ἔστι τὰς ἑκάστου ἰδίας ἀρχὰς ἀποδεῖξαι· ἔσονται γὰρ ἐκεῖναι ἁπάντων ἀρχαί, καὶ ἐπιστήμη ἡ ἐκείνων κυρία πάντων. Καὶ γὰρ ἐπίσταται μᾶλλον ὁ ἐκ τῶν ἀνώτερον αἰτίων εἰδώς· ἐκ τῶν προτέρων γὰρ οἶδεν, ὅταν ἐκ μὴ αἰτιατῶν εἰδῇ αἰτίων. Ὥστ' εἰ μᾶλλον οἶδε καὶ μάλιστα, κἂν ἐπιστήμη ἐκείνη εἴη καὶ μᾶλλον καὶ μάλιστα. L. 1 anal. post. c. 9, 76 a, 16.

[2] S. Thom., Summ. theol. I. q. 1 a. 8.

[3] S. Thom. in l. 1 anal. post. lect. 16. [4] In l. 1 anal. post. lect. 19.

virtute autem, si pro natura ratiocinii vel pro rei indole, de qua quaeratur, supponuntur; ut est principium contradictionis vel identitatis. Generatim principia illa, quae vocantur rationis, per cognitionem non actualem, sed virtualem vel habitualem ad efficiendam conclusionem, quod suum est, tribuere solent: latent enim in mente per modum habituum (n. 95). Nunc de illis tantum dicendum, quae actu exhibentur.

393. Inter varias principiorum divisiones imprimis notanda est ea, qua distinguunt principia communia, propria, extranea. Quae enim loco principiorum ponuntur, aut ad omnem scientiam pertinent, ut est illud: *Ab aequalibus aequalia si demas, remanent aequalia,* et vocantur principia communia, sive principia ex quibus (fit demonstratio); aut ad speciale alicuius scientiae obiectum pertinent, et vocantur principia propria vel principia, circa quae (demonstratio versatur), in quo genere sunt definitiones[1], quae rei essentiam explicant; aut denique sunt hausta ex sola experientia, ita ut per se declarent contingentem tantum alterutrius extremi cum medio connexionem, et vocantur principia extranea. Propria igitur et communibus et extraneis opponuntur. Et scientia quaelibet, quae demonstranda sibi sunt proposita, ita efficit, ut a suis proficiscatur principiis propriis: communia autem principia omnes suum in usum convertunt[2].

Scholion. Principia communia eo efficiuntur propria, quod ad proprium alicuius scientiae subiectum contrahuntur. Ita principium, quod est commune: *Quae sunt eadem cum uno tertio, sunt eadem inter se,* fit proprium mathesis, si hoc modo circumscribitur: *Duae quantitates, quae cum eadem tertia conveniunt, conveniunt inter se.* Quam rem Aristoteles indicavit, quum diceret, principia communia accipi in unaquaque scientia „secundum analogiam"[3], i. e. „secundum quod sunt proportionata illi scientiae"[4]. Et est in perspicuis, principia communia in singulis disciplinis adhiberi non posse, nisi prius hoc modo propria effecta fuerint[5]. Principia igitur communia sunt causa remota, et principia propria sunt causa proxima scientiae[6].

---

[1] Ὁρισμὸς μὲν γὰρ τοῦ τί ἐστι καὶ οὐσίας· αἱ δ᾽ἀποδείξεις φαίνονται πᾶσαι ὑποτιθέμεναι καὶ λαμβάνουσαι τὸ τί ἐστιν, οἷον αἱ μαθηματικαὶ τί μονὰς καὶ τί τὸ περιττόν, καὶ αἱ ἄλλαι ὁμοίως. L. 2 anal. post. c. 3, 90 b, 30.

[2] Ita fere Bonitz, Comment. in metaph. p. 143.

[3] L. 1 anal. post. c. 10, 76 a, 35. In hunc modum dixit Aquinas: „Ea, quae sunt diversorum generum quasi generalissimorum, sunt diversa principia secundum rem, licet sint eadem secundum analogiam." Quaest. disput. q. 8 de malo a. 1 ad 13.

[4] Ita explicat S. Thomas i. h. l. lect. 18.

[5] Cfr. S. Thom. in l. 1 anal. post. lect. 43.

[6] Recte igitur Aquinas: „Iudicium debet sumi ex principiis propriis rei, inquisitio autem fit etiam per communia. Unde etiam in speculativis dialectica, quae est inquisitiva, procedit ex communibus, demonstrativa autem, quae est iudicativa, procedit ex propriis." Summ. theol. II. II. q. 51 a. 4 ad 2.

Neque praetereunda est divisio, qua dicunt principia esse aut per se evidentia, aut lemmata aut postulata. Lemma (n. 156) scimus esse id, quod ut probatum alibi sumi potest. Postulatum est aliquid, quod argumentanti aperte concedendum est.

Illa principia, quae ab interrogante ad aliquid problema solvendum proponuntur, problematis data vocantur, quae videndum semper est, utrum ad solvendum problema satis sint, necne.

394. Dividuntur quoque principia in analytica et synthetica sive experimentalia. Analytica alibi (n. 269) diximus esse ea, in quibus praedicatum ad essentiam definitionemve subiecti pertinet vel ab ea per rationem internam deducitur. Ea natura sua universalia sunt universalitate metaphysica; sunt necessaria, quia eorum oppositum nunquam nusquamque esse potest.

Principia analytica aut mediata sunt, aut immediata sive per se nota, i. e. ita nota, ut quis iis assentiri possit sine assensu praevio de quidditatibus sive subiecti sive praedicati. Potest autem principium per se notum esse tum quoad se tantum sive absolute, tum etiam quoad nos sive respective. Principium per se notum quoad se est illud, quod quidem praedicatum in ratione subiecti contentum habet, ita tamen, ut id a nobis non cognoscatur; vel ut philosophi dicunt, quod quidem ex parte sui significati priorem assensum non requirit, tamen ex parte nostrae ignorantiae. Per se notum quoad se et quoad nos est illud principium, in quo etiam nos cognoscimus, praedicatum in ratione subiecti contineri; vel, ut philosophi dicunt, quod neque ex parte sui significati neque ex parte nostrae ignorantiae priorem assensum requirit[1].

Scholion. Quae sint generatim propositiones per se notae, his fere regulis accuratius declarari potest[2]: 1. Propositio, in qua praedicatum est de essentia subiecti, est per se nota secundum se, etiamsi non omnis quoad nos. 2. Propositio, in qua proprietas prima praedicatur de subiecto, est per se nota secundum se et non quoad nos. 3. Propositio negativa, cuius aut utrumque aut alterutrum extremum continetur sub diverso praedicamento, est per se nota, non quoad nos. Idipsum quoque statui potest, quando negantur de re duae species proxime contentae sub eodem genere. 4. Omnis propositio identica est per se nota utroque modo. 5. Propositio, in qua praedicatur definitio essentialis de subiecto, aut aliqua pars vel prima proprietas de tota definitione, est utroque modo per se nota in suo genere. 6. Propositio negativa, cuius extrema sunt ambo primo diversa, est etiam utroque modo per se nota. 7. Propositiones disiunctivae constitutae ex partibus contradictoriis sunt utroque modo per se notae, etiamsi neutra pars per se nota est.

---

[1] Cfr. S. Thom., Summ. theol. I. q. 2 a. 1. Quaest. disp. q. 10 de verit. a. 12.
[2] Ita Conimbric. in l. 1 anal. post. c. 3 a. 3.

Positiones deinde, quae singularium disciplinarum sunt propriae et ideo principia propria vocantur, ut plurimum sunt per se nota quoad se tantum; unde a docentibus exponenda sunt, ut est illud Euclidis: *Duae lineae rectae non parallelae, si satis prolongentur et sunt in eadem planitie, tandem inter se occurrant necesse est.* Illa autem, quae ad scientiam generatim pertinent, et ideo principia communia vocantur, vix non semper per se nota sunt etiam quoad nos, ita ut expositionis non indigeant.

Atque etiam principiorum syntheticorum alia immediata sunt, mediata alia. Immediata sunt illa, quae nullo interveniente ratiocinio solam experientiam consequuntur, quae ad facta singularia tantum referri possunt. Mediata sunt illa, quae interveniente aliquo ratiocinio ad vim quandam universalem evehuntur; qua in re inductionem adhibendam esse scimus.

395. **Demonstrationis effectus, qui est scientia.** Voci scientiae vis duplex subicitur. Primo enim significat aliquam veritatem cognitam vel etiam quandam cognitarum veritatum collectionem, quae ad unam disciplinam pertineant, sive systema quoddam conclusionum demonstratarum; atque haec est scientia obiective spectata. Si intelligitur scientia subiective, in quadam cernitur intellectus dispositione veritatem cognoscentis. Et haec dispositio vel actualis est vel habitualis. Actualis est ipse actus, quo aliqua veritas cognoscitur; habitualis est permanens mentis post actualem cognitionem dispositio, qua fit, ut mens facile cognitionem actualem ante habitam revocare possit.

Sicut scientia obiectiva, ita etiam scientia subiectiva esse potest aut partialis aut totalis. Partialis refertur ad unius rei cognitionem; totalis est multiplex plurimarum rerum notitia, quae ad unam rem pertinent, quomodo *chimiam, physiologiam, anthropologiam* scientias dicimus. Hoc loco scientiam subiectivam spectamus et proxime quidem partialem attendimus (n. 4).

Scientia, si huius nominis significatio latissime accipitur, ad cognitionem quamlibet, ne opinione quidem exclusa, refertur. Paulo strictius si accipitur, est quaelibet cognitio certa, ut est experientia sensuum. Quodsi coarctatur magis, significat omnem cognitionem intellectualem certam et evidentem, sive ea est discursiva vel demonstrativa, sive intuitiva vel indemonstrabilis. Si vero scientia intelligitur stricte et proprie, indicat omnem et solam cognitionem demonstrativam. Si infra hanc vim magis etiam coarctetur, significat eam demonstrativam, quae speculativa est, exclusa practica. Arctissime demum accepta opponitur etiam „sapientiae", et eam solam cognitionem demonstrativam et speculativam significat, quae versatur in rebus cognoscendis per causas inferiores. Hoc loco vis vocis propria et stricta attenditur.

Licet nonnunquam scientia nominetur cognitio omnis, vel cognitio vera et certa, sive per demonstrationem comparata est, sive

per definitionem vel divisionem (n. 137), tamen usitatior est illa significatio, qua scientiam vocant eam cognitionem certam et veram, quae ex discursu demonstrativo deducta est. Atque hoc modo Aristoteles scientiam dicit „syllogismum, qui scire faciat, secundum quem, quia ipsum habeamus, rem sciamus“.

Haec, quam hoc loco intelligi volumus, scientia, quum sit cognitio certa ex discursu orta, ut est in homine, „aliquid perfectionis habet, et aliquid imperfectionis“. Ad perfectionem eius pertinet certitudo ipsius, quia, quod scitur, certitudinaliter cognoscitur; sed ad imperfectionem pertinet discursus intellectus a principiis in conclusiones, quarum est scientia; „hic enim discursus non contingit, nisi secundum quod intellectus, cognoscens principia, cognoscit in potentia tantum conclusiones; si enim actu cognosceret, non esset ibi discursus, quum motus non sit, nisi exitus de potentia ad actum“[1].

396. Diversa est scientia pro diversitate demonstrationis. Unde illa scientia perfectionem sibi convenientem omnino habet, quae ex „demonstratione propter quid“ nata est, quae definitur: cognitio certa, sive actualis sive habitualis, rei necessariae per propriam causam; vel: actus et inde ortus habitus intellectus verus, certus, evidens, rei necessariae per propriam causam. Dicitur verus, ut ab errore distinguatur; certus, ut ab opinione, et evidens, ut a fide distinguatur. Dicitur tandem rei necessariae per causam propriam, ut distinguatur tum ab alio quolibet actu habituve mentis non-demonstrativo, tum a demonstrativo improprio et minus legitimo, quo tantum scitur, quod sit res, non autem, propter quid sit.

Ut autem haec, quae est per causam, cognitio perfecta sit, ab Aristotele requiruntur tria[2]. Primo, ut cognoscamus causam proximam, ob quam res est, velut quum agatur de *lunae phasibus*, ut cognoscamus, diversas esse positiones respectivas solis, terrae, lunae. Secundo, ut cognoscamus, id reapse causam esse, sive rem ab hac causa in ordine ontologico pendere; si quis enim id cognoscit, quod est causa rei, nec deprehendit, id esse rei causam, is certe rem per causam non cognoscit; velut si quis positiones solis, terrae, lunae variabiles esse cognoscit, neque tamen cognoscat, inde oriri statas lunae vices. Tertio, ut cognoscamus, rem propter eam causam aliter se habere non posse, ita ut necessitas, quae insit in enuntiabili, nobis ex illa causa explicetur.

Et ex ipsa rei natura satis perspicitur, perfectionem scientiae in hoc sitam esse, ut sit eo, quo diximus, modo comparata per causam propriam.

Etenim perfectae scientiae est, ut rem repraesentet ita, ut est; est autem res per causam propriam; perfecta igitur scientia est, quae repraesentat rem a

[1] S. Thom., Quaest. disput. de verit. q. 2 a. 1 ad 4.

[2] L. 1 anal. post. c. 2.

causa propria pendentem. Accedit, quod homo per naturam suam rationalem invincibili propensione ad perscrutandas rerum causas inclinatur. Unde merito illa humana scientia perfecta putatur, qua illud detegendarum causarum desiderium in aliquo ordine, quam fieri potest perfectissime, expletur. Neque illud omittendum est, perfectae cognitionis esse, ut non solum praedicatum subiecto inhaerere cognoscatur, sed etiam apprehendatur, utrum mutabiliter inhaereat, an immutabiliter. Hoc autem, exceptis primis per se notis principiis, cognosci non potest, nisi per cognitam causam illius inhaesionis.

Scholion. Si de causis huius scientiae quaeritur: causa finalis est animae rationalis perfectio et ornatus; causa efficiens praecipua est intellectus vel ratio; instrumentalis proxima autem est demonstratio; remota est usus variarum facultatum vitae cognoscitivae a natura datus atque consuetudine et arte perfectus. Causa formalis ipsa scientiae definitione exhibetur. Causa materialis duplex est: „causa in qua" intellectus est vel anima intellectu praedita; „causa circa quam" est obiectum scientiae.

397. Obiectum scientiae in propositione sive conclusione obiective spectata reperitur, et est ipsa praedicati cum subiecto connexio. Hoc conclusionis subiectum etiam subiectum scientiae est. Et quoniam scientia est cognitio rerum per causas reales, subiectum scientiae proprium et perfectum ens reale esse debet. Si igitur scientia est de ente, quod reale non est, est impropria et indirecta, quatenus eiusmodi ens ad ens reale refertur, quemadmodum scientia esse potest de *tenebris,* de *vacuo,* de *caecitate,* de *nihilo.*

Subiectum scientiae, si de scientia proprie dicta immutabili agitur, semper ut universale quiddam considerari debet et necessarium, saltem hypothetice.

Et de necessitate quidem res evidens est. Universalitatem autem quod attinet, observandum est, scientiam proprie dictam de solis praedicatis esse posse, quae immutabiliter cum suis subiectis coniuncta sunt. Sed illa tantum immutabiliter cum aliqua re coniuncta sunt, quae aliqua ratione ad rei essentiam spectant. Quae autem ad essentiam rei spectant, ita universaliter in re omni reperiri debent, ut nihil esse possit habens eam essentiam vel substans illis rationibus universalibus, de quo illud praedicatum dici non debeat.

De singularibus igitur non est scientia proprie dicta, nisi quatenus subsunt rationibus ex se universalibus, i. e. quae compluribus communes sunt, aut saltem esse possunt.

Scientia autem vi vocis latiore, qua significat cognitionem omnem certam et claram, sine dubio etiam ad res singulares et variabiles pertinet. Ita ethnographiae, geognostiae, astronomiae dignitas scientiae deneganda non est, quum praesertim unaquaeque ex his disciplinis subiectum suum eiusque affectiones consideret, ut subest rationibus universalibus.

Et haec de subiecto scientiae sive de re, de qua aliquid sciri potest. Reliquum est, ut, quaenam de subiecto hoc sciri pos-

sint, breviter indicetur, quae quidem alteram partem obiecti scientiae constituunt et in conclusione locum praedicati tenent. Ex iis, quae ante de demonstratione dicta sunt, intelligitur, praedicatum in ea scientia, quae ex demonstratione potissima nascatur, necesse esse, ut sit ea proprietas, quae immediate ab essentia rei deducitur. Sed quia etiam reliquae proprietates in essentia sui causam habent, ad proprietates omnes scientia pertingere potest.

398. Quum quinque sint mentis habitus, quorum distinctio supra (n. 129) paucis explicata est, hoc loco diligentius exponendum videtur, quo pacto scientia ab intelligentia et sapientia differat. Discrimen enim scientiam inter et prudentiam artemque per se satis apertum est.

Sapientiam Aristoteles in illo nobilissimo cognitionis genere posuit, quod scientiae simul et intelligentiae vim haberet, quodque in causis ultimis et altissimis rerum principiis versaretur (n. 5). Ex quo elucet, sapientiam in uno simplici actu vel habitu non concludi, sed esse unum quid per aggregationem, ex multiplici constans notitia multarum conclusionum et ex multiplici intelligentia multorum principiorum, in quo sapientia quum ab intelligentia differt, tum ab hac demonstrativa scientia, quae sunt actus vel habitus simplices. Adde, quod ad scientiam quamvis intelligentia principiorum sit necessaria, ad eam tamen non pertinet. Quum autem sapientis sit, non solum conclusiones scientiales tenere, sed etiam altissima et generalissima principia contemplari, haec principiorum intelligentia ad ipsam sapientiam pertinet[1].

Intelligentia vero, quam notitiam primorum principiorum esse diximus, duplici ratione accipi potest. Primo quidem et maxime illa principia spectat, quae simpliciter et absolute prima sunt, ut principia metaphysica. Secundo autem et etiam proprie ad illa pertinet, quae in unoquoque genere scientiae prima sunt, ut sunt principia *geometriae, physicae,* quae nihil aliud sunt quam axiomata quaedam generalia.

Quibus ex omnibus discrimen triplex constituitur. Primo intelligentia primorum principiorum est, scientia conclusionum, sapientia altissimorum principiorum simul et conclusionum. Deinde intelligentia praecedit, scientia sequitur, ultimo accedit sapientia, quae utramque perficit. Intelligentia tandem ex naturali lumine ut plurimum sine discursu, scientia ex demonstratione, sapientia ex utroque nascitur.

§ 2.

De argumentatione dialectica sive probabili.

(Quae dicitur pars logicae inquisitiva vel inventrix.)

399. Huius argumentationis notio et definitio. Argumentationem dialecticam etiam probabilem vocant vel topicam. Dialectica vocatur propter modum disputandi per interrogationes et responsiones, in quo apparet illa, quae ipsi subest disquirendi et tentandi

[1] Cfr. Suarez, Disput. met. d. 1 s. 5 n. 7—13.

ratio; probabilis, quia ex praemissis procedit probabilibus, quae accipiuntur ut verae ex hypothesi[1]; topica, quia in hoc negotio peculiari ratione de „locis“ agendum est, unde argumenta sive argumentationis media trahantur.

Et sicut Aristoteles de demonstratione agens eam semper demonstrationis speciem prae oculis tenuit, quae perfecta est, ita in hac, de qua nunc quaeritur re, semper illud solum argumentandi genus intelligit, quo ex sese nec maior nec minor in mente gignatur ad rem adhaesio, quam quae opinio (n. 130) vocanda est.

Neque tamen putandum est, animum in hoc dialectico argumentandi genere in opinione sistere, neque ulterius niti ad scientiam. „Opinio enim ex syllogismo dialectico causata est via ad scientiam, quae per demonstrationem acquiritur; qua tamen acquisita, potest remanere cognitio, quae est per syllogismum dialecticum, quasi consequens scientiam demonstrativam, quae est per causam; quia ille, qui cognoscit causam, ex hoc etiam magis potest cognoscere signa probabilia, ex quibus procedit dialecticus syllogismus.“[2] Quodsi in multis rebus ad scientiam perveniri non possit, opinio certe perfici et intendi potest. Illud enim omnino tenemus, inter scientiam perfectam et opinionem perfectam quam plurimas interiacere animi assentientis affectiones, quae in usu et vitae consuetudine vix non semper occurrunt, de quibus quid sentiendum sit, facilius multo statuetur, postquam de opinione dialectica absoluta fuerit disputatio.

Recte igitur argumentatio dialectica definitur, ut sit ea, quae ex utraque vel alterutra praemissa probabili conclusionem pariat; et argumentum dialecticum: probabile inventum ad efficiendam per se opinionem tantum, sive id, quod cum utroque vel saltem alterutro termino quaestionis verisimiliter connectitur, ex quo quidam assensus rei probatae gignitur, non tamen per se necessarius. Qua re syllogismus dialecticus a demonstrativo differt, in quo, ut vidimus, argumentum cum utroque termino quaestionis necessarium nexum habet[3].

---

[1] Distinguit Aristoteles argumentationem, quae procedat ostensive, et quae ex hypothesi (δεικτικῶς ἢ ἐξ ὑποθέσεως [l. 1 anal. prior. c. 23, 40 b, 25]); syllogismum apodicticum sive ostensivum procedere docet ex principiis in se certis et firmis, illum autem, qui ex hypothesi arguat, opinando utramque contradictionis partem accipere (l. 1 anal. post. c. 2, 72 a, 19): „Et haec positio suppositio (hypothesis) dicitur, quia tamquam veritatem habens supponitur.“ S. Thom. i. h. l. lect. 4.

[2] S. Thom., Summ. theol. III. q. 9 a. 3 ad 2.

[3] Si vim certitudinis spectes, dialectica quodammodo media est inter demonstrationem et artem rhetoricam: „Ponuntur dialectica, rhetorica et physica secundum tres modos procedendi in scientia, quorum unus est per demonstrationem ad scientiam causandam, quod pertinet ad physicam (ut sub physica intelligantur omnes scientiae demonstrativae). Alius modus est ex probabilibus

Scholion 1. Sicut igitur conclusiones certae et evidentes principiis ex se evidentibus nituntur, ita conclusiones probabiles ex principiis probabilibus fluant necesse est. Quae principia maximas vocari scimus (n. 156), quasi plus quam maiores, quia earum quaelibet complures sententias magis particulares continet, quae ad arguendum sunt utiles; velut quum ex principio proficiscitur, *id, quod plurimi eorum, qui in aliqua arte sint periti, verum dicant, verum esse;* vel: *quod magis naturae subiecti convenire videatur, id ipsi potius inesse, quam oppositum;* vel: *quod quis testetur sine utilitate, quam ex mendacio sperare possit, id vere contigisse;* vel: *quod in uno similium valeat, valere etiam in ceteris;* vel: *id, quod omnia alicuius generis phaenomena commode explicet, verum esse;* vel: *praeteritum futuri magistrum esse.*

Scholion 2. Ea sunt probabilia, ut fusius exponit Boethius[1], quibus sponte atque ultro consensus adiungitur, quae, ubi primum audita sunt, illico quamdam sibi approbationem pariunt. Cuiusmodi sunt ea, quae videntur omnibus, vel saltem plurimis, vel doctis. A natura enim ita comparati sumus, ut ad his assentiendum inclinemur. Si quis igitur cognoscere velit, *sitne anima humana immortalis*, et in hac re vulgari tantum prudentium et proborum hominum consensu nitatur neque tamen ullam addat ea de re demonstrationem, is argumentationem conficiet tantum probabilem. Si autem hac probabili cognitione adductus ipsam animae naturam scrutetur atque inde ex principiis certis animae immortalitatem demonstret, is argumentationem instituet necessariam.

400. **Argumentationis probabilis usus.** Non est ulla argumentatio, quae in quotidiana vitae consuetudine occurrat saepius, quam haec probabilis[2]. In multis enim vel plurimis rebus, quae ad commercium vitae humanae et artes utiles, immo ad disciplinas nobilissimas spectant, nulla a nobis demonstratio effici potest. Quibus igitur in rebus nihil aliud relinquitur, nisi ut contenti simus ea, quae haberi potest, probabilitate sequamurque id, quod inter plura est probabilius. Praeterea ad tria utilem esse hanc tractationem dixit Aristoteles: ad exercitationem, ad congressus, ad comparandam scientiam philosophicam[3]. Generatim a Peripateticis

---

ad opinionem faciendam, quod pertinet ad dialecticam. Tertius modus est ex quibusdam coniecturis ad suspicionem inducendam vel ad aliqualiter persuadendum, quod pertinet ad rhetoricam." S. Thom., Summ. theol. II. II. q. 48 a. 1.

[1] De diff. top. l. 1 p. 861 sqq.

[2] Hac de re Bossuet: „Ce genre d'argument est le plus fréquent dans la vie; car, les pures démonstratives ne regardent que les sciences. L'argument vraisemblable ou conjectural est celui qui décide les affaires, qui préside, pour ainsi parler, à toutes les délibérations. Il est donc d'une extrême importance d'apprendre à bien faire de tels raisonnements, sur lesquels est fondée toute la conduite . . ." Logique l. 3 c. 17.

[3] „Quod igitur ad exercitationem sit utilis, ex his perspicuum est, quoniam hanc methodum habentes facile de omni re proposita poterimus argumentari. Ad congressus autem, quia multorum opinionibus enumeratis, non ex alienis, sed ex propriis singulorum sententiis cum eis agere poterimus, refel-

dialectica ad veritatis inventionem refertur, sicut demonstratio ad eius probationem. „In speculativis alia rationalis scientia est dialectica, quae ordinatur ad inquisitionem inventivam, et alia scientia demonstrativa, quae est veritatis determinativa.“ [1]

Quantae autem utilitatis ad comparandam ipsam scientiam sit id argumentationis genus, is sine difficultate perspiciet, qui naturam humani ingenii vel obiter consideraverit. Nam quum homo non statim veritatem unico intuitu perspicere possit, sed ab usu sensuum incipiens et per auctoritatem alienam ductus ulterius ex multis vestigiis et per multa ratiocinia eam attingat, necesse est, ut gradatim per cognitiones multas et minus perfectas ad cognitionem perfectiorem perveniat [2].

Qui igitur alicuius rei scientiam sibi comparare vult, is initio inquirat oportet, quid in ea re verisimile sit. Sunt autem verisimilia, quae videntur omnibus vel plurimis vel sapientibus atque his vel omnibus, vel plurimis vel spectatissimis; sic omnibus *videtur obsequium amicos conciliare*, compluribus, *par pari referendum:* sapientibus omnibus, *bona animi bonis corporis anteponenda esse.* Et multa etiam facta singularia accidere possunt, quae singulatim accepta probabilitatem pariant; coniuncta tamen mentem ad comparandam certitudinem disponant. Etsi enim argumenta probabilia ex se solam opinionem bene fundatam pariunt, eorum tamen connexio aliquando ex accedente aliquo ratiocinio certo certitudinem proprie dictam in mente nostra efficere potest. Et haec, quae diximus, satis sunt, ut intelligatur, iure dialecticam „vestibulum scientiae“ nominari. Dialectica, quum internas causas rerum, in quarum cognitione scientia cernitur, ipsa non ingrediatur, sed auxilia tantum ad causas inveniendas paret, quasi faciem exteriorem, τὰ ἔξωθεν scientiae exhibet; demonstratio autem, quae ipsas rerum causas aperiat, velut domum interiorem, τὰ ἔσωθεν scientiae constituit.

Neque omittendum est, per argumenta dialectica posse etiam veritati iam demonstratae multas addi rationes probabiles, quibus res demonstrata humano ingenio ex se vago et volubili ponatur confirmatius suadeaturque vehementius.

---

lentes, quod non recte dicere nobis videbuntur. Ad philosophicas autem scientiae disciplinas, quia, quum poterimus in utramque partem dubitare, facile in singulis perspiciemus verum et falsum. Praeterea ad prima cuiusque scientiae principia. De his enim ex propriis propositae scientiae principiis nihil dici potest, quia sunt prima omnium principia. Sed de iis, quae in singulis probabilia sunt, necesse est de iis dicere. Hoc autem vel est proprium vel maxime peculiare dialecticae. Quum enim sit indagatrix, ad scientiae omnis principia viam continet.“ L. 1 topic. c. 2, 101 a, 25 sqq.

[1] S. Thom., Summ. theol. II. II. q. 51 a. 2 ad 3. Et his principiis Aristotelicis institit Wolff, quum scriberet: „Hypothesibus philosophicis in philosophia locus concedendus, quatenus ad veritatem liquidam inveniendam viam sternunt.“ Log. disc. prael. § 127.

[2] S. Thom. in l. 1 ethic. lect. 2.

Itaque intelligendum est, in his, quae dicturi simus, non solum praecipi ea, quae ad pariendam per rationes probabiles opinionem sint idonea, verum etiam ea, quae ad inveniendam firmam et certam de rebus cognitionem ducere possint. Qua in re ARISTOTELEM sequimur, qui in topicis non tantum probabilium, sed etiam necessariorum argumentorum locos communes tradidit.

401. **Theoria ponendarum quaestionum universe exponitur.** Quum dialectica pro natura sua sit scientiae comparandae quasi vestibulum (τὰ ἔξωθεν), et omnis de scientia inquisitio a quaestione exordia petat, hoc loco, quae sit generatim quaerendarum rerum ratio, paulo enucleatius dicendum est[1].

Omne philosophandi initium in admiratione positum esse, PLATO primus claris verbis edixit, atque id omnium hominum experientia est comprobatum. Miratur autem homo, quum phaenomenon percipit, cuius causam ignorat. Admirationem quaestio naturaliter sequitur. „Quaestio, ut est apud ALBERTUM MAGNUM, fit ex admiratione, et ideo excitat ad inquirendam causam in eo, quod demonstrabile est; ideo conveniens est, incipere a quaestione, ex qua incipit philosophari omnis recte inquirens per philosophiam.“ [2]

Quaestio igitur est oratio enuntians aliquam veritatem inveniendam vel demonstrandam. Quum quaestio secundum formam interrogationis rem inveniendam enuntiat, retinet nomen quaestionis; quum enuntiat secundum formam propositionis rem demonstrandam, nominari solet thesis vel conclusio. Quaestio igitur et conclusio non re, sed ratione tantum differunt[3]. Revera enim quaerimus, ut sciamus; unde id, quod quaeritur, et quod postea per argumentationem scitur, unum idemque sit necesse est. Ex quo illud etiam efficitur, ut tot quaesita sint quot scita[4].

---

[1] Inter dialecticum et eum, qui demonstrat, eo modo distinguit ARISTOTELES (in l. 1 anal. post. c. 11), quod, ut dicit Aquinas, „dialecticus non procedit ex aliquibus principiis demonstrativis neque assumit alteram partem contradictionis tantum, sed se habet ad utramque. Contingit enim, utramque vel probabilem esse, vel ex probabilibus ostendi, quae accipit dialecticus, et propter hoc interrogat. Demonstrator autem non interrogat, quia non se habet ad opposita. Et haec est differentia utriusque, quae posita est his, quae de syllogismo sunt.“ In l. c. cit. lect. 19.

[2] L. 2 anal. post. tract. 1 c. 1.

[3] „Est autem idem secundum substantiam enuntiatio, propositio, interrogatio, conclusio. Sed dicitur enuntiatio, secundum quod significat simpliciter, aliquid esse vel non esse; interrogatio, secundum quod sub dubitatione proponitur; propositio, secundum quod sumitur ad alterius probationem. Conclusio vero, secundum quod ex aliis probatur.“ S. THOM., Opusc. de Logic. Arist. c. 15.

[4] Ita ARISTOTELES l. 2 anal. post. c. 1.

402. Ea autem, quae de aliqua re quaeri possunt, ab Aristotele et antiquis eius interpretibus ad quattuor genera sunt revocata: an sit res (εἰ ἔστι), quid sit secundum essentiam (τί ἐστι), quid in re insit vel eveniat praeter essentiam (τὸ ὅτι), ex quibus causis id insit rei, et ipsa res sit (τὸ διότι)[1].

Scholion. Aliqui posuerunt quaestionem quadruplicem hoc modo: an res sit, quid sit, an propositio sit vera, cur sit vera. Alii tot quaestiones ponendas esse dixerunt, quot essent categoriae. Alii aliter. Quibus omnibus ab Alberto Magno responsum est, quaesita et scita, si circa res vel in seipsis spectatas, vel ad conceptus mentis nostrae relatas versentur, alia et multo plura esse posse illis quattuor a Stagirita positis; at vero si quaesita et scita „secundum formam" considerentur, sive secundum diversos modos, quibus res sciri vel quaeri possent, illa neque alia esse, neque plura quam illa quattuor ab Aristotele indicata[2]. Illud igitur tantum doctrina Aristotelis praecipitur, ut quattuor sint modi quaerendi et sciendi generaliter accepti, non vero quattuor tantum res, quae sciri et quaeri possint. Unde Scotus: „Quaestiones acceptae in generali sunt aequales numero his, quae vere scimus in generali, et sic est propositio vera."[3]

Sicut quaestionem „an sit" naturaliter subsequitur altera, qua quaeritur, „quid sit"; ita tertia, qua quaeritur, „qualis res sit", inducit quartam, quae est de rei causa. Quod Albertus Magnus sic expressit: „Sicut in quaestione ‚propter quid' perficitur scientia quaestionis ‚quia', sic in scientia quaestionis ‚quid est', perficitur scientia quaestionis ‚si est' vel ‚an est'."[4]

Itaque quaestiones illae ita inter se coniunctae sunt, ut prima sit principium secundae, et secunda sit perfectio primae, et tertia sit principium quartae, et quarta sit perfectio tertiae[5].

---

[1] L. 2 anal. post. c. 1. De voce διότι Trendelenburg: „Διότι si in hoc usu latine reddi solet ‚cur', in angustias cogitur. Neque enim solum, ut e positis Aristotelis exemplis apparet, agendi spectat consilium et finem, in quo quidem ‚cur' versatur, sed etiam causam, qua tamquam efficiente res nascitur, ita ut duplicem vim amplectatur, nec minus ‚unde' quam ‚cur' intelligi debeat." Elem. Logik § 15 p. 77.

[2] I. h. l. tract. 1 c. 1. [3] I. h. l. q. 1 n. 3.

[4] In hunc locum c. 2. — Eadem de re Aquinas: „Quandoque habemus ‚quia' in nostra cognitione, et quaerimus adhuc ‚propter quid'; quandoque autem simul manifesta sunt nobis utraque. Tertium autem impossibile est, ut scilicet prius cognoscat aliquis in aliqua re ‚propter quid', quam ‚quia'. Et similiter est de eo, ‚quod quid erat esse'; quia aliquando scimus rem esse, nec tamen perfecte scimus, ‚quid sit', aliquando autem simul scimus utrumque. Sed tertium est impossibile, ut scilicet sciamus ‚quid est', ignorantes ‚si est'." In l. 2 anal. post. lect. VII.

[5] Cfr. Sanseverino, Log. Vol. III. p. 180.

Inter quaestionem „an sit res" et quaestionem „qualis sit res", ea statuta est diversitas, ut prior quaestio fiat simpliciter, haec autem secundum quid sive ex parte (ἐπὶ μέρους). Hac de re TRENDELENBURG: „Aut universa res in quaestionem vocatur, quo pertinet εἰ ἔστι, τί ἐστι, aut re ipsa posita, actiones et effectus explorantur, quo pertinet ὅτι, διότι." [1]

403. Ordo autem ponendarum quaestionum is est, ut, si ipsa rei existentia, de qua post indicatum declaratumque nomen quaeritur, primo ponatur quaestio „an sit". Postquam autem rem esse inquisitione est patefactum, de ipsa rei essentia sua quasi sponte quaestio oritur. „Quaestio ‚quid est' sequitur quaestionem ‚an sit'." [2] Post solutam hanc secundam de quidditate quaestionem oritur quaestio „qualis sit", sive ut veteres dicebant, „quia est", qua quaeritur, quid rei inhaereat vel adiciatur: „Exemplum autem quaestionis ‚quia est', inquit B. ALBERTUS, est, quando quaerimus, utrum sol deficit, aut non; tunc enim quaerimus, an tale praedicatum insit tali subiecto." [3] Tertiam sequitur quarta, de qua ALBERTUS: „Quum sciamus ipsum ‚quia', tunc statim, ut dicit AVICENNA, agoniamur (i. e. vehementer sollicitamur vel angimur) et admiramur, quae sit causa, quod tale praedicatum inest tali subiecto, sicut scientes, quia deficit sol, vel quia movetur, et tremit terra, quaerimus, propter quid deficit sol, et propter quid tremit vel movetur terra." [4]

Et duae quidem priores quaestiones ad subiectum spectant, posteriores duae ad praedicatum. Quaestiones, quae ad subiectum pertinent, sunt simplices, quia versantur in eo, quod cum subiecto unum idemque est. Quaestiones autem, quae ad praedicatum spectant, sunt compositae, quia, ut dicit Aquinas, quaestio est de compositione duorum, i. e. alicuius affectionis cum subiecto, cui affectio inhaeret. Unde ad quaestiones priores respondetur enuntiatione simplici, qua significatur, rem existere, vel id, quod existat, esse hoc vel illud; ad quaestiones autem duas posteriores enuntiatione, quam dicunt de tertio adiacente, in qua praeter subiectum et copulam continetur tertium, quod subiecto adiici dicitur.

404. Recte a veteribus est observatum, quaestiones „an sit res" et „qualis sit", et quaestiones „quid sit" et „unde sit", ad unicam quaestionem revocari posse. Et primo, quod ad quaestionem

---

[1] Elem. Logik § 15.

[2] S. THOM., Summ. theol. I. q. 2 a. 2 ad 2. Neque praetereundem, quod alio loco observat Aquinas: „Quod ‚quid' non solum quaerit de essentia, sed quandoque etiam de supposito (ut: quid est id, quod natat in mari [?] piscis). Et sic ad ‚quid' respondendum est per nomen personae." Quaest. disput. q. 9 de pot. a. 4 ad 1.

[3] I. h. l. [4] I. l. c.

„an sit res" et „qualis sit" spectat, manifestum est, ambas ad unicam redire, in qua **existentia** rei respiciatur; utraque enim circa hanc rei existentiam versatur, et prima quidem simpliciter, altera autem secundum partem (ἐπὶ μέρους)[1]. Est deinde in perspicuis, etiam quaestiones „quid res sit" et „unde sit", intimo nexu inter se colligatas esse. Postquam enim, „quid sit res", accurate cognoveris, rei causa semetipsam aperiet atque etiam quid causae ipsi rei ascribendum sit, ut aliqua affectio vel eventus aliquis in ea acciderit[2]. Et contra, si quis noverit, unde res sit, facile is ad cognoscendam rei essentiam adducetur. Velut quum quis oculo viderit, lunam deficere, huius rei experientiam quidem habet, nescit tamen, quid sit lunae defectus. Quum autem noverit, causam huius defectus in interpositione terrae reperiri, iam etiam scit, lunae defectum esse luminis privationem interpositione terrae factam. „Sic ergo, ait Aquinas, ‚quid est' et quaestio ‚propter quid' redeunt in idem subiectum, quamvis differant ratione."[3]

Et haec, de qua dicimus, quaestionum coniunctio etiam in eo cernitur, quod prima „an sit" et tertia „qualis sit" experientiam spectant; secunda autem „quid sit" et quarta „unde sit" scientiam ipsam. Quoniam experientia via est ad acquirendam rerum scientiam, duae illae quaestiones circa ea versari dicendae sunt, quae viam parant ad scientiam.

Scholion. Quum tanta sit harum quaestionum connexio, mirum esse non potest, eas ab aliis alio modo ad pauciores reductas esse. Ita Clemens Alexandrinus tria quaestionum genera numerat: „an res sit", „quid sit", „quid rei accidat"; vel alio loco: „an sit", „quid sit", „propter quid sit"[4]; S. Augustini aetate numerabantur tria haec: „an sit", „quid sit", „quale sit"[5]. Albertus Magnus quaestiones quattuor ad duas revocari posse docuit, ad quaestionem: „si est" et „quid est"; quia, inquit, quaestiones „si est" et „quia est" ad idem quaesitum; et „quid" et „propter quid" ad idem referuntur[6].

405. Vix opus est animadvertere, saepissime in disquisitione philosophica evenire, ut non necesse sit ponere de aliqua re quae-

---

[1] Id B. Albertus his verbis concepit: „Quaestio ‚quia' et quaestio ‚an sit' sive ‚si est', in idem quaesitum referuntur non differens substantia vel subiecto, sed differens secundum Esse tantum, quod scilicet quaesitum partitum (ἐπὶ μέρους) quaeritur per quaestionem ‚quia'. Simpliciter et non partitum quaeritur per quaestionem ‚si est'. Istae ergo duae quaestiones sunt circa idem quaesitum." In loc. cit.

[2] In hac re summopere cavendum est, ne affectiones eventusque, quae in rebus accidere videamus, explicanda esse putemus ex solis ipsarum rerum essentiis. Quidquid enim in hoc mundo aspectabili evenit, a multarum causarum conspiratione efficitur.

[3] In l. 2 anal. post. lect. 1. [4] L. 8 strom. c. 6.

[5] L. 10 Confess. c. 10. [6] In loc. cit. c. 3.

stiones omnes quattuor. Si enim et rem esse novimus, et quid res sit, et quid in re fiat, reliquum est, ut quaerantur tantum huius eventus causae.

In disciplinis mathematicis, quum intellectus rem, quam inquirit, intrinsecus inveniat, simul cognoscit rem esse, et quid res sit, et qualis res sit, et unde sit. „In paucis, inquit Trendelenburg, τὸ διότι et τὸ ὅτι simul apparent, quod tum evenire potest, quum mens, veluti in mathematicis construendi facultatem, causam ita possidet, ut secum rem ipsam gignat. Quoniam vero τὸ διότι in eo cernitur, quod τὸ τί ἐστι plane evolvitur, fieri non potest, ut τὸ διότι intelligatur, τὸ ὅτι dubitetur.“ [1]

In disciplinis autem naturalibus is inter quaestiones ordo tenendus est, ut fere in omnibus τὸ ὅτι certae viae, qua ad τὸ διότι perveniatur, sit principium. Nam in huius generis scientia, quum existentia obiecti ex se manifesta sit, quaestioni εἰ ἔστι non est locus. Quaestio autem τί ἐστιν solvi non potest nisi ex soluta quaestione τὸ ὅτι. Atque id sibi voluit Aristoteles, quum quaestionem „quale quid sit“ statueret esse principium omnis scientiae, eum arbitratus, qui hanc quaestionem solutam haberet, facile iam principia perspicere posse, ex quibus etiam quaestio τὸ διότι solvi posset [2]. Atque hunc quaestionum ordinem, a se praeceptum in libris logicis, ipse Aristoteles in omni scientia naturali diligenter adhibuit, ut prius τὸ ὅτι, i. e. facta, quae circa rem propositam occurrerent, exponeret, ad investigandum deinde τὸ διότι, i. e. factorum rationes et causas progressurus [3].

406. Quaecunque autem de re aliqua ponitur quaestio, semper ea quam accuratissime circumscribenda est.

Id autem efficietur, si primo vis vocabulorum diligenter definiatur. Omnis enim, ut est apud Tullium, quae a ratione suscipitur de re aliqua institutio, debet a definitione proficisci, ut intellegatur, quid sit id, de quo disputetur. Variae deinde, si multiplex est quaestio, partes aliae ab aliis dividendae sunt. Reiectis porro iis omnibus, quae ut evidenter vera, aut certo falsa sint, aut a re, de qua agatur, aliena, inutilia prorsus sunt et nequidquam argumentis subiicerentur, his, inquam, reiectis quaestio proposita, quam fieri potest terminis apertissimis et simplicissimis, exprimenda est. Quibus omnibus absolutis quaestionis partes, quae remanent, rite disponendae sunt, ita ut primo eae partes expendantur, quarum probatio a probandis aliis supponitur [4]. Cuius rei hoc ponatur exemplum, ut quaeratur, *sitne anima humana immortalis.* Definienda igitur primo immortalitas. Immortalitatem divides in incorruptibilitatem substantiae et durationem perpetuam vitae. Distingues immortalitatem internam

---

[1] Elem. Logik § 61.

[2] L. 1 ethic. Nicom. c. 2. Cfr. S. Thom. in h. l. lect. 4.

[3] Huius rei ponamus exemplum ex capiti primo libri de incessu animalium, in quo postquam primo eventus sive facta indicavit, quorum causas investigaturus erat, haec addit: „De omnibus his, et quaecunque istis sunt cognatae, perscrutandae sunt causae; contingere enim ea hoc modo, ex naturali historia (sive investigatione) palam est; quam ob causam contingant, nunc est investigandum.“ L. 1 c. 1, 704 b, 9.

[4] Ita fere Storchenau, Institut. log. p. 220.

ab ipsa re exortam, et externam in eo sitam, quod Deus animam intrinsecus immortalem non sit destructurus. Immortalitatem internam unam videbis esse, quae, quum absoluta cum necessitate rei conveniat, essentialis sit et soli Deo conveniat; aliam esse, quae ex simplici viventis natura necessario oriatur; tertia, quae per miraculum a Deo omnipotenti gratuito alicui naturae donari possit. Sed quum neque de prima, neque de tertia sermo esse possit, quando a philosopho quaeritur de animae humanae immortalitate, has mittes, secundam retinebis, ut ad quaestionem pertinentem, huicque immortalitatem externam adiunges. Et quaestio erit, sitne anima humana ex natura sua incorruptibilis et immortalis et reapse post mortem superstes in perpetuum. Cuius conclusionis quo ordine partes sint disponendae, in promptu est.

407. **Quot sint quaestiones dialecticae.** Sicut ipsa dialectica vi vocis duplici, pressiore et latiore, ita etiam nomen quaestionis dialecticae duplici ratione accipitur. Quaestio dialectica vi vocis arctiore sola probabilia sectatur exclusis necessariis; haec enim quaestionis demonstrativae sunt. Voce autem latius patente quaestio dialectica demonstrativam non excludit, sed sub se comprehendit, quum ad veritatem rerum necessariam non tam aperte attenditur.

Generatim dialecticae apud philosophos id muneris praecipuum est, ut viam paret ad quaestionem τί ἐστιν et διότι, quae quaestiones, quum in essentia causisque rei versentur, propriae sunt demonstrationis sive scientiae. Via autem ad has quaestiones sternitur quaestione τοῦ ὅτι, qua quaeritur, qualis sit res, sive quae affectio vel qui eventus in re insit. Atque haec est, quae magis ad dialecticam pertinet quam reliquae; qua quaeritur, utrum aliquid alicui insit, et de hoc praedicari possit, necne. Ex quo apparet, tot esse genera quaestionum dialecticarum, quot sint modi, secundum quos aliquid alicui rei insit sive de eo praedicari possit.

Inest autem aliquid alicui aut ut definitio, aut ut proprium, aut ut genus, aut ut accidens.

Quidquid enim alicui subiecto attribuitur, aut est eiusdem extensionis, ita ut subiectum et attributum inter se reciprocari possint, aut attributum latius patet. Si prius contingat, aut illud attributum, quod aequale est, simul subiecto essentiale est, et definitionem habes, aut non est essentiale subiecto, et proprium vocatur. Si posterius, i. e. si non est eadem subiecti et attributi extensio, aut attributum est subiecto essentiale, et est genus vel etiam differentia, quatenus per modum generis de pluribus praedicari potest; aut attributum non est essentiale subiecto, et est accidens. De specie autem quaestio institui non solet, quippe quum potius ad subiectum pertineat, de quo quaeratur, non autem ad praedicatum, quod in quaestione versetur.

Est autem in hac re retinendum id, quod Aristoteles, postquam has quattuor quaestiones iudicavit, adiunxit: „Nemo autem, inquit, nos dicere existimet, horum unumquodque per se problema esse sive propositionem; sed ex his

problemata et propositiones nascuntur."[1] Non igitur ullius ex quattuor illis vocibus in ipsa quaestione mentio incidet, ita ut quaeratur, *sitne motus terrae circum solem accidens terrae;* vel: *sitne capacitas extensarum rerum motuumque definitio spatii;* sed quaerendum erit, *moveaturne terra circum solem;* vel: *sitne spatium capacitas extensarum rerum motuumque.* Et omnis, quae hoc modo de rebus institui potest, quaestio dialectica, in aliquo vertetur ex illis quattuor quaestionum generibus[2].

Scholion. Vetat Stagirita ponere quaestiones impias, vel manifestas sensui, vel quae nemini probentur, vel quae sint nimium difficiles[3]. Qui serio quaereret, num *Deus colendus esset* vel *parentes amandi,* poena is dignus esset. Qui vero quaereret, *nix essetne alba an nigra,* sensu careret. Qui quaereret, *sitne numerus stellarum par, an impar,* stultus haberetur. Tum igitur quaestiones in philosophia legitimae sunt, quando existunt aliqua de iis dubia, de quibus philosophi possunt cum probabilitatis saltem specie aliquid in utramque partem dicere. . . . Apud S. Thomam praeclare praeceptum legimus: „Quaestiones in tantum sunt amandae, in quantum ducunt ad veritatem per hoc, quod oportet, quod omnes unum dicant. Quaestiones autem stultae non ducunt ad veritatem, sed ad litem, quae est vitanda."[4]

408. Usus aporiarum sive dubitationum in quaerenda veritate. Cum quaestione penitus cohaeret dubitatio. „Illi enim, qui primo philosophati sunt et qui nunc philosophantur, incipiunt philosophari propter admirationem alicuius causae; aliter tamen a principio, et modo; quia a principio admirabantur dubitabilia pauciora, quae magis erant in promptu, ut earum causae cognoscerentur; postea ex cognitione manifestorum ad inquisitionem occultorum paulatim procedentes, inceperunt dubitare de maioribus et occultioribus."[5] Praecipue Socratem laudant, quod peritus de omni re dubitandi fuerit[6]. Et nemo certe, si sanae mentis sit, quaerit, utrum aliquid verum sit necne, nisi de veritate aut falsitate rei, quam quaerit, aliqua ratione dubitet. Cuius dubitationis vis et usus ut recte intelligatur, haec quinque recogitanda sunt.

Primo certum est, inquisitionis omnis initia a dubitatione petenda esse, praecipue autem in rebus philosophicis. Sicut enim in mathematicis ut plurimum evenit, ut mens ad principia diligenter attendens per certam demonstrationis viam ad conclusionem directe perveniat, ita in rebus philosophicis plurimis principia quoad nos evidentia non sunt statim praesto; postquam autem inventa sunt, saepenumero eiusmodi non sunt, ut mentem ad eam, de qua agitur, rem concludendam per evidentiam cogant. Ex quo efficitur, ut

---

[1] L. 1 top. c. 4, 101 b, 25. [2] Sanseverino, Log. Vol. III. p. 193.
[3] L. 1 top. c. 10, 104 a, 8 et c. 11, 105 a, 5.
[4] In cap. 2 Epist. 2 ad Tim. lect. 3.
[5] S. Thom. in l. 1 metaph. lect. 3. [6] Euseb. l. 9 praepar. Evang. c. 1.

nos semper quidem, sed praecipue in philosophia „dubitationem pro interminato motu ratiocinationis accipiamus in praemissis, quando ratio ante consensum modo viam habet ad unum, modo ad alterum“ [1].

Unde acute a SCOTO observatum est, propositionem scibilem sive eam, cuius scientia de novo per causam acquiratur, quum neque sit per se nota in veritate, neque per se nota in falsitate, talem esse, „de qua scientia acquiri possit post dubitationem, ita quod ipsa prius sit dubitata et postea per principia nota fiat scita“ [2]. Et ARISTOTELES hominem in inquisitionis philosophicae initio positum vinculis ligato comparat. Qua de re iterum SCOTUS: „Sicut ligatus corporaliter, si vult solvere vinculum et nodum, oportet, quod prius respiciat vinculum et nodum ligaturae, sic ille, qui vult solvere dubitationem, prius debet considerare difficultates et earum causas.“ [3] Quae res ut recte intelligatur, attendendum est, nos sub inquisitionis initiis non solum in ignorantia eius, quod quaeratur, versari, sed nobis ob naturam humanam et vitae humanae conditionem necessario de plurimis rebus, quarum nostra multum interest, hinc atque illinc contrarias rationes occurrere.

Secundo loco observandum est, plerisque de rebus esse hominum opiniones contrarias, ita ut unusquisque opinionis suae demonstrationem quaerat.

„Demonstrationes autem, id est probationes, contrariorum sunt dubitationes de contrariis opinionibus, id est, sunt obiectiones ad contrarias opiniones.“ Et expedit, eum, „qui vult cognoscere aliquam veritatem, solvere dubitationes, quia solutio dubitatorum est inventio veritatis; et ita ad sciendam veritatem multum valent rationes contrariarum opinionum“ [4].

Tertio loco praeiudiciorum passionumve mentio est facienda, quae sane inter vincula, quibus mentem ligatam esse diximus, non sunt levissima. Quicunque igitur ad certam veri inventionem venire vult, is animum suum praeiudicatis opinionibus exuere debet. Qui autem id fieri possit, nisi dubitando de his temere conceptis opinionibus: Is igitur, qui rite utiliterque philosophari vult, initio a multiplici dubitatione abstinere se non potest [5].

---

[1] ALBERTUS MAGNUS l. 3 metaph. tract. 1 c. 1. Id ipsum S. THOM. 3 dist. 17 q. 1 a. 4.

[2] In l. 2 anal. post. q. 1 n. 2.

[3] In l. 3 metaph. Cfr. ALBERTUM MAGNUM in h. l. tract. 1 c. 1, et S. THOMAS i. h. l. lect. 1.

[4] S. THOM. in l. 1 de coelo lect. 22. Quae res a multis Sanctis Patribus est observata. Inter alios S. AUGUSTINUS: „Ab adversario mota quaestio discendi existit occasio.“ (L. 16 de civit. Dei c. 2.) Qui alio loco: „Ideo, inquit, divina providentia multos diversi erroris haereticos esse permittit, ut quum insultant nobis et interrogant nos ea, quae nescimus, vel sic excutiamus pigritiam et divinas Scripturas nosse cupiamus.“ De genesi contra Manich. l. 1 c. 2 n. 2.

[5] Videsis SANSEVERINO, Log. Vol. III. p. 2188 sqq.

409. Quarto, id quod in hac re est gravissimum, dubitationis est, in inquirenda veritate et viam aperire, et ad veritatem ipsam tuto mentem adducere; ita ut ad consequendam de rebus incertis certitudinem in philosophia dubitatio omnino putata sit necessaria.

Quam rem quum a Platone multis locis explicatam habeamus, praecipue in Menone is suam suique praeceptoris sententiam aperuit. Et Aristotelis quidem institutio omnis, ut recte observat Trendelenburg, ab ἀπορίας proficisci solet, h. e. a difficultatum in utramque partem quaestione. Quae quidem fit dialectice. Ea enim, quae de re proposita vulgo statuuntur (τὰ ἔνδοξα), ita exagitantur et quasi excutiuntur, ut difficultates appareant, quae in repugnantia sive rerum sive notionum cernuntur. Quare ἀπόρημα, dubitatio, est dialectica in contrariam partem (ἀντιφάσεως) argumentatione confirmata. Efficitur autem, quum pari utrimque rationum pondere mentis iudicium suspensum teneatur, incerta animi fluctuatio (ἀπορία)." [1] Quod idem ab Aquinate laudatum est: „Consuetudo, inquit, Aristotelis fuit, fere in omnibus libris suis ut inquisitioni veritatis vel determinationi praemitteret dubitationes emergentes." [2] Et ad Cartesii et Wolffii tempora ex philosophis scholasticis nobilioribus ne unus quidem reperiri potest, qui praeclarum illud Aristotelis exemplum non sit secutus [3]. Apud Aquinatem in omnibus libris, qui in usum scholae destinati sunt, in more est positum, ut prius dicatur: „Videtur quod non", dein: „Sed contra", et tum accedatur ad thesim ipsam probandam dicendo „Respondeo dicendum". Scoti consuetudo est, ut prius ponatur: „Arguitur quod non", deinde accedat ad suum „Ponuntur conclusiones". Ex quo tempore autem ex Cartesii et Leibnizii praeceptis philosophia plus aequo ad normam mathesis est tracta, mos ille a multis omissus est non sine aliquo ipsius philosophiae detrimento. Nam methodus dubitandi, ut a veteribus adhibebatur, omnino ad philosophiam pertinet.

„Est enim operae pretium, ut dicit Aristoteles, iis, qui facilem expeditamque viam habere volunt, ut bene dubitent (διαπορῆσαι καλῶς). Quae postea via expedita est, ea est, quae ante dubiis impedita fuit. Solvi autem impedimenta non possunt, quum nodus

---

[1] Elem. Logik § 33 p. 105.

[2] In l. 3 met. lect. 1. Ex multis pauca nobis hoc loco exempla adducere liceat: In libris anal. post., quid sit quaestio, inquirens: „Dicamus, inquit, primum dubitantes (διαπορήσαντες)." In libro primo de anima (c. 2, 403 b, 20) priorum de anima sententiae recensentur, ut ex iis, quod conferat „ducatur; quod a vero abhorreat, reiiciatur". In libro primo de coelo (c. 10, 279 b, 7) primo opiniones complures inter se contrariae exponuntur, quia „demonstrationes contrariorum dubitationes de contrariis sunt".

[3] Sunt qui illum procedendi modum ideo vituperent, quod longo intervallo separentur ipsae dubitandi rationes, quae ponantur initio, et earum solutiones, quae sint totius quaestionis pars ultima. Quibus respondendum est, rationes dubitandi, quae in statum quaestionis introducant, illico solvi in ipso articuli corpore, ipsis thesibus et argumentis, addi autem exeunte quaestione responsa seorsum ad singulas dubitandi rationes maioris claritatis gratia.

ignoratur. Sed haesitatio intellectus eam rem (nodum) in manifestis ponit.“ [1]

Ea, quam Stagirita multis verbis proponit, doctrina haec est, ad inveniendam rei alicuius veritatem cognovisse primum oportere, quae possint de ea dubitari, eaque in utramque partem disputasse. Difficultates enim, quae in ipsa re insunt, is demum et expediet recte, et, num expedierit, intelliget, qui probe noverit difficultates. Et facilius iuste iudicabit, qui tamquam causae arbiter utramque partem audiverit. Quam doctrinam Aristotelicam Scholastici omnes declaraverunt, approbaverunt, auxerunt. Stagiritae mentem his verbis explicat S. Thomas: „Illi, qui volunt inquirere veritatem non considerando prius dubitationem, assimilantur illis, qui nesciunt, quo vadant. Et hoc ideo, quia sicut terminus viae est illud, quod intenditur ab ambulante, ita exclusio dubitationis est finis, qui intenditur ab inquirente veritatem. Manifestum est autem, quod ille, qui nescit, quo vadat, non potest directe ire, nisi forte a casu; ergo nec aliquis potest directe inquirere veritatem, nisi prius videat dubitationem.“ [2]

410. Quinto tandem, quod ultimum est, etiam in rebus certis atque indubiis, quae nobis iam multis argumentis videntur esse probatae, non sine magna utilitate dubitatio adhiberi solet. Mirum est enim, quantum mens in tenendis illis veritatibus inde confirmetur, quod eas examinavit probavitque.

Itaque tentat quidem de illis rebus dubitare, actu autem non dubitat de evidentibus, sed haec ab aliis discernit. Neque in hoc processu negat quidquam, quod verum est, neque affirmat, quod est falsum; sed facilem tantum et tutam sibi viam munit ad discernendas illas veritates, quas iam nullo modo in dubium vocari posse videt. Haec igitur ratio dubitandi conatu quodam continetur vel dubii suppositione, non dubio reali [3].

---

[1] L. 3 metaph. c. 1, 995 a, 23 sqq.

[2] In l. 3 metaph. lect. 1. De ligaminibus corporalibus in comparationem adductis supra iam diximus. (Cfr. Arist. l. 7 ethic. Nicom. c. 3, 1146 a, 24.) Ab aliis aliae ad hanc rem illustrandam comparationes sunt adhibitae. „Pulsat quidem, ut est apud Clementem Alexandrinum, per inquisitionem, quae per interrogationem et responsionem instituitur oratio, veritatis fores iuxta id, quod apparet. Aperto autem per scrutationem eo, quod est impedimento, ingeneratur contemplatio scientifica.“ L. 8 strom. c. 1.

[3] Palmieri, Institut. philosoph. Romae 1874. Vol. 1. p. 146. Atque haec erat omnium Scholasticorum sententia. Interrogatus aliquando Aquinas, liceatne disputare de persona Christi: „Non video, inquit, quare hoc non liceat, quum quotidie in scholis magistrorum disputetur etiam de aliis articulis fidei, non propter dubitationem, sed propter veritatis intellectum et manifestationem et confirmationem.“ (Opusc. 10 a. 32.) Quem locum citans Roselli haec addit: „Expedit ergo, ut de propositionibus certis instituantur dubitationes sive potius disputationes. Qui enim de illis disputant, non ipsi dubitant, sed dubitantis personam induunt. Nam propositis obiectionibus adversariorum iisque postea solutis veritas magis apparet. Quare nunquam non licuit quaerere, utrum Deus sit.“ Summ. philos. Bononiae 1857. Logic. q. 23 a. 1.

Scholion. In toto hoc disquisitionis dialecticae negotio ob oculos versari debet illud, quod a philosophis Peripateticis iterum ac tertio praecipitur, non quamlibet dubitationem ad rem, de qua agitur, aptam esse, sed semper esse dubitandum καλῶς vel εὐλόγως vel εἰκότως vel ἀληθῶς. Non igitur de omnibus est dubitandum, sed firma retinenda sunt principia, unde dubia possint reiici. Nec mens statim quaestionis initio ingenti dubitationum mole obvolvenda est; sed initio attentio mentis in paucas tantum ἀπορίας figenda, et in eas quidem, quae ad rem aperiendam et illustrandum „statum quaestionis" videntur esse opportuniores. Unde videmus S. Thomam, quum in quaestionibus disputatis plerumque plurimas in quaestionis initio posuerit rationes dubitandi, in Summa theologica, quam ad usum incipientium scripsit, ea moderatione usum esse, ut ante conclusionem paucis tantum notatis dubitationibus contentus fuerit. Nihil autem impedit, quominus dubia, quae restent solvenda, post thesim demonstratam ponantur solvanturque. Neque in hoc genere incommodum est, ut insigniores tantum opinationes in considerationem veniant quaeque aliqua ratione niti videantur. Quam rem ab ipso Aristotele praeceptam habemus [1].

411. **Usus historiae in philosophia.** Apud Aristotelem legitur: „Ad illam, quae quaeritur, scientiam, necesse est imprimis nos percurrere, de quibus primo dubitandum sit. Haec autem sunt, et quaecunque de iis aliter quidam existimarunt, et si quid ultra haec praetermissum sit." [2] Proinde post explicatam dubitationis rationem nunc breviter videamus de usu historiae in rebus philosophicis. Qui locus non est apud philosophos sine controversia.

Et ipse quidem Aristoteles non semel aperte dixit, neminem in cuiuspiam scientiae studio proficere posse, nisi prius opiniones eorum, qui de eadem re tractassent, investigaret examinaretque. Neque ipse unquam prius de ulla re aperuit sententiam, quam eos, qui ante se fuerant, in medio poneret. „Quis omnium, inquit Tullius, doctior Aristotele fuit? Tot illum poëtas, tot omnis generis scriptores, tot philosophos legisse, nec tantum legisse, sed censuisse etiam, ex iisque ad recte philosophandum profecisse constat, ut si hoc unum per totam vitam factitasset, vix vita his studiis suffecisse videatur idemque ille in doctissimis hominibus praecipuum locum obtinuisset."

Methodo Aristotelicae, ut recte dicit Sanseverino, doctores mediae aetatis, quantum tempus illud sinebat, institisse, is tantum ignorare potest, qui eorum opera nunquam prae manibus habuit. Ex propriis quidem fontibus placita antiquorum philosophorum vix unquam haurire poterant, quia magna horum parte carebant. At procul dubio historiam fecerunt maximi; et probe etiam noverunt tum philosophiae Christianae, tum ethnicae traditionem. In qua utra-

---

[1] L. 1 ethic. Nicom. c. 2, 1095 a, 28. In quem locum Aquinas: „Perscrutari omnes opiniones . . . esse magis vanum, quam deceat philosophum, quia quaedam omnino sunt irrationales. Sed sufficit, illas opiniones maxime perscrutari, quae in superficie habent aliquam rationem, vel propter apparentiam aliquam, vel saltem propter opinionem multorum hoc existimantium." In l. 1 ethic. lect. 4.

[2] L. 2 met. c. 1, 995 a, 21.

que eruditos se ostendunt, quippe qui in suis operibus et doctrinas SS. Patrum exponant atque tueantur, et cuncta placita philosophorum vestigiis ARISTOTELIS insistentes expendant [1].

CARTESIUS, quum omnia, araneae instar, ex seipso trahere statuisset, primus omnium historiam in philosophia non solum supervacaneam, sed noxiam esse decrevit, „concludendum esse, inquiens, eos, qui quam minimum didicissent illorum omnium, quae hactenus nomine philosophiae insigniri solita essent, ad verum percipiendum quam maxime idoneos esse“ [2]. Quod CARTESII decretum, quum praesertim non minus superbiae faveat quam pigritiae, abhinc annos prope ducentos a plurimis in philosophia religiose observatum videmus. Aliquibus frustra reclamantibus, ut dicit SANSEVERINO, contemptus historiae in dies magis magisque promotus et pervagatus est. In Gallia MALEBRANCHE sanxit, sententias antecedentium in iis quidem quaerendas esse, quae fidem et religionem spectarent, non autem in iis, quae rationis essent. In Anglia LOCKE quum Cartesianam philosophandi methodum secutus esset, in suis de humano intellectu disquisitionibus nullam historiae rationem habuit, multosque sui imitatores nactus est. Et sicut in philosophia Cartesiana, ita etiam in philosophia KANTIANA omne rerum historicarum studium evanuit [3]. Id ad summum ab his philosophis permittebatur, ut de historia philosophiae ageretur separatim, ita ut haec historia non iam investigandae veritati inserviret, sed ampliori litteratorum hominum eruditioni [4].

Ineunte autem hoc saeculo ab extremo contemptu ad immoderatam quandam historiae aestimationem ventum est apud nonnullos Pantheistas. Quum enim SCHELLING doceret, Deum esse illud absolutum, quod sub formis materiae et spiritus sese manifestaret, et HEGEL statueret, philosophiam esse scientiam ideae sese per tria momenta evolventis (n. 73), apparet, in historia philosophiae narrari nobis manifestationes „Absoluti“ sub forma spiritus, atque exponi, quae ut evolutio „ideae“ in spiritu humano. Atque ita effectum est, ut historiam philosophiae dixerint esse ipsam philosophiam. Et haec de varia philosophiae aestimatione satis.

412. Sed nunc ad id, quod huius rei est caput, pergamus: qualis historiae usus in rebus philosophicis esse debeat. Qua in re imprimis tenendum est, oportere, ut notitiae historicae non separatim tradantur, sed pro rerum opportunitate in ipsam philosophiam trahantur, non quidem ut res praecipua, sed ut praeclarum inquirendae veritatis adiumentum.

Sic ARISTOTELEM egisse constat. Qui etsi hodie ab omnibus salutetur „auctor historiae philosophiae“, non tamen hanc historiam separatim scripsit

---

[1] Logic. Vol. III. p. 251.

[2] Epist. ad princip. phil. interpretem Gallicum.

[3] Ipse KANT historiam fere ignorasse dicitur: „Die Geschichte der Philosophie war ihm fast völlig unbekannt; nur einige Wolffianer, LOCKE, HUME und ROUSSEAU kannte er; weder die Alten noch die Neueren hat er studirt.“ HARMS, Philosophie seit KANT. Berlin 1876, p. 118.

[4] Inter hos scriptores historiae eminent STANLEY (1660), BRUCKER (1742 ad 1744), TIEDEMANN (1787), TENNEMANN (1798).

eruditionis gratia, sed ipsis disputationibus eam adeo intexuit, ut ipsa philosophia ARISTOTELIS ex cognitione acutaque examinatione systematum philosophicorum, quae praecesserant, prodiisse videatur. Et aperienti cuique libros Aristotelicos conspicuum est, quantum haec philosophia praestet rerum sententiarumque copia et varietate quantumque abhorreat a systematicorum philosophorum ariditate. Ita in libris auscultationis naturalis de primis rerum principiis acturus initio opiniones de ea re praecipuas accurate recenset. In libro primo de anima opiniones affert antiquorum, qui de anima aliquid constituerint. In libro primo ethicorum ad NICOMACHUM quum vulgi opiniones tum varias de beatitudine sententias philosophorum indicat diiudicatque. Quae res etiam in libro primo metaphysicorum praeclare est observata. Atque ita in reliquis.

Quae vero in hoc genere est historiae cura, ut dicit post Stagiritam S. THOMAS, ad duo erit utilis. „Primo, quia illud, quod bene dictum est ab illis (i. e. ab antiquis, quicunque illi sunt), accipiamus in adiutorium nostrum; secundo, quia illud, quod male enuntiatum est, cavebimus.“ [1]

Et alio loco: „Adiuvatur unus ab altero ad considerationem veritatis dupliciter; uno modo directe, alio modo indirecte. Directe quidem iuvatur ab his, qui veritatem invenerunt, quia dum unusquisque praecedentium aliquid de veritate invenit, simul in unum collectum posteriores introducit ad magnam veritatis cognitionem. Indirecte vero, in quantum priores errantes circa veritatem posterioribus exercitii occasionem dederunt, ut, diligenti discussione habita, veritas limpidius appareret. . . . Et ideo iustum est, gratiam referre non solum his, quos quis existimat veritatem invenisse, quorum opinionibus aliquis communicat sequendo eas; sed etiam illis, qui superficialiter locuti sunt ad veritatem investigandam, licet eorum opiniones non sequamur; quia etiam isti conferunt nobis. Praestiterunt enim nobis quoddam exercitium circa inquisitionem veritatis.“ [2]

413. Atque id confirmatius erit, si molem et difficultatem acquirendae scientiae mente recogitaveris.

Hoc modo ALBERTUS MAGNUS multis exponit, historiam ad cognitionem veritatis multum conferre; quum enim naturas rerum omnino intelligere arduum sit, nullum eorum, qui naturam alicuius rei inquirere coeperint, universam veritatem de illa assequi potuisse; quum autem veritas mentem luce sua cum quadam necessitate percellat, neminem illorum veritatem omnino effugisse, „sed unusquisque aliquid dixit de natura eius, licet balbutiendo id dixerit, tamen ab ipsa manifesta veritate compulsus aliquid veritatis nisus est dicere“ [3]. Ex cunctis exiguis partibus veri, quas praecessores nostri invenire potuerint, inter se „coarticulatis“ magnam partem veritatis inveniri posse. ALBERTO assentitur Aquinas: „Licet, inquit, id, quod unus homo potest immittere vel apponere ad cognitionem veritatis, pro studio et ingenio sit aliquid parvum per compara-

---

[1] In l. 1 de an. lect. 2. [2] In l. 1 metaph. lect. 2.

[3] In l. 2 metaph. tract. 1 c. 1. Eandem rem non semel S. AUGUSTINUS animadvertit, ut quum diceret, philosophos inter falsa, quae opinati essent, verum videre potuisse. L. 18 de civit. Dei c. 41 n. 3.

tionem ad totam considerationem veritatis, tamen illud, quod aggregatur ex omnibus, i. e. exquisitis et collectis, fit aliquid magnum, ut potest apparere in singulis artibus, quae per diversorum studia et ingenia ad mirabile incrementum pervenerunt [1].

414. Ad magnitudinem et difficultatem acquirendae scientiae accedit humani ingenii, quod in singulari homine inest, imbecillitas [2].

Scholion 1. Nemo est, cui non sit persuasum, diligenti in hac re circumspectione utendum esse, ne quid nimium neve parum tribuatur auctoritati aliorum (n. 187). Certe prudens quisque paratus erit, ut sententiam suam per alienam doctrinam edoctus vel corrigat vel omittat. „Quum enim philosophus, ut observat Dandinius, nihil aliud quam veritatem propositam habeat, tum cavere ab illis debet, quae a veritate sunt aliena; neque amicorum modo sententias, sed sua etiam dicta refellere, si quid melius invenit: tum veras sententias admittere, a quocunque fuerint pronuntiatae; neque affectu erga sectam ullam aut auctorem duci.“ [3] Ab altera autem parte magnopere cavendum est, ne quis in rebus philosophicis proprio usu rationis se abdicet, caeco modo auctoritate fretus. Qua in re praeclare ab Aquinate praeceptum est, in disciplinis philosophicis rationem adhibendam esse [4], atque ea tantum pro veris habenda, quae rationi consentanea essent [5], neque idcirco magni faciendum esse docuit argumentum, quod ab auctoritate humana trahatur. „Locus, inquit, ab auctoritate, quae fundatur super ratione humana, est infirmissimus.“ [6] Id ipsum B. Albertus Magnus. „Quod de auctore quidam quaerunt, inquit, supervacuum est; et nunquam ab aliquo philosopho quaesitum est, nisi in scholis Pythagorae.

---

[1] In l. 2 metaph. lect. 1.

[2] S. Thom. in l. 1 ethic. lect. 11. Neque inscite de hac re Ueberweg: „Die Forschung des Einzelnen gewinnt in dem Masse an Bedeutung, als sie sich der wissenschaftlichen Gesammtarbeit als Moment einzufügen vermag. Weder eine rohe Selbständigkeit, die auf den natürlichen gesunden Sinn vertrauend, oder in dem eiteln Wahne persönlicher Idealität befangen um einer vermeintlichen Unbefangenheit willen, das Studium fremder Leistungen verschmäht, oder sich ohne eindringendes Nachdenken und kritische Genauigkeit mit halben und schiefen Auffassungen derselben begnügt; noch auch eine unfreie, selbstlose Hingabe, die, ganz in Gelehrsamkeit aufgehend, über der emsigen Sorge um sichere Aneignung und treue Reproduction der von den schöpferischen Geistern errungenen Schätze die Kraft zu eigener Production unbethätigt lässt; sondern nur die Erhebung zu selbständiger Einsicht auf dem Grunde der genauesten Vertrautheit mit der gesammten bisherigen Entwicklung der Wissenschaft begründet den Fortschritt zu höheren Erkenntnissstufen. Auch in der Wissenschaft soll der Mensch aus dem Naturzustande der Ungebundenheit austretend, durch die unfreie Hingebung hindurch, zur wahren Freiheit gelangen.“ System der Logik § 140.

[3] Dandinius, S. I., De principio vitae parte 2 c. 8 p. 41.

[4] Summ. theol. q. 1 a. 1.

[5] „Doctrina ostenditur esse vera ex hoc, quod consonat rationi.“ Summ. theol. I. II. q. 98 a. 1.

[6] Summ. theol. I. q. 1 a. 8 ad 2.

Ab aliis autem hoc quaesitum non est; a quocunque enim dicta erant, recipiebantur, dummodo probatae veritatis haberent rationem. Causa enim efficiens extra rem est, et ab ea res non habet firmitatem vel infirmitatem, sed potius a ratione dictorum.“ [1]

Scholion 2. Quum ante Iacobi Bruckeri (1696—1770) tempora vix ullus conatus sit, „historiam philosophiae“ elucubrare ab ipsa philosophia separatam, nihil tamen est in philosophia peripatetica, quod obstet, ne haec historia tractetur etiam seorsum et separatim propter eruditionem et notitiam historicam. Vehementer autem errant, qui censent, eiusmodi historiae saltem compendium incipientibus prius explicandum esse, quam hi ad aliam ipsius philosophiae disciplinam accedant. Sed standum est praecepto, quod ante constituimus, et quod his verbis apud clarissimum nostrae aetatis philosophum expressum legimus: „Necessariae historicae notiones non tam in unum compendium collectae separatim tradantur; sed potius ipsis institutionibus data occasione et prout tractanda argumenta postulaverint, ita inserantur, ut perspecta origine atque interna relatione doctrinarum, quae a variis scriptoribus processu temporum prolatae sunt, necnon praelucentibus iam certis veritatis criteriis, facilius ac verius sub unum obtutum colligi possint.“

415. **Argumentorum inventio sive inventio medii.** Vidimus, quot sint genera quaestionum dialecticarum et quomodo dubitatione et historia philosophiae utendum sit nobis, ut quaestiones et recte et utiliter instituantur. Deinde videndum est breviter, unde argumenta ad solvendas quaestiones accommodata peti possint. Hac autem scientia continetur ea, quam vi vocis propria topicam vocant. Argumentum dialecticum dictum est esse probabile inventum ad faciendam fidem sive assensionem. Id autem, unde promuntur argumenta, dicitur locus.

Videndum est igitur, quinam sint loci illi, quos etiam notas argumentorum vel sedes vocant, ex quibus tamquam ex selectis propositionibus universalibus singularum rerum principia sumamus. Loci dialectici dicuntur a locis sive sedibus, in quibus res collocantur et inveniuntur, non, ut aliquibus visum est, ἀπὸ τῶν λόχων sive ab insidiis, quod in locis dialecticis tamquam in insidiis quibusdam argumenta delitescant. Notae autem vel signa vocantur, quia iis de habendo argumentorum delectu monemur. Argumenta dictum est ante intelligi ea omnia, quae rei dubiae fidem faciant.

De locis sive argumentorum sedibus primus enucleatius dixit Aristoteles, posteriore tempore Cicero. Et Ciceroni quidem, quum praecipue utilitatem oratorum spectaret, loci non erant propositiones universales, sed generatim omnes termini, unde propositiones duci possent. „Ut igitur, inquit, earum rerum, quae absconditae sunt, demonstrato et notato loco facilis inventio est, sic, quum pervestigare argumentum aliquod volumus, locos nosse debemus.“ [2]

Apud Aristotelem autem loci non sunt termini, sed propositiones universales sive maximae et principales, quae, quum per se notae sint, non solum de-

---

[1] L. 1 periherm. tract. 1 c. 1.

[2] Topic. c. 2. Cfr. Quintilian. l. 5 orat. c. 10.

monstrationis non indigent ad habendam fidem, sed etiam principia sunt, ex quibus propositiones aliae, quae per se notae non sunt, demonstrantur et fidem, i. e. assensionem, accipiunt. Ut brevissimo haec res pateat exemplo, sit propositio: *Quorum diversa est definitio, ea diversa sunt.* Haec maxima est, quia et scienti cuilibet, quid sit definitio, ipsa „nota" est, et principium, ex quo diversitas enuntiationum, in quibus subiecta diversas habent definitiones, probari potest. Ex quo iam argumentum fieri potest hoc: *Invidus est, qui de rebus secundis viri boni dolet. Atqui honestus is non est, qui de rebus secundis boni viri dolet. Ergo honestus non est invidus*[1].

Sed propositiones, quae sunt maximae, inter se differunt eo, quod aliae accommodatae sint ad solvenda problemata accidentis, aliae ad generis quaestiones, proprii aliae, aliae denique referantur ad quaestiones de definitione. Vel dici etiam possunt, eo differre, quod aliae ipsam rem spectent, aliae ad ea pertineant, quae rei probandae coniunctae sint, aliae ad ea, quae a re probanda disiuncta sint. Et alii alias differentias addunt.

Liquet autem, ipsas eius modi differentias inter propositiones aptissimas esse, quibus magna propositionum multitudo ad pauciores ordines revocentur. Ex quo factum est, ut hae ipsae differentiae etiam „loci" vocati sint. Nam quum locum definiant, ut sit id, unde trahantur argumenta, manifestum est, nomen loci non solum competere ipsis propositionibus maximis, sed etiam illis differentiis. Atque hae differentiae maximarum sunt loci communiores; nam unaquaque earum monemur de maximis multis, argumentis multis. Et locus differentiae maximae est plurimarum maximarum receptaculum. Non vocantur autem huius modi loci „differentiae maximarum" ob hanc ipsam rationem, quod maximas singulatim distinguant, sed quia diversis maximarum classibus differentem tribuunt appellationem.

Scholion. De modo autem, quo ex locis argumenta quaerantur, supra (n. 389), quae ad usum et commoditatem satis sint, indicavimus. Est enim argumentorum inquisitio re idem, atque inventio medii. Leges autem speciales ab antiquis logicis hac de re statutae, licet fortasse sint implicatiores, quam quae facilem usum habeant, tamen non solum ingeniosae admodum et quae breviter indicentur dignae sunt, sed etiam, si semel atque iterum a logico recogitentur, non sine magna utilitate esse possunt.

Recolendum est igitur, quaestionem propositam esse posse quadruplicem, **a**, **e**, **i**, **o**, et argumentum probans **a** probare etiam **i**, sicut argumentum probans **e** probare etiam **o**; nam generalis propositio particularem includit.

---

[1] In hac tamen re propositio maxima duplici modo adhiberi potest. Fieri enim potest, ut ipsa maxima maneat extra argumentationem; id quod in exemplo modo posito videre licet, in quo propositio maxima non est pars ipsius argumentationis, sed huic extrinsecus tantum apposita vires quasi subministrat. Sed fieri etiam potest, ut maxima tamquam praemissa in ipsam trahatur argumentationem, velut quum quis argumentari velit: *Omne, quod est diuturnum bonum, melius est, quam quod temporis diuturnitate constrictum est. Sed regnum, quum sit bonum, diuturnius est quam consulatus. Ergo* . . . In qua ipsa praemissa maior est proposito maxima. Boethius, Comment. in topic. Cic. l. 1 p. 765.

Recolendum deinde est, triplicem esse inter duos terminos ordinem sive relationem (n. 337). Unus comparatus cum altero erit aut antecedens aut consequens aut repugnans seu extraneus. Antecedentem diximus illum, ex quo alter infertur; consequentem illum, qui ex altero infertur; repugnantem vel extraneum denique eum, qui de altero, aut de quo alter non potest affirmari. Ita *„homo“* est antecedens ad „animal“, valet enim: *„Est homo. Ergo est animal“; „corpus“* est consequens „animal“, quia „corpus“ ex animali sequitur. *„Planta“* est repugnans lapidi. Si vero duo mutuo ex se inferuntur et sunt convertibilia, ut definitum et definitio, iam etiam mutuo inter se antecedunt et consequuntur.

416. Atque his dictis artificium logicum inquirendi argumenti sive inveniendi medii explicandum est, quod his regulis continetur[1]:

Regula prima: Ut probetur **a**, sumatur medium consequens subiecti et antecedens praedicati, velut: *Animal est substantia. Homo est animal. Ergo homo est substantia.* (Barbara.)

Regula secunda: Ut probetur **i** in tertia figura (nam ut probetur in Darii, utendum est artificio regulae primae), sumatur medium antecedens respectu praedicati et subiecti velut: *Homo est intellectualis. Homo est animal. Ergo aliquod animal est intellectuale.* (Darapti.)

Regula tertia: Ut probetur **e** in Celarent et Cesare, sumatur medium repugnans praedicato et consequens subiecti ut: *Nulla planta est intellectualis. Omnis arbor est planta. Ergo nulla arbor est intellectualis.* (Celarent.) Vel: *Nulla planta est intellectualis. Omnis homo est intellectualis. Ergo nullus homo est planta.* (Cesare.)

Regula quarta: Ut probetur **e** in Celantes et Camestres, sumatur medium repugnans subiecto et consequens praedicati, velut: *Nullum ens intellectuale est arbor. Omnis homo est intellectualis. Ergo nulla arbor est homo.* (Celantes.) Vel: *Omnis homo est intellectualis. Nulla arbor est intellectualis. Ergo nulla arbor est homo.* (Camestres.)

Regula quinta: Ut probetur **o** in tertia figura et in Fapesmo (nam in Ferio, Frisesom, Festino observanda est regula tertia,

---

[1] Apud veteres hae regulae versibus exhibebantur:

Fecana, Categi, Dafenes, Hebare, Gedaco,
Gebali stant; sed non stant febas hedas et hecas,

qui longiorem explicationem desiderant; sunt quidem admodum ingeniose et subtiliter constructi, non tamen vulgo hominum utiles.

in Baroco regula quarta), sumatur medium antecedens subiecti et repugnans praedicato, velut: *Nulla arbor est homo. Omnis arbor est vivens. Ergo quoddam vivens non est homo.* (Felapton.) Vel: *Omnis homo est bipes. Nulla avis est homo. Ergo quoddam bipes non est avis.* (Fapesmo.)

Regula sexta: Ut probetur i indirecte, sumatur medium antecedens subiecti et consequens praedicati, velut: *Omne sensitivum est vivens. Omnis homo est sensitivus. Ergo aliquod vivens est homo*[1]. (Baralip.)

Hae igitur sex sunt, quae „stant" sive consistunt firmiter.

Praeterea autem non sunt media, quae ad ullam illationem legitimam adhiberi possint. Ita medium consequens ad utrumque extremum est inutile; nam etiamsi duo in aliquo tertio, quod de utroque possit praedicari, conveniunt, non tamen sequitur, illa duo etiam inter se convenire. Secus syllogismus ex puris affirmativis in secunda figura esset rectus, ut: *Homo est substantia. Lapis est substantia. Ergo homo est lapis.* Medium repugnans utrique extremo ineptum esse patet; possunt enim duo repugnare tertio, et convenire inter se. Alias concludi posset: *Homo non est lapis. Animal non est lapis. Ergo homo non est animal.* Neque medium antecedens praedicati et repugnans subiecto conclusionis inservire potest ad concludendum negative. Quum enim praedicatum sit universalius illo medio, fieri potest, ut ipsum subiecto conveniat, licet medium minus universale eidem non competat. Hinc non licet concludere: *Omne vivens est substantia. Nullus lapis est vivens. Ergo nullus lapis est substantia.*

Ut dicamus breviter: ad conclusiones universales affirmativas quaerendus est terminus, de quo praedicatum conclusionis universaliter praedicari et qui ipse de subiecto conclusionis praedicari possit; ad conclusiones universales negativas inveniendus est terminus medius, qui, licet conveniat alteri extremo, repugnet alteri.

Ut denique tale medium ad finem propositum aptum reperiamus, consideremus oportet genus, differentias, species, proprietates, accidentia, effectus et maxime causas tum praedicati tum subiecti, de quo agitur. Recogitanda sunt quoque, quaenam consequantur inconvenientia, nociva, absurda, si praedicatum non tribuendum sit vel tribuendum sit subiecto. Haec pervolventi sponte varia media alia aliis aptiora se offerent, ex quibus utiliora eligat.

417. **Organa inventionis** sunt principia quaedam generalia, quibus loci proprii uniuscuiusque quaestionis dialecticae facilius inveniuntur. Inventio medii si de argumentatione probabili agitur, est excogitatio rerum verarum vel verisimilium, quae causam probabilem reddunt. Ut autem inveniantur loci, in quibus hae res

---

[1] Hae sex regulae explicantur extensius in Opusc. 50 inter Opuscula S. Thomae. Videsis praeterea Sylv. Mauri Comment. in Arist., Anal. prior. Sect. 2 (editio Ehrle); Toleti Introductionem in dial. Arist. l. 4 c. 12.

sedeant, instrumenta dialectica sive organa inventionis inserviunt. Quae generatim quattuor enumerari solent: delectus propositionum, distinctio ambiguorum, inventio differentiarum, scientia similitudinum.

Ac primo delectum propositionum quod attinet, in manifestis est, disputantem, cui magna copia propositionum in promptu est, nullo negotio ratiocinationes ad omnis generis quaestiones solvendas instituere posse. Distinctio ambiguorum (sive homonymorum) adhibetur, quum velut *acutum* distinguo sonum, saporem, pondus, eique oppono aut *grave*, aut *obtusum*, aut *leve*. Inventio differentiarum locum habet, velut quum attendo, *sensum* a scientia eo differre, quod, qui scientiam amiserit, eam recuperare possit; qui autem amiserit sensum, hunc recuperare non possit. Scientia denique similitudinum intervenit, quum dico, *salubre* ad sanitatem similiter se habere, atque id, quod firmam valetudinem habeat, ad ipsam valetudinem.

418. Primo igitur oportet reminisci propositionum sive sententiarum, quae inter homines et praecipue inter sapientes circumferuntur (n. 159). Hae quo universaliores, eo aptiores sunt; quae tamen commoditatis gratia dividendae sunt, quoad dividi possunt.

Secundo distinguenda sunt ea, quae ambigua sunt.

Ambiguitas vocum haud raro a contrariis perspici potest, vel etiam a contradictoriis, vel a privantibus. Praeterea ambiguitas cognoscitur ex categoriarum (n. 246) consideratione, vel ex illis generibus, quae generatim naturas rerum diversas significant, vel ex differentiis, quibus eiusmodi effertur diversitas. Ex recta autem ambiguorum distinctione, oritur illa perspicuitas, qua facile intellegatur, quid sit illud, de quo disputetur; oritur etiam accurata syllogismorum ad rem adaptatio; oritur tandem magna a captiosis fallaciis securitas.

Tertio exquirendae sunt differentiae eorum, quae parum inter se diversa sunt; sive in eodem genere continentur (ut *iustitia et virtus in genere virtutis)*, sive ad genera inter se finitima pertinent (ut *visus* et *intellectus* ad diversa genera cognitionis spectant).

Ex cognitione autem harum differentiarum tum multum iuvamur, quum identitas diversitasve rerum in quaestione versatur, tum generatim efficitur, ut essentias rerum clarius perspiciamus, quae maxime ex propriis rerum differentiis discerni solent.

Quarto tandem quaerendae sunt similitudines eorum, quae multum inter se differunt.

Similitudo, de qua hic agitur, non est ea, qua unum est simile alteri, sed qua duo cum tertio conveniunt, atque etiam ea, quae est fundamentum proportionalitatis. Ex cognitione autem similitudinum efficitur, ut multum iuvemur in efficiendis inductionibus. Quum enim inductio ex particularibus profisciscens illud universale colligat, in quo particularia conveniunt, inductiones fieri non posse manifestum est, nisi perspectis iis, quae in rebus similia sunt. Efficitur inde praeterea, ut etiam multum iuvemur in argumentatione, quae dicitur ex hypothesi vel ex concessione. Quum enim constet, rerum similium esse eandem

rationem, si ab adversario concessum sit, rem in uno similium se ita habere, adversus ipsum argui potest, rem etiam in reliquis se eodem modo habere. Quod reliquum est, ex cognitione similium iuvamur in formandis definitionibus. Quum enim genus illud significet, in quo species conveniant, ex se liquet, genus colligi commode ex consideratione similium.

419. **Loci ab Aristoteli indicati.** Locus sive sedes argumenti a Boëthio dicitur esse id, unde ad propositam quaestionem conveniens trahitur argumentum. Et est propositio maxime generalis, quae solutioni quaestionum dialecticarum inservire potest.

Et primo quidem loci sunt, ut diximus, propositiones illae, quas propter maiorem universalitatem maximas vocant, quae ex se notae aliis certitudinem facilius subministrant. Maximarum autem aliae ab aliis quasi receptaculis trahuntur illis, quae a logicis vocari diximus differentias maximarum, quippe quae diversis maximarum classibus diversam appellationem tribuant.

Aristoteles autem numerum locorum primo ex quaestionibus traxit, quae circa logicam praedicati ad subiectum habitudinem institui possunt. Atque ita quattuor tantum locos indicat: accidentis, generis, proprii, definitionis. Accidens, ut supra (n. 407) satis est declaratum, omne id intelligitur, quod solum inest, neque tamen praedicatur in quid, neque conversim. Genus est, quod praedicatur etiam in quid. Proprium est, quod praedicatur conversim. Definitio est id, quod praedicatur in quid et conversim.

Fatetur tamen Stagirita, se non omnino, sed propemodum satis (σχεδὸν ἱκανῶς) ex his locis traxisse maximas [1]. Quarum tamen numerum ingentem ab Aristotele indicatos habemus; quos enumerare singulos nobis non est propositum; sed ipsi Stagiritae libri sunt adeundi. Nos ponemus paucissimos speciminis gratia.

1° Quum de loco accidentis agitur et quaeritur, utrum aliquid in aliquo subiecto insit necne, attendendum imprimis est ad subiectum, cuius recogitari debet definitio, genus, differentiae, species inferiores, etiam consequentia et antecedentia, coniugata vel denominationes, convenientia, oppositio, modus inhaerendi.

---

[1] De topica Aristotelis haec dicit Sanseverino: „Nos equidem vel hanc partem logicae Aristotelicae instaurandam atque in nostrarum scholarum usum adhibendam esse arbitramur. Id nobis praeter ipsam naturam topices suadet gravissimorum virorum auctoritas, qui topicae usum magnopere commendarunt. . . . Inter alios Isidorus Hispalensis: ‚Mirabile, inquit, plane genus operis, in unum potuisse colligi, quidquid mobilitas et varietas humanae mentis in sensibus exquirendis per diversas causas poterat invenire; conclusum liberum ac voluntarium intellectum. Nam quocunque se verterit, quascunque cogitationes intraverit, in aliquid eorum, quae praedicta sunt, cadet ingenium.'" Vol. III. p. 157, 158.

Neque solum spectandum est accidens absolute, sed etiam relative sive comparative, quum quoad intellectum practicum, tum quoad intellectum speculativum.

Unde inter alias hae praesto sunt maximae:

Quod competit speciei, competit generi saltem particulariter[1].

Quod convenit speciei, non propterea convenit universaliter generi.

Quod negatur de aliqua specie, negari potest particulariter de genere.

Quod negatur de specie, non propterea negatur universaliter de genere.

Quod convenit omnibus speciebus, convenit et generi.

Quod nulli speciei convenit, non convenit generi.

Quaecunque repugnant generi, repugnant speciei, sed non contra.

De quo non praedicatur genus, nulla praedicatur species.

Si genus opponitur generi, species opponitur speciei[2].

Si genus suscipiat maius et minus, suscipiet et species.

Cui convenit genus, convenit aliqua species.

Cui non convenit genus, nulla convenit species.

In quo est species, in eo est genus.

Quaecunque convenire possunt speciei, possunt et generi, sed non contra.

Illud genus est nobilius altero, sub quo continetur aliqua species nobilior omnibus speciebus alterius.

Quod aliquando non inest, non necessario inest.

Posito antecedente, ponitur consequens.

Sublato toto consequenti, vel parte eius, tollitur antecedens.

Si unum contrariorum inest subiecto, alterum non inest.

Quod necesse est rei inesse, id semper ei inesse debet.

Quod ut plurimum in re inest, ad id natura rei inclinata est.

Quod indifferenter rei inest, ad id res nullo modo inclinatur.

Contrariorum contraria sunt attributa tum affirmativa tum negativa.

Eidem subiecto attributa contraria inesse non possunt.

Idem attributum contrariis subiectis inesse non potest.

Quod potest unum contrariorum recipere, potest et aliud.

---

[1] V. g.: *Homo est rationalis. Ergo aliquod animal est rationale.*

[2] V. g.: *Quum virtus opponatur vitio, iustitia opponitur cuivis vitio.*

In quibus affirmatio est vera, in iisdem etiam vera est negatio inversa.

Si habitus habitum sequitur, etiam privationem sequitur privatio.

Si coniugata attributi et subiecti sibi conveniunt, etiam subiectum et praedicatum sibi conveniunt.

Sin coniugata illa sibi non conveniunt, neque subiectum et praedicatum sibi conveniunt.

Si quid alteri adiectum facit ipsum tale, illud quoque esse tale putandum est.

Id quod est magis et minus tale, tale et ipsum est.

Bonum quo diuturnius et constantius, eo magis est eligendum.

Quod viri boni vel prudentes in aliqua arte iudicant melius, id melius esse putandum est.

Id quod propter se bonum est, optabilius est, quam quod est bonum propter aliud.

Bonum honestum maius bonum est, quam utile et delectabile.

Finis optabilior est iis, quae ad finem destinantur.

Illud bonum praeferendum, cuius causa nobilior.

Quo propius ad finem, eo maius bonum.

Efficiens causa ea melior, quae meliorem finem habet.

Res eo magis eligenda est, quo est opportunior tempore.

Id quod difficilius paratur, optabilius est illo, quod facilius.

2° Nunc de locis a genere ductis dicendum est. Sicut e locis accidentis petuntur argumenta, quibus aliquid accidentaliter (vel etiam quocunque modo) alicui rei inesse probetur, ita nunc, quum de genere agitur, quaeruntur argumenta, quibus ostendatur, aliquid essentiam alicuius rei inchoare. Quae argumenta peti possunt tum ab internis elementis, quae genus constituunt, tum ab externa habitudine ad aliud.

Inter maximas autem huius loci hae sunt praecipuae:

Id quod non competit speciebus omnibus, harum genus revera non est.

Id quod non dicitur de inferioribus secundum essentiam, horum genus non est.

Id cui definitio accidentis convenit, non est genus.

Id quod in diversa est categoria, non est genus.

Id cui definitiones specierum conveniunt, non est harum genus.

Id non est genus, quod de pluribus analogice vel translate dicitur.

Illud quod est contrarium speciei, contrarium quoque est generi.

Genus est alicuius speciei, cuius oppositum sit species oppositi generis.

Genus non est alicuius subiecti, cuius aliqua species vel individuum esse possit, remoto per contradictionem genere.

420. 3º Ad locos iam de proprio transeundum est. Qua in causa recordandum est, proprium esse id, quod quum per se ad essentiam rei non pertineat, ex essentia tamen emanat, et de ea conversim dicitur.

Illud potissimum ad proprium requiritur, ut soli rei conveniat nec commune sit pluribus. Distinguunt proprium per se sive absolute, et proprium quoad aliud sive relative. Prius illud est, quod rem ab omnibus aliis distinguit eo, quod necessario rei soli et omni conveniat. Proprium quoad aliud illud est, quod rei proprium est respectu alīus rei certae. Ita si *animam* cum *corpore* comparaveris, animae proprium erit imperare, parere corporis. Proprium per se, quum ex essentia necessario fluat, essentiae semper inest. Proprium autem quoad aliud, non debet semper rei inesse, sed satis est, ut aliquando insit, modo rei conveniat soli. Ita *ambulare in theatro* dici potest proprium Socratis, quando soli Socrati convenit. Sed nunc de solo proprio dicendum est, quod est per se proprium et semper.

Quaestiones autem, quae in proprio versantur, res duas spectare possunt. Quaeri enim potest primo, sitne proprium recte expositum, et deinde sitne revera id, quod expositum est, proprium illius rei et cum hac convertibile. Quum expositio proprii ad rem manifestandam dirigatur, necesse est, proprium sit notius ea re, cuius est proprium.

Ex locis autem ad haec duo quaestionum genera pertinentibus hos indicamus:

Proprium ignotioribus vel obscurioribus expositum, male est expositum.

Ex notioribus et magis perspicuis recte explicatur proprium.

Proprium, in quo continetur subiectum vel subiecti pars, male ponitur.

Proprium non recte assignatur iis, quae quoad cognitionem simul sunt vel posteriora.

Qui definitionem loco proprii ponit, errat.

Quod non convenit omnibus sub subiecto contentis, non est illius subiecti proprium.

Quod non reciprocatur cum subiecto, non est subiecti illius proprium.

Subiectum non potest dici proprium eius, quod in ipso inest.

Id, cuius subiectum particeps est, non est proprium subiecti.

Opposita non sunt propria eiusdem subiecti, sed oppositorum uniformiter subiectorum.

4° Restat, ut de locis, quae quaestionibus de definitione inserviunt, aliquid dicamus. Definitionis triplex proprietas est. Primo enim essentiam rei continet, atque ita consideratur a metaphysico. Deinde est causa immediata et necessaria proprietatum rei, atque ita adhibetur ut terminus medius in demonstratione. Tertio specialem modum significat, quo praedicatum subiecto inest, vel potius est praedicatum quoddam, quod speciali modo ad subiectum refertur. Nunc haec tertia proprietas consideranda est, quippe quum quaerendum sit, utrum aliquod praedicatum subiecto tamquam eius definitio inhaereat, necne [1].

Non omnia, in quibus definitionis mentio incidit, ad hunc locum spectant, sed ea tantum hoc loco quaerentur, quae ad veritatem et rectitudinem definitionis pertinent. Quo in genere id agitur, ut definitiones illegitimae vel falsae evertantur, definitiones rectae et verae statuantur.

Ad prioris generis locos quod attinet, monet Aristoteles, definitionis vitia exhiberi posse, 1° ut ostendatur, definitionem tribui non posse omnibus, in quibus definitum reperiatur; 2° ut ostendatur, genus in definitione aut adhiberi nullum, aut non rectum aut non collocari loco primo; 3° ut ostendatur, definitionem non esse rei propriam ita, ut cum ea converti possit; 4° quum idem sit, essentiam rei non explicare, atque rem non definire [2], ostendatur, definitione essentiam rei definitae non explicari; vel 5° ostendatur, definitionem, etsi essentiam rei explicet, non recte dici, sive propter obscuritatem sive propter abundantiam. Quoniam autem de tribus prioribus ex his quinque vitiis ante (n. 142) satis diximus, reliquum est, ut quartum et quintum nunc attendatur (vel potius quintum et quartum; nam quintum ponitur prius, quum facilius sit videre, rem non esse bene definitam, quam nullo modo definitam).

Ex locis a Stagirita enumeratis hos eligimus:

Obscuritatis vitio laborat definitio, quae non determinat suppositionem subiecti multiplicem.

Obscura est definitio, in qua dicendi modus insuetus est.

Obscura quoque est, quae aliquid continet multipliciter vel metaphorice dictum.

---

[1] Hac de re Albertus Magnus: „De diffinitione docere, qualiter est tota rei essentia, relinquendum docere primo philosopho. Qualiter autem medium demonstrationis, et causa passionis de subiecto, in doctrina posteriorum determinatum est. Qualiter communis praedicati est intentio, secundum quod communiter ad subiectum referri habet, per communia et probabilia habet determinari, hanc doctrinam habet facere dialecticus.“ L. 6 topic. tract. 1 c. 1.

[2] Monet Aquinas, tum rem definiri, „quum concipitur forma quaedam, quae est similitudo rei secundum totam perfectionem ipsius“ (Quaest. disput. q. 2 de verit. a. 1), sive „quando concipitur aliqua forma de ipsa re, quae per omnia ipsi rei respondet“. Ibid. ad 9.

Clara est definitio alicuius rei contrarium habentis, ex qua facile contrarii definitio apparet.

Apta est definitio, ex qua statim apparet, cuius rei sit definitio.

Non bona est definitio, in qua inest aliquid, quod salva definitionis veritate et claritate omitti potest.

In definitione non debet idem nomen saepius repeti explicite vel implicite ex parte praedicati.

Reiicienda est definitio, quae non fiat per priora aut notiora.

Reiicienda quoque, quae caret propria et convenienti rei differentia.

Oppositorum sunt oppositae definitiones.

Eodem modo sive proportionaliter se habentium proportionalis est definitio, simile genus, differentia similis.

Ad quaestiones de definitione revocari possunt quaestiones de „eodem et diverso"; quarum solutio ad solutionem illarum plurimum confert.

Potest autem aliquid „idem dici modo triplici": numero, specie, genere. Numero est idem, cuius plura quidem nomina, res tamen una est, ut haec *vestis* et *indumentum* hoc. Specie idem sunt, quae, etsi numero plura sunt, sunt tamen eiusdem naturae, ut *Plato* et *Socrates.* Genere idem sunt, quae etsi differunt specie, sub eodem tamen genere continentur, ut *Polydamas* et *asinus.* Illud autem quod numero idem est, est maxime idem. Ex locis, qui numerantur de identitate numerica, hos indicamus exempli causa:

Illa idem sunt, quorum coniugata, vel motus, vel casus vel opposita sunt idem.

Sunt idem plura, si quidquid accidat vel dicatur de uno, idipsum accidit vel dicitur de altero.

Non sunt unum illa, quorum unum potest esse sine altero.

421. Ex quattuor locis Aristotelicis certe latissime patet is, qui in accidente versatur, „in quo quaeritur, quid generatim in aliqua re insit, vel circa aliquam rem eveniat".

„Si interrogationes, inquit Fonseca, nullo modo rogent, sitne aliquid definitio alicuius, aut proprium, aut genus, aut accidens, sed simpliciter quaerant, num aliquid alicui conveniat (velut, *num apes sint prudentes, num crocodili plorare possint, num zoophyta sint animalia, num angeli sint animalia rationalia;* quae interrogationes propter ipsam simplicem quaerendi formam ‚simplicis inhaerentiae' vocari solent), si hoc, inquam, pacto proponantur, quaestionibus accidentis annumerandae erunt. Non qua ratione accidens a tribus ceteris praedicatorum generibus distinguitur, sed qua funditur ad omnia, quae quoquo modo alicui accidunt, i. e. conveniunt, quo pacto accidentis vocabulum saepissime accipitur. Itaque accidentis interrogatio duo genera quaestionum

amplectitur, alterum accidentis proprie dicti, alterum accidentis fusissime accepti, quod genus interrogationum omnium latissime patet." [1]

Atque is, qui est locus de accidente fusius accepto, summo studio a Scholasticis excultus est. Quum enim quaestio est de ipsa definitione, vel proprio, vel genere, vel accidente logice accepto, fere satis esse potest, ut harum rerum accurata descriptio tradatur. Unde de his rebus ARISTOTELEM videmus doctrinam locupletissimam tradere in his libris topicis; ex qua doctrina maximae sponte fluunt. Quum autem generatim est quaestio de alicuius rei in aliquo subiecto inhaerentia vel eventu, omnino sequenda videtur doctrina, quam ARISTOTELES posuit de locis accidentis. Nihil tamen obstat, quominus haec doctrina Aristotelica dilatetur, augeatur, perficiatur; id quod a Scholasticis copiose effectum esse videmus.

422. **Locus accidentis ad locum omnibus disciplinis communem dilatatus.** Accidens, si accipiatur artius, illum locum constituit primum ex quattuor, quae attenduntur, quum dialectice quaeritur aliquid de alia re, utrum alicui aliquid insit ut accidens, an ut definitio vel proprium vel genus. Si autem accipiatur latius, omnes disciplinas complectitur, in quibus quaeritur aliquid de aliqua re generatim. Quaestionum tria genera distingui possunt, morale, naturale, logicum. Quaestio moralis est, *sitne parentibus potius parendum an legibus, si discrepent.* Quaestio naturalis est, *quibus legibus regantur motus siderum.* Quaestio logica est, *sintne tres tantum an quattuor syllogismorum figurae.*

Nunc igitur loci accidentis sunt attendendi, quatenus nobis maximarum copiam ad omnia quaestionum genera tractanda suppeditant.

Sed antequam ad rem veniamus, monendum est breviter, horum locorum alios artificiosos vocari, qui argumenta ἔντεχνα sive, ut vocat TULLIUS, insita continent, quae arte aliqua ex ipsa quaestione proposita eliciuntur; alios autem artis expertes nominari, qui argumenta ἄτεχνα sive, ut vocat TULLIUS, assumpta vel remota continent, quae non ex ipsa quaestione, sed ab autoritate assumuntur sive divina, sive humana. Et quoniam loci, qui artis sunt expertes, rem extrinsecus tantum declarant, de his breviter tantum a Scholasticis dici solet, de artificiosis enucleatius. Sed his dictis iam de ipsa re agendum est.

De numero et ordine locorum, qui aptior sit, aliqua est inter philosophos dissensio. Nobis illa distinctio et enumeratio visa est facilior et expeditior atque etiam naturae rerum satis accommodata, cuius usus apud Scholasticos erat communior [2].

Loci interni sive artificiosi viginti sunt, externi sive artis expertes duo. Nam argumenta aut significant idipsum, ex quo sumuntur, aut ea, quae aliquo modo ad id affecta sunt sive ea, quae

---

[1] PETRUS FONSECA, S. I., Instit. dial. l. 7 c. 8.

[2] Nos hanc exscribemus fere ex institutionibus dialecticis PETRI FONSECAE (omissis tamen iis omnibus, quae ad explicanda praecepta sunt addita).

id aliqua ratione respiciunt. Quae idipsum significant, sunt definitiones, descriptiones, notationes etymologicae. Quae autem ad id affecta sunt, aut sunt illi coniuncta, aut ab eo disiuncta. Coniuncta vero aut sunt connexa aut circumstantia. Connexa ea sunt, quae ad id ita affecta sunt, ut illud ex ipsis necessario pendeat, in quo genere sunt coniugata partes, totum, causae, effectus, antecedentia et consequentia. Circumstantium nomine ea significantur, quae ita cum re sunt coniuncta, ut non necessario cum ea cohaereant; quae quidem vel praecurrentia sunt, vel comitantia vel subsequentia. Disiuncta vero aut consentanea sunt, inter quae reperiuntur similia, maiora, minora, aequalia, sive paria, aut dissentanea, inter quae sunt dissimilia, opposita, disparata sive quovis modo repugnantia. Artis denique expertes sunt auctoritas divina et humana.

Et sub brevem conspectum loci subiiciantur hoc modo:

- Locus:
  - Artificiosus:
    - Ipsius rei, ex qua argumentum sumitur:
      1. Definitionis.
      2. Descriptionis.
      3. Notationis.
    - Eorum, quae rei coniuncta sunt:
      4. Coniugatorum.
      5. Partium.
      6. Totius.
      7. Causarum.
      8. Effectorum.
      9. Antecedentium.
      10. Consequentium.
      11. Praecurrentium.
      12. Comitantium.
      13. Subsequentium.
    - Eorum, quae a re disiuncta sunt:
      14. Similium.
      15. Maiorum.
      16. Minorum.
      17. Parium.
      18. Dissimilium.
      19. Oppositorum.
      20. Repugnantium.
  - Artis expers: . . . .
      21. Auctoritas divina.
      22. Auctoritas humana.

Quo autem facilius haec locorum distributio intelligatur, haec exempla ascribemus. Probatur igitur:

1° *Hominem esse capacem disciplinae,* ex definitione, *quod sit animal rationale.*

2° *Hominem esse risibilem,* ex descriptione, *quod sit substantia capax admirationis.*

3° *Caii esse, ut consulat rei publicae,* ex notatione, *quod sit consul.*

4° *Sapientem esse iustum,* ex coniugatis, *quod iuste agat.*

5° *Aedificium esse domum,* ex partibus, *quod constet fundamento, pariete, tecto.*

6° *Aliquem diligere proximum,* ex toto, *quod sit omni virtute praeditus.*

7° *Opus quoddam praestantissimum esse,* ex causa efficiente, *quod artifex sit peritus;* vel ex causa materiali, *quod sit ex auro confectum;* vel ex causa finali, *quod ad usum cultus divini destinatum sit;* vel ex causa formali, *quod habeat formam secundum omnes regulas artis.*

8° *Deum esse infinitae potentiae,* ex effectu, *quod mundum ex nihilo creaverit.*

9° *Caium esse animal,* ex antecedente, *quod sit homo;* vel

10° *adesse fundamentum firmum,* ex consequente, *quod domus firma sit.*

11° *Caium esse virum probum,* ex praecurrente, *quod probos parentes habuerit.*

12° *Furem heri iterum furatum esse,* ex concomitante, *quod heri occasionem habuerit.*

13° *Caium esse strenuum mercatorem,* ex subsequente, *quod amplam domum aedificet.*

14° *Civitatem gubernandam esse,* ex simili, *quod navis sit gubernanda.*

15° *Iudam pauperi non dedisse talentum,* ex maiore, *quod ne assem quidem dederit.*

16° *Ducem superasse exercitum parvum,* ex minore, *quod maximum vicerit.*

17° *Caium vidisse Petrum,* ex aequali, *quod Paulum Petro astantem conspexerit.*

18° *Iniustum esse reprehendendum,* ex dissimili, *quod iustus laudandus sit.*

19° *Sophroniscum non esse filium Socratis,* ex opposito, *quod sit eiusdem pater;* vel: *omne vitium vituperandum esse,* ex opposito, *quod omnis virtus laudanda sit.*

20° *Id quod videam et palpem, non esse spiritum,* ex repugnanti, *quod sit corpus.*

Atque hi loci communes, quamvis ex sese non faciant hominem in ullo rerum genere peritum, sunt tamen multa cura et diligentia perpendendi. Nemo enim locos in unaquaque disciplina proprios via et ratione tenere potest, quin teneat ante communes.

423. 1° Locus definitionis. Tribus modis probari potest, aliquid alicui convenire aut non convenire: definitione subiecti, definitione praedicati, definitione utriusque.

Huius loci sex sunt maximae:

Quidquid convenit definitioni, convenit definito.

Quidquid non convenit definitioni, non convenit definito.

Cui tribuitur definitio, tribuitur definitum.

Cui non tribuitur definitio, non tribuitur definitum.

Si definitio alicuius convenit definitioni alterius, etiam definitum definito convenit.

Si definitio non convenit definitioni, nec definitum definito convenit.

2° Locus descriptionis tum maxime adeundus est, quum ad locum definitionis non patet aditus; descriptio enim imperfecta definitio est. Est autem huius loci tractatio eadem atque superioris.

3° Locus notationis dicitur, qui argumenta continet a notatione nominis, sive ab etymologia vel vocis interpretatione. Usus autem huius loci in argumentando non est adeo firmus, nisi vis nominis rei conveniat; ut *consul* dicitur is, qui consulit rei publicae. Maximae de definitione etiam huic loco tribui possunt mutatis vocabulis.

424. 4° Post tres locos, qui de ipsa re sunt, de decem locis dicendum est eorum, quae rei probandae coniuncta sunt. Quorum primus est locus coniugatorum, qui ea argumenta continet, quae ex vocis et significationis communione fiunt.

Nam ea vocabula coniugata dicuntur, inter quae et significationis et vocis quaedam est coniunctio vel, ut dicit Cicero, „quae sunt ex verbis generis eiusdem", ut: *sapiens, sapienter, sapientia, sapere;* vel: *virtus, cum virtute agere, virtute praeditus.* Quoniam autem in coniugatis potior est significationis quam vocis coniunctio, illa a coniugatorum numero non excluduntur, quae licet vocis societate careant, tamen eiusdem significationis vinculo colligantur, velut: *officere et nocumentum.* Huius loci duae sunt maximae:

Cum quo cohaeret unum coniugatorum, cohaerent et reliqua.

Cum quo non cohaeret unum, nec reliqua.

Concludes recte: *Homo sum, humani nihil a me alienum puto.* At ambigue: *Quum homines simus, humana tantum curare debemus.*

5° Locus partium ad ea argumenta refertur, quibus totum vel de toto aliquid demonstratur.

Quia autem alio modo se habent partes integrantes ad totum integrum, quam partes subiectae ad totum universale, secundum diversa partium genera diversae sunt huius loci maximae. Ad partes integrantes pertinent hae:

Positis omnibus partibus integrantibus ponitur totum.
Sublata quacunque parte integrante tollitur totum.

Ad partes autem subiectas hae spectant:

Posita quacunque parte ponitur totum.
Sublatis omnibus partibus tollitur totum.

Falso tamen concluderet quispiam: *Lapides sunt, calx est. Ergo paries est;* vel: *Socrati sublatus digitus est. Ergo periit Socrates;* vel: *Corpus et*

anima sunt principia interna rei naturalis. Ergo etiam homo est eiusmodi principium [1].

6° Locus totius eas maximas exhibet, quibus ex toto partes esse confirmatur aut refellitur; vel etiam ex toto aliquid de partibus probatur aut negatur.

Sed alio modo totum compositum, sive essentiale est sive integrum, se habet ad partes suas, atque totum universale se ad partes sibi subiectas habet. Ad totum compositum hae spectant maximae:

Posito toto integro ponuntur omnes partes.

Sublato toto integro aliqua saltem pars tollitur.

Ad totum autem universale referuntur hae:

Posito toto universali ponitur aliqua pars subiecta.

Sublato toto universali tolluntur omnes partes subiectae [2].

Ad totum illud revocatur, quod dicitur totum in multitudine *(omne animal)*, totum in loco *(ubique)*, totum in tempore *(semper)*, totum in modo *(homo*, cuius pars est *homo sapiens)*.

7° Locus causarum iis argumentis inservit, quae ex quattuor causarum generibus ducuntur.

Sunt huius loci hae praecipue maximae:

Causa potens et effectus in potentia simul sunt aut non sunt.

Causa in actu et effectus in actu simul sunt aut non sunt.

Qualis causa, talis ut plurimum est effectus [3].

Haec tertia maxima resolvi potest in quattuor:

Quorum efficientia sunt bona, ipsa sunt bona.
Quorum efficientia sunt mala, ipsa sunt mala.
Quorum interimentia sunt bona, ipsa sunt mala.
Quorum interimentia sunt mala, ipsa sunt bona.

---

[1] Alii paulo aliter:

Sublata una parte essentiali tollitur totum.
Positis omnibus partibus et unione ponitur totum.
Sublata una parte integrali vel subiectiva non tollitur totum.
Pars non praedicatur de toto.

[2] Alii enuntiant hoc modo:

Posito toto essentiali ponuntur omnes partes essentiales.
Sublato toto partes vel tolluntur vel dissolvuntur.
Posito toto integrali et potentiali non necessario ponuntur omnes eius partes.

[3] Alii ita enuntiant:

Posita causa in esse causae ponitur effectus.
Sublata causa tollitur effectus.
Si negatio est causa negationis, affirmatio est causa affirmationis.

8º Locus effectorum ad ea argumenta refertur, quibus aliquid de causa probatur ab effectu.

Cuius loci maximae eaedem sunt atque praecedentis, inverso tantum terminorum ordine:

Posito effectu in potentia ponitur causa in potentia.
Posito effectu in actu ponitur causa in actu[1].

9º et 10º Loci antecedentium et consequentium, qui ut intelligantur, observandum est, antecedens et consequens duplici ratione dici posse, aut simpliciter sive ratione necessariae consecutionis, aut ex hypothesi sive ratione necessariae suppositionis.

Prima ratione antecedens dicitur res, ex qua necessario sequitur aliud, et consequens ea, quae ex alia recte infertur, ut *animal ex homine, virtus ex iustitia.* Id autem non solum est in ordine logico, sed etiam in ordine temporis, ut *mors ex vulnere in corde.* Altera ratione antecedens dicitur res, quae necessario existere debet, si aliud existit; et consequens ea, quae existere non potest sine alia praesupposita, ut *fundamentum aedificii* antecedens est.

De antecedentibus et consequentibus consecutionis necessariae sunt maximae hae:

Posito antecedente necesse est, poni consequens.
Sublato consequente necesse est, ut tollatur antecedens[2].

De antecedentibus et consequentibus necessariae suppositionis sunt maximae hae:

Sublato antecedente necesse est, tolli consequens.
Posito consequente necesse est, poni antecedens[3].

11º, 12º et 13º Sequuntur loci tres, quos adiunctorum sive circumstantiarum appellant, qui sunt praecurrentium, concomitantium, subsequentium. Circumstantia ea vocantur, quia quidem cum re cohaerent, non tamen necessario.

Ita a praecurrentibus probatur, aliquem *perpetrasse homicidium,* eo quod paucis ante diebus mortem caeso minatus fuerit, quod de nocte domo exierit. A concomitantibus, quod auditus sit certus quidam clamor, pedum strepitus.

---

[1] Alii ita enuntiant:
Ab effectu pendente in Conservari a sua causa colligitur causa.
Effectus bonus a bona causa, malus a mala.

Atque ad hunc locum revocant maximas de usibus:
Cuius usus est bonus, id bonum est.
Cuius usus malus est, id malum est.

[2] Quibus aliqui addunt:
Sublato antecedente non tollitur consequens.
Posito consequente non necessario ponitur antecedens.

[3] Quibus addunt:
Posito antecedente non necessario ponitur consequens.
Sublato consequente non necessario tollitur antecedens.

A subsequentibus, quod homo ille postea latebras quaesierit; quod inventus expalluerit; interrogatus titubaverit. Quae autem horum locorum sunt maximae, in hac una intelligi possunt:

Qualia sunt circumstantia, talem verisimile est esse rem, quam circumstant.

Quamquam argumenta, quae ex hac maxima formantur, non sunt necessaria, saepe tamen probabilitatem efficiunt, saepius suspicionem movent. Quinimmo fieri potest, ut positis plurimis de una re huiusmodi probabilitatibus instituatur argumentatio, qua necessitas sive certitudo effici possit.

425. 14° Iam a locis coniunctorum ad disiunctorum locos veniendum est, in quibus, quae insunt, in consentanea dividuntur et dissentanea. Ad consentanea spectant: similia, maiora, minora, paria; ad dissentanea: dissimilia, opposita, repugnantia.

Horum igitur primus est locus similium sive eorum, quae probandi vim habent propter aliquam cum re similitudinem, velut quum quis argumentari velit: *Corpus regitur oculis. Ergo animus mente gubernandus est.*

In hoc loco totum inest exemplorum genus, sive proprie exempla sunt, sive parabolae sive apologi. Duae autem sunt huius loci maximae praecipuae:

Quod de uno similium valet, valet de ceteris.

Quod non valet de uno, neque de ceteris valet[1].

Similia autem hoc loco non solum ea sunt, quorum eadem est qualitas, sed ea omnia, quibus vel unum aliquod convenit, vel certe plura, quae inter se proportionem habent, velut *duae res albae, duo corpora aequalia, duo animalia eiusdem speciei, mens et oculi, serenitas et tranquillitas.*

15°, 16° et 17° Sequuntur loci tres comparatorum, qui sunt maiorum, minorum, parium, vel, ut vocantur rectius, loci maioris, minoris, eiusdem probabilitatis.

Maiora enim sunt, quae maiorem probabilitatem habent, quam res, quae probanda est, minora, quae minorem, paria, quae parem sive eandem. A maiore, vel, ut aiunt, a fortiore argumentaberis: *Si in divitiis, adiuncta etiam potestate et honoribus, non est summum bonum, qui fieri potest, ut in divitiis hominis obscuri et privati situm sit?* A pari: *Si virtus amplectenda est, vitia sunt repudianda.* Hae locorum, de quibus diximus, maximae sunt:

Si id, quod verisimilius dicitur, non est verum, neque id verum erit, quod minus videtur verisimile.

Si id, quod minus verisimile dicitur, verum est, id quoque erit verum, quod magis verisimile videtur.

[1] Addunt nonnulli: Parium par est ratio, velut quum quis argumentatur: *Quae poena iusta est adversus parricidam, iusta est etiam adversus matricidam.* Nam ratio similitudinis accipi potest pressius, ita ut in metaphorica tantum proportione cernatur; hoc modo a paritate distinguitur, quae cernitur in aliquo, quod vere et proprie utrique inest.

Si data res vera est aut falsa, ea etiam, quae videtur aeque probabilis, vera erit aut falsa.

Quarum prima praebet argumenta tantum negativa; secunda tantum affirmativa; tertia et negativa et affirmativa.

18° Sequuntur loci tres dissentaneorum, quorum primus est dissimilium.

Dissimilia hoc loco ea intelliguntur, quibus, qua talia sunt, neque quidpiam commune est, neque sunt complura, quae inter se proportionem habeant. Quorum usus his maximis traditur:

Dissimilibus dissimilia conveniunt.

Quod uni dissimilium, quia dissimile est, convenit, non convenit alteri[1].

19° Locus oppositorum. Ea sunt opposita, quae inter se aliqua ratione excludunt, quorum quattuor esse genera diximus: relata, contraria, privativa, contradictoria.

Sunt de oppositis duae maximae generales:

De quocumque affirmatur alterutrum oppositorum, negatur alterum.

Si alterutrum ex oppositis sequitur alterutrum ex aliis, alterum sequetur alterum; si posterius non sequitur posterius, nec prius sequetur prius[2].

Relatorum hae sunt maximae:

Relata inter se ponunt tolluntque.

Relata simul cognoscuntur aut ignorantur.

Contrariorum hae sunt:

Illud non est in aliquo, quo posito sequitur, duo contradictoria simul inesse.

Illud non est in aliquo, cuius oppositum in eodem esse non potest.

De privativis autem et contradictoriis haec erit maxima:

Ex duobus privative aut contradictorie oppositis, si alterutrum non convenit, alterum conveniat necesse est.

20° Ex locis internis restat ultimus, qui dicitur locus repugnantium. Et repugnantia quidem hoc loco intelliguntur ea, quae vulgo disparata vocantur, quorum unum non potest esse

---

[1] His aliqui addunt: Disparium dispar est ratio, velut: *Quae poena iusta foret adversus parricidam, iusta non esset adversus quemlibet furem.*

[2] Alii has ponunt maximas:

Opposita ita inter se pugnant, ut simili modo pugnare non possint cum alio diversae naturae.

Oppositorum oppositae sunt consequentiae.

Opposita una esse non possunt.

alterum, quin tamen ullum oppositionis genus intercedat, velut: *lignum et lapis, anima et corpus.*

Has potissimum maximas hic locus exhibet:

Cui convenit unum ex disparatis, eidem non conveniunt alia.

Si disparata immediate sunt in aliquo genere, cui non convenit unum, conveniet unum ex reliquis[1].

426. 21° et 22° Restat, ut breviter dicamus de duobus locis externis sive artis expertibus, quorum uterque in testimonio vel auctoritate dicentis est positus. Ex quo duplex locus oritur: auctoritatis divinae et auctoritatis humanae.

Quae res quum alibi commodius tractentur, hic paucis contenti esse possumus de auctoritate humana. Testimonium hoc loco intelligitur omne, quod ab aliqua re externa sumitur ad faciendam fidem. Interdum ipsa veritas loqui videtur in proverbiis, quae ab omnibus hominibus usurpari solent, velut: *Impedit ira animum, ne possit cernere verum;* vel: *Plus negat asinus, quam probat philosophus.* Sed et quaedam res sunt, quae ex solo usu pondus testimonii habent, ut sunt multa, quae ad grammaticam vel civilem cultum pertinent. Plerumque etiam facile creditur iis, qui ipsi experti sunt. Et generatim testimonio auctoritas affertur vel a natura vel a tempore. Naturae auctoritas in virtute inest maxime. Praeterea et „ingeniosos, ut observat Tullius, et opulentos et aetatis spatio probatos, dignos, quibus credatur, putant; non recte fortasse, sed vulgi opinio mutari vix potest, ad eamque omnia dirigunt et qui iudicant et qui existimant“[2]. Quae tamen res, ut sunt *nobilitas* et *potentia*, ea tantum ratione aliquid auctoritatis habere possunt, quatenus praemia virtutis et prudentiae esse videntur. Et temporis etiam ad gignendam testimonio auctoritatem vis magna est. Ea universe argumenta ex testimonio hominum censentur esse firmiora, quae antiquitate probata sunt; quia id, quod falsum est vel imprudens, aliquando proditur et detegitur, veritas autem tempore confirmatur et roboratur.

Ad ea, quae ex auctoritate humana trahuntur, hae imprimis maximae spectant:

In usu verborum sequenda est vulgi consuetudo.

In sententia de rebus ferenda iudicium sapientum.

Sed interdum etiam fieri potest, ut errantium dicta ad confirmationem veritatis afferantur. Qui vero haec recipit, „non recipit ea propter auctoritatem dicentium, sed propter rationem dictorum. Unde bene dicta recipit, et alia respuit. Sed quando utitur iis propter aliquos errores refellendos, utitur iis, in quantum sunt in auctoritatem aliis, qui refelluntur, quia testimonium adversarii efficacius est.“[3]

---

[1] His addunt aliqui:

Repugnantia sive disparata ita inter se pugnant, ut simili modo pugnent cum alio diversae naturae.

[2] Topic. c. 19 n. 73.

[3] S. Thom., Opusc. 63 sup. Boeth., De trinit. q. 2 a. 3 ad 8.

427. **Scholia, quae doctrinam de locis spectant.** *Scholion 1.* Nunc afferre oportet ea, quae ad quaestiones comparatas pertinent, quas quidem hactenus praetermisimus. Quae enim supra sunt constituta, ad quaestionem absolutam spectant, non ad comparatam. Absoluta est quaestio, quum absolute quaeritur, sitne hoc illud, necne. Comparata est, quum quaeritur, utrum sit hoc magis tale, quam illud, necne [1].

Nos paucissimas tantum ex maximis hoc loco ponimus, non ut doceamus, sed ut invitemus potius lectorem ad legendum ipsum librum Aristotelis.

Quod magis proprium est rei, eidem melius est.

Quod inest rei meliori, melius est.

Quod prioribus inest, praestantius est, quam quod posterioribus.

Quod per se est causa boni, praestantius est, quam quod per accidens.

Quod ad finem vitae spectat, maius est, quam quod ad aliquid aliud.

Id simpliciter melius est, magisque eligendum, quod melior disciplina eligendum praescribit.

Scholion 2. Apud logicos interdum alia occurrit locorum divisio, quae tracta est a triplici scientiae genere, unde loci petiti sunt.

Ponunt enim 1° locos grammaticos vel ab etymologia, vel a coniugatis tractos; 2° locos logicos petitos: a) ex definitione; b) ex divisione; c) ex universalibus; 3° locos metaphysicos tractos: a) a causis; b) ab effectibus; c) a similibus; d) a contrariis; e) a conditionum variarum circumstantia.

Scholion 3. Cicero quum de rebus topicis scriberet, non propositiones, sed notiones generales ut locos proposuit, quos, ut par est, traxit ex rationibus, quibus ad rem aliquam probandam uti possimus.

Insitos indicat sedecim: a definitione, ab enumeratione partium, a notatione nominis, a coniugatis, a genere, a forma sive specie, a similitudine, a contrariis, ab adiunctis, ab antecedentibus, a consequentibus, a repugnantibus, a causis, ab effectibus; a comparatione maiorum, minorum, parium. Externos vero sive testimonia, alios ad alias quaestiones prudenter adhibendos esse docet. Expositis vero omnibus argumentandi locis, de usu locorum praecipit in dirimendis causis et probandis thesibus.

Scholion 4. De usu locorum communium haec fere post Aristotelem monet Fonseca [2]: Etsi loci, qui omnium disciplinarum communes sunt, ex sese in nullo rerum genere hominem peritum faciunt, sunt tamen aptissimi ad invenienda argumenta, quibus

---

[1] De his Aristoteles copiose dixit libro tertio topicarum. Cfr. Fonseca, Op. cit. l. 7 c. 36.

[2] Institut. dialect. l. 7 c. 37.

quaestio quaelibet commode pertractari possit. Quamvis enim invenire argumenta rationis sit et ingenii, facile tamen invenire artis est et huius de locis disciplinae. Qui igitur labore exiguo simulque copiose de quacumque proposita quaestione disserere voluerit, is primum nosse debebit omnem locorum seriem. Deinde hanc eandem multa meditatione quasi ante oculos habere. Quum denique quaestio proposita fuerit, tum subiectum, tum praedicatum, tum etiam totam complexionem per locos, qui a logicis indicantur, ducere, ut argumenta omnia, quae ad rem pertinent, quasi dato signo accurrant.

Sed hic locorum usus, postquam iis penitus intelligendis semel et iterum navaveris operam, in alteram quasi naturam transire debet. Neque hac locorum arte argumenta cogenda sunt et per vim trahenda, sed quasi invitanda, ut sponte prodeant. Alioquin timendum est, ne via haec et ratio, quae facile exquirendis et inveniendis argumentis excogitata est, impedimento potius sit futura ingeniis, neve argumenta, quae ratio ex se ipsa liberius discurrens haud magno labore inveniret, his legibus quasi compedibus adstricta ullo modo assequatur. Atque ut paucis multa complectamur, non ideo quaesita est haec ars, ut naturam praeceptorum quasi vinculis ligaret, sed ut eam incertis passibus vagantem in viam reduceret, vel in ea retineret et paucis instructam multis locupletaret. Atque etiam illud mente retinendum est, traditos locos non solum suppeditare materiam omnis probationis, sed etiam amplificationis atque omnium troporum, quibus oratio suis quasi luminibus decoratur. Id etsi rhetorum atque poëtarum interest pluris, non tamen a philosophis omnino alienum est.

Scholion 5. Hi loci, ut scite post Aristotelem monet Fonseca, aut ut communes spectari possunt, aut ut proprii sive ad propriam et peculiarem materiam alicuius disciplinae accommodati.

Et communes quidem sunt, quum ad certum quoddam rerum genus non adstringuntur, sed id tantum sunt, quod his vocibus significatur: *locus definitionis, locus descriptionis,* reliq. Proprii sunt, quum ad certum genus coarctantur, velut quum dicitur *locus definitionis virtutis,* vel *locus definitionis naturae,* vel *locus descriptionis gentis.* Et ex communibus quidem locis non maior opportunitas nascitur ad argumentationem de moribus vel de natura vel ulla alia re. At proprii loci suis cuiusque generis propositionibus continentur. Danda igitur quam maxime opera, ut communibus propriorum peritia adiungatur[1]. Quod ut fiat, multa meditatione opus est, multo etiam maiore lectione. Adnotanda sunt, ut monet Aristoteles, complura pronuntiata multaeque sententiae eorum, qui clari et illustres in quolibet rerum genere fuerunt. Nec temere id faciendum est, sed ordine et ratione singula rerum genera lustrando. Atque omnia ita oportet esse consignata, ut parata sint et in promptu ad disserendum.

428. **Usus hypothesis.** Hypothesim sive suppositionem hac nostra aetate intelligunt sumptionem in se probabilem, qua indicatur causa,

[1] Fonseca, Institut. dialect. l. 7 c. 38. De locis propriis admonitio.

quae ad explicandum certum et notum effectum satis sit. Hypothesis definiri solet, ut sit propositio, cuius veritas nondum est demonstrata, quae tamen interim assumitur tamquam vera, quia ad indicandam causam quorundam factorum satis idonea est [1].

Non semper tamen hodierna significatio huic voci suberat. De Stagirita recte est apud TRENDELENBURG: „Quidquid aut rem esse aut non esse postulat, ARISTOTELI est ὑπόθεσις (l. 1 anal. post. c. 10). Inde facillime ea significatio manavit, quam nunc quidem hypothesis habet. Quoniam autem scientia eo intenta est, ut in suo quaeque genere infinitae rerum varietati causam aperiat, haec quidem per se occulta ingenio anticipatur, anticipata autem ὑπόθεσις proponitur, ex qua, quae consequentia sunt, ducantur ut cum rebus comparata, causam, si discrepent, refutent, si congruant, confirment." [2] Hunc hypotheticum cognoscendi modum S. THOMAS in mente habuit, quum scriberet: „Ad aliquam rem dupliciter inducitur ratio: Uno modo ad probandum sufficienter aliquam radicem, sicut in scientia naturali inducitur ratio sufficiens ad probandum, quod motus coeli . . . . Alio modo inducitur ratio, non quae sufficienter probet radicem, sed quae radici iam positae ostendat congruere consequentes effectus, sicut in astrologia ponitur ratio excentricorum et epicyclorum ex hoc, quod hac positione facta possunt salvari apparentia sensibilia circa motus coelestes. Non tamen ratio haec est sufficienter probans, quia etiam forte alia positione facta salvari possent." [3]

Pro varia autem eventuum natura triplex hypothesium classis indicari solet: physica, moralis, logica sive hermeneutica.

Physica est, quae ad explicandos naturae eventus ponitur, qui, quum legibus regantur irrationalibus, proxime ad causas irrationales referendi sunt. Moralis in iis adhibetur, quae a libertate pendent et moribus hominum. Hoc modo ex factis externis opinamur de ingenio hominum internaque sententia; ex actionibus intentionem agentis colligimus. Hypothesis denique hermeneutica in explicandis auctorum sententiis versatur vel in interpretando aliquo vocabulo et in huius generis similibus.

Scholion 1. Errant, qui id omne hypothesim vocant, quod non immediate in seipso sensu percipi possit.

Ex natura enim hypothesis perspicuum est, id tantum hypothesim vocari posse, cuius veritas explorata nondum est, sed quod ad tempus ponitur tantum,

---

[1] „Die Hypothese ist die vorläufige Annahme einer ungewissen Prämisse, die auf eine dafür gehaltene Ursache geht zum Zwecke ihrer Prüfung an ihren Consequenzen." (UEBERWEG, System der Logik § 134. Cfr. TRENDELENBURG Log. Untersuch. II. p. 420 sqq.) „Hypothesen sind zu den Thatsachen hinzugedachte Voraussetzungen, welche um der Thatsachen willen gemacht werden, aber selbst der thatsächlichen Nachweisung sich vorläufig entziehen." (W. WUNDT, Logik. I. p. 404.) Cum his convenit, rem si spectes, definitio a SANSEVERINO expressa: „Hypothesis est opinio ex pluribus principiis probabiliter constituta ad explicandam causam, aut naturam alicuius rei, quae neque experientia innotescit, neque adhuc ratione demonstrata est." Log. parte 3 § 8.

[2] Elem. log. Arist. § 66. [3] Summ. theol. I. q. 32 a 1 ad 2.

ut cognoscatur, consentiantne ea, quae inde consequantur, secum ipsa et cum aliis rebus[1]. Unde stulte dicunt, qui notitiam, quam prudens quisque habet de existentia substantiarum incorporearum, vel de existentia Dei, vel qui generatim omnes certas ab effectu percepto ad causam non perceptam conclusiones vocant „hypotheses“[2].

Scholion 2. Errant quoque, qui nomen hypothesis trahunt ad significandas quaslibet fictiones gratuitas vel opinationes vanas.

Namque hypothesis est „opinio ex observationibus, experimentis, rerum analogia vel notionibus bene definitis probabiliter deducta ad explicandam alicuius rei naturam causamque, ulteriori quidem disquisitioni et confirmationi committenda“[3]. Itaque ipsa ratione ad formandas hypotheses idcirco impellimur, quod causas rerum cognitarum cognoscere, et generatim ex iis, quae iam habeamus cognita, ad ea progredi cupimus, quae adhuc sunt incognita[4].

Scholion 3. Differt quoque hypothesis stricte sumpta a sola coniectura vel suspicione, qua quis factum aliquod hoc vel alio modo se habere suspicatur.

Ita Galilei initio suspicatus est, motus minutos rei pendulae esse isochronicos; spatia, per quae cadant corpora, se habere ut quadrata temporum. Quibus in rebus aliqua ipsorum factorum anticipatio cernitur, non autem hypothesis, quae ad explicanda facta excogitata sit. Est igitur hypothesis quaedam coniectura, sed non omnis coniectura est hypothesis. Et difficile est nonnunquam, inter hypotheses (vi vocis pressa) et coniecturas suspicionesve certum limitem ponere. Quamobrem historici vel iudices vel philologi non vituperandi sunt, suspicionem aliquam vel coniecturam nomine hypothesis insignientes[5].

Scholion 4. Postquam de notione hypothesis accurate dictum est, vix opus est animadvertere, hypothesim ex se solam dumtaxat probabilitatem gignere posse.

Qui enim hypothesim enuntiat, hoc modo ratiocinatur: Si haec causa existeret, hi eventus nobis exhiberentur; atqui hi eventus nobis exhibentur. Quibus ex praemissis, quae est natura syllogismi conditionalis, certo non sequetur, causam illam existere. Verumtamen si hypotheses omnes, quae fieri possunt, colligis demonstrasque, omnes reiciendas esse praeter unam, quippe quae una factis respondeat, tum profecto absolute concludes: Haec causa certe existit. Et quae fuit hypothesis, in thesim mutabitur vel theoriam certam. Sed etiam ante hanc certam comprobationem hypotheses adhiberi possunt; cavendum tamen, ne ipsis utamur pro rebus certis. Qua in re Peripatetici nobis exemplo esse possunt, qui systema Ptolemaicum per multa saecula habebant pro re tantum probabili[6].

---

[1] Cfr. Wundt, Logik. I. p. 403. [2] Cfr. Ueberweg, System der Logik § 134.

[3] Iacob. de Bye, Oratio universam hypothesium philosophicarum theoriam exhibens. Lugd. Batav. 1790. part. 1 c. 1.

[4] Wundt, Logik. I. p. 402. [5] Ueberweg, System der Logik § 134.

[6] Hac de re Aquinas: „Omnes plurima a se asserunt ignorata, sicut Aristoteles quadraturam circuli et rationes ordinis corporum coelestium, in

429. Constituta hypothesis vi et notione, de eiusdem usu videndum est.

Hac de re primus aliqua praecepit PLATO [1]. Et ipsum ARISTOTELEM haud raro hypotheses adhibuisse constat [2].

Ex recentioribus aliqui usum hypothesium nimium coarctarunt, immo fere vetuerunt. Inter quos praecipui illi sunt, qui BACONIS Verulamii exemplum secuti experientiae et observationi sensili partes omnes in scientia contulerunt. Neque THOMAS REID abstinere potuit, quin in usum hypothesium vehementer inveheretur, nihil illarum ope inventum esse asseverans [3].

Non est infitiandum, propter hypotheses male adhibitas non raro scientiae haud leves difficultates creatas esse. Accidere enim facile potest, ut alicuius hypothesis inventor vel amator ita sit eius amore captus et obcaecatus, ut illam non habeat pro sola hypothesi, sed pro veritate probata; ut nihil videat, quod sit suae hypothesi contrarium (n. 180 *Schol.* 2). Unde innumerabiles errores, praeiudicia, falsae theoriae sunt orta, quae progressui scientiae magno impedimento fuerunt.

Sed his non obstantibus quivis videt, magnam hypothesium utilitatem esse. Saepenumero enim homines adhibitis hypothesibus ad veras rerum causas cognoscendas adducti sunt et ad praeclara inventa, quibus vita humana magnopere exornatur. Hypothesibus detectae sunt leges, quibus res innumerabiles mirabili inter se ordine connectuntur. Et multa etiam facta, quae omissis hypothesibus nunquam fortasse in cognitionem hominum venissent, nunc facili opera sunt cognita.

Cuius rei exempla quum plurima sint, pauca afferemus. Per hypothesim primum systema Kopernicanum propositum et post reiectam hypothesim Ptolemaïcam niti veritate cognitum est. — De planetarum itineribus KEPLERUS proposuit sibi hypotheses viginti, et intervallo quodam paucorum minutorum adductus est, ut a considerationibus Tychonicis regressus, novam hypothesim poneret,

---

quibus, ut ipsemet dicit, nonnisi t o p i c a s rationes reddere potest; et quid sit in eis necessarium et eorum motoribus, aliis reservat." (Summ. c. gent. l. 3 c. 44.) Alio loco mentio incidit diversarum hypothesium, quas astronomi posuissent ad explicandos motus siderum, et addit Aquinas: „Illorum autem suppositiones, quas adinvenerunt, non est necessarium esse veras; licet enim talibus suppositionibus factis appareant solvere (irregularitates), non tamen oportet dicere, has suppositiones esse veras; quia forte secundum aliquem alium modum nondum ab hominibus comprehensum, apparentia circa stellas salvatur." S. THOM. in l. 2 de coelo lect. 17.

[1] Phaedon p. 100 A, 101 D, 107 B. De republ. VI. 510 sqq., VII. 533 sqq. Parmen. 127 sqq., 134 sqq. Cfr. UEBERWEG, System der Logik § 134.

[2] Inter alios locos cfr. l. 1 meteor. c. 7, 344 sqq.

[3] Essais sur les facultés intellectuelles. Ess. 1 c. 3.

cuius deinde veritas multis observationibus et computis mathematicis est explorata. „Sola igitur haec octo minuta viam praeiverunt ad totam astronomiam reformandam.“ — Ut hypothesis deinde proponebatur primo lex universalis gravitatis, cuius veritas postea extra omne dubium est positum. — De origine meteororum olim quattuor erant hypotheses, quarum prima causas illarum rerum indicavit eruptiones vulcanicas nostrae terrae, altera vapores atmosphaericos, tertia eruptiones vulcanicas lunae, quarta illarum rerum origines ex causis quas vocant cosmicis repetebat. Atque haec quarto loco posita hodie iam hypothesis non est, sed res probata, quum sola sit, quae cum observatis factis omnibus possit componi. Et eo ipso etiam tres priores hypotheses evanuerunt. — Cometas quod attinet, quod radii lucis per cometas transeunt, nullo modo franguntur, duplici hypothesi explicari posse videtur: aut enim corpora illa massa aëriformi subtilissima constitui ponitur, aut pluribus particulis solidis, discretis. Et haec quidem secundo loco posita opinio in dies crescit probabilitate. — In rebus opticis olim circumferebantur hypotheses duae, undulationis una, altera emissionis, quarum utraque per tempus cum observatis factis satis congruere videbatur, donec tandem factis multis (interferentiae, polarisationis) melius consideratis hypothesis prior certitudinem nacta alteram omnino exturbavit. — Ad explicanda electricitatis facta in ore physicorum est hypothesis, esse fluida duo, quae per corpora omnia diffusa, si diversae speciei sint, inter se attrahant; inter se autem repellant, si eiusdem sint speciei. Et quantumvis multi sint, qui non sine ratione dubitent, hanc hypothesim unquam in theoriam certam evectum iri, hypothesis tamen interim retinetur propter nostram ignorantiam.

Atque idipsum in sexcentis rebus evenisse videmus. Immo multae sunt in natura res, in quibus perscrutandis vix aliter fieri potest. Nam, ut recte observat Boscowich: „Non semper ea potest teneri via in naturae principiis investigandis, ut observationes quaedam proponantur, ex quibus recta ratiocinatione deducantur conclusiones, quae naturae leges generales contineant: verum, ut in enucleatione epistolae secretis notis scriptae, coniectando primum, et plures positiones inter se conferendo ad vocularum quarundam expositionem devenitur, tum illas ipsas positiones iam retinendo in reliquis, iam corrigendo paulatim, post frequentissimos errores pervenitur tandem ad clavim aliquam generalem, quae idoneum aliquem sensum aperiat, quo ubi deventum est, clavis illa habetur pro vero, nisi quid in contrarium occurrat, sic in naturae investigatione procedendum.“ [1]

430. Regulae de formandis hypothesibus: 1º Imprimis ipsum factum, cuius causa inquiritur, diligenter in omnes partes expendendum est; omnia, quoad eius fieri possit, adiuncta considerentur; compareturque ipsum cum aliis rebus sive similibus sive oppositis. Facile enim per analogias ad inveniendam veram causam deducimur.

2º Factum illud, si fieri potest, in multas partes dissolvatur, quo melius conditiones, quae ad causam, de qua agitur, momentum habent, ab aliis distingui possint.

---

[1] Cit. ap. Sanseverino, Log. parte 3 c. 8.

3° Adminiculante vel aliqua inductione, vel analogia, vel oppositione fiat hypothesis, quae omnibus compertis facti conditionibus explicandis par esse videatur. Ex quo apparet, vehementer peccare eos, qui hypotheses fingunt omni fundamento carentes, in quo vitio excelluit CARTESIUS. Hanc regulam NEWTON praecipit, quum dicit: „Hypotheses non fingo", postulatque, ut causa vera sit.

Ut autem causa „vera" sit, necesse est: 1° ut sit possibilis et congruens notis naturae et vitae legibus. Unde hypothesis, quae est contra leges metaphysicas vel mathematicas (ut est apud Materialistas hypothesis de rebus improductis et per casum in ordinem redactis), vel quae est naturae dissona (ut est hypothesis de spiritibus in atomis vel plantis insidentibus), a limine reicienda est. Necesse est 2°, ut et ipsa hypothesis et quae ex ea per legitimam consequentiam deducuntur, nulli facto, quod per experimentum vel observationem certo constat, contradicat. Necesse est 3°, ut ea facta, ad quae explicanda ponitur, non inepte explicet. Et 4° multum veritas causae confirmata erit, si alia facta similia inde iam sunt explicata. In natura enim omnia cohaerent, omnia inter se coaptata sunt. 5° Multum etiam commendatur hypothesis simplicitate. Haud inepte enim in proverbio est: Simplex est sigillum veri.

431. Regulae de comprobandis sive verificandis hypothesibus. 1° Postquam hypothesis propter conditiones facti principales est posita, videndum est, faciatne ea satis etiam conditionibus reliquis. Et quo pluribus ex his conditionibus sufficit, eo maiorem probabilitatem adipiscitur.

2° Deinde accurate ea omnia expendenda sunt, quae ex sumpta hypothesi consequuntur. Et quo consequentiae magis cum observatis factis et veritatibus aliunde cognitis conveniunt, eo maior est hypothesis probabilitas.

3° Praeterea etiam cum aliis naturae legibus cognitis est comparanda. Et crescit hypothesis probabilitas, quo plus fundamenti in his legibus habet, et quo plures eventus sunt, quorum causae una hypothesi explicantur; et quo minus aliarum hypothesium subsidiariarum indiget et quo magis excluditur aliarum causarum possibilitas. Et magis etiam crescit, quum ex posita hypothesi deductae erant conclusiones particulares, quarum veritas post per experientiam comprobata est. Ita hypothesis *undulationis* post comprobata est propter detectam luminis reflexionem conicam.

4° Post peractam probationem hypothesis aut cessat aut manet.

Hypothesis cessat, ubi vel certo falsam vel certo veram eam cognovimus. Et falsa quidem esse deprehenditur, si quidpiam ex ea consequitur, quod cum sanis rationis principiis vel cum certo experientiae facto evidenter pugnet; vel etiam si alia causa facti, de quo quaeritur, intelligitur esse vera. Vera autem esse deprehenditur vel eo, quod certo apparet, factum aliam causam habere

non posse, nisi hanc; vel eo, quod hypothesis omnibus facti conditionibus satisfaciat et consequentiae plurimae, quae ex hypothesi oriantur, per experientiam comprobatae fuerint.

Hypothesis, quae tali modo fuerit confirmata, fundamenta praebet condendae theoriae, quae ratione certa phaenomena ex causis sive legibus universalioribus explicat. Sed in huius vocis usu non omnes conveniunt. Alii enim eam tantum doctrinam theoriam vocari volunt, quae probatis atque firmatis hypothesibus sit superstructa [1]. Alii nomen theoriae etiam illi doctrinae permittunt, quae hypothesis rationem nondum exuit [2].

Servatur autem hypothesis, si per comprobationem neque vera neque falsa esse demonstratur, igitur probabilis remanet.

432. **De probabilitatis aestimatione** tacere non licet, ubi de comparanda cognitione probabili dicendum est: Hanc aestimationem iudicium intelligunt, quo determinemus, quanta sit alicuius opinionis probabilitas.

Ex ratiocinio paritur conclusio probabilis, quum vel alterutra vel utraque praemissa probabilis est. Et primo quidem, si in legitimo ratiocinio una pars antecedentis est tantum probabilis, altera certa, consequens erit tantum probabile. Quando enim non est certum, duo convenire uni tertio, neque certum esse potest, ea inter se convenire. Ob rationem similem, si in polysyllogismo, quo aliqua probatio efficitur, vel una propositio irrepat, quae solum probabilis sit, conclusio probabilitatis limites non egredietur.

Si deinde in ratiocinio legitimo utraque praemissa sit probabilis tantum, probabilitas consequentis tanta erit, quanta est probabilitas unius praemissae diminuta per fallibilitatem alterius partis. Consequens enim de fallibilitate sive incertitudine utriusque praemissae participat. Ex simili ratione efficitur, ut propositio, quae a multis hypothesibus pendet, quarum una alias supponit, probabilitatem minorem habeat. Sed haec hoc loco satis, probabilitatem conclusionum quod attinet.

---

[1] Ita Ueberweg: „Die genügend bestätigte Hypothese, sofern sie als gemeinsamer Obersatz einer Reihe von Schlüssen zu Grunde liegt, begründet die Theorie, d. h. die Erklärung der Erscheinungen aus ihren allgemeinen Gesetzen.“ System der Logik § 134.

[2] Ita W. Wundt: „Die Theorie ist die Hypothese sammt der Deduction der Erscheinungen, zu deren Erklärung die Hypothese gemacht wurde. Die Theorie enthält aber immer Hypothetisches und Thatsächliches; denn sie verknüpft die Thatsachen auf der Grundlage der Hypothese. . . . Darwin's Hypothese ist die Annahme einer Descendenz der vollkommeneren aus unvollkommeneren organischen Arten durch die (rein mechanischen) Wirkungen des Kampfes ums Dasein; seine Theorie sucht aus dieser Annahme die Thatsachen der individuellen, der palaeontologischen Entwickelung und manche andere biologische Erscheinungen zu erklären.“ Log. I. p. 407.

Saepissime in vitae usu quotidiano atque etiam in multis artibus et disciplinis accidit, ut necessitate quadam ad faciendas de eventibus futuris coniecturas vel formanda iudicia compellamur. Quam in rem haec praecepta accipimus[1]:

1° Dispiciantur accurateque examinentur omnia adiuncta, quae existentiam effectus praecedere solent; ex iis enim solis prudenter iudicari potest, sitne effectus futurus, necne.

2° Quod in certis adiunctis vix non semper accidit, maxima probabilitate, quae certitudini fere est aequiparanda, exspectari debet; quod nunquam aeque habendum est atque id, quod fieri non potest.

3° Contingentia non procedunt aequaliter, i. e. adiuncta causaeque similiter ad multos diversosque effectus comparatae, modo hunc, modo illum producunt. Neque ea, quae antecedebant, ullo modo ea determinant, quae sequuntur. Ita probabilitas *iactus aleae* nullo modo mutatur per se ex noto iactu praecedente.

4° Quando in causis ad multos effectus aequalis habetur dispositio, probabilitas pro effectu uno determinato est, sicut unitas ad numerum reliquorum effectuum possibilium.

5° Quando causa ad multos effectus aequali modo comparata est, tanto maior erit unius effectus prae altero probabilitas, quo saepius dispositiones ad eundem effectum recurrunt.

433. Accidere autem potest, ut motiva, quae probabilitatem efficiunt, non tam a natura rerum petantur, quam a numero sive eventuum, sive indiciorum. Quod si fit, iam aestimatio probabilitatis computis mathematicis subiici potest.

Hic calculus probabilitatum definiri potest: determinatio existentiae probabilis alicuius eventus vel causae ex ratione numeri casuum secundorum ad numerum casuum possibilium. Haec enim determinatio a multitudine eventuum accipitur, quum aliquibus positis, multa eaque diversa accidere possunt, quorum unumquodque modo accidit, modo non accidit. Qua in re duae quantitates sunt, quarum prior est summa omnium eventuum possibilium, quae rem spectant, altera est eventuum pronitas sive numerus casuum, in quibus unus vel alter eventus accidit, vel accidere potest. Manifestum est autem, probabilitatem eventus ceteris paribus eo maiorem fore, quo maior sit numerus casuum huic eventui faventium; et contra eo fore minorem, quo maior sit numerus eventuum possibilium. Itaque probabilitas eventus est in ratione directa quantitatis primae, et inversa secundae. Ex quo principio multae de hac probabilitate regulae deduci possunt. Atque haec dixisse satis est; reliqua potius ad mathematicos spectant[2].

---

[1] Storchenau, Institut. log. n. 212.

[2] Qui plura desiderat, adeat Tongiorgi, Log. n. 413 sqq.; Palmieri, Log. p. 252 sqq.; Gutberlet, Theodicee. Münster 1878. p. 27 sqq.; Drobisch, Neue Darstellung der Logik § 155.

Scholion 1. Illud hoc loco monitum esse volumus, computationem istam probabilitatis mathematicam rebus a voluntate libera pendentibus applicari non posse. Sed ne reliqua quidem, quae in voluntatem humanam aliquo modo agere solent, ut sunt passiones vel habitus acquisiti, secundum quantitatis rationem aestimari possunt, quum potius indolem qualitatis et naturae habeant, quam quantitatis.

Scholion 2. Etiam de plurium factorum vel testimoniorum coniunctione regulas mathematicas traditas accepimus, in quo genere sunt fere hae[1]:

1. Probabilitas concurrentiae duorum factorum inter se non dependentium exprimitur ut productum probabilitatum separatarum, velut cum probabilitas facti A sit $^1/_6$ et facti B sit $^1/_{10}$, probabilitas concurrentiae $A + B = {^1/_{60}}$.

2. Probabilitas alterutrius ex duobus factis inter se excludentibus est summa probabilitatum separatarum; si igitur probabilitas facti A sit $^1/_6$, facti B sit $^1/_{10}$, iam probabilitas alterutrius (A aut B) erit $^4/_{15}$.

3. Vis testimoniorum inter se pendentium pro statuendo eventu est productum probabilitatum separatarum. Si testis A valet $^5/_6$ et B, qui audit repetitque, valet $^9/_{10}$; iam probabilitas facti eventus erit $^5/_6 \times {^9/_{10}} = {^3/_4}$.

4. Vis summae testimoniorum inter se non pendentium pro re facta habetur, si multiplicantur numeri exprimentes vim proportionatam cuiusque testimonii.

Hae autem vel regulae similes, etsi in se spectatae sua ratione non careant, ad usum tamen traductae haud levibus difficultatibus et fluctuationibus subsunt. Neque raro eiusmodi regulae ad libitum compositae per malum abusum ad infringendam omnem vim traditionis historicae adhibitae sunt[2].

434. Effectus argumentationis probabilis, quae est opinio. Opinio ab Aquinate dicitur esse actus intellectus, qui in unam fertur partem contradictionis cum formidine alterius[3]. Quae a scientia differt tum ratione materiae, quia scientia circa solas res necessario et immutabiliter veras, opinio etiam circa res contingentes et mutabiles versatur; tum ratione modi et causae, quia scientia demonstratione efficitur, opinio ex argumentatione probabili nascitur. Et quia argumentatio probabilis ex se debiliorem assensum efficere solet, sequitur, ad gignendam opinionem haud raro argumenta plura probabilia requiri, quum „per unam demonstrationem, quae est efficax, in nobis scientia causetur“[4].

Quamquam vero opinio ex genere suo id proprium habet, ut is, qui in ea versetur, de opposito dubitare possit, fieri tamen potest, ut ex aliis causis evidenter videat, dubia omnia de opposito imprudentia esse et spernenda. In qua rerum circumstantia saepissime accidit, ut desinat opinio, et firmitas vera-

---

[1] Van der Aa, Log. prop. 14.

[2] Cfr. Laplace, Théorie analytique des probabilités.

[3] Summ. theol. I. q. 79 a. 9 ad 1.

[4] S. Thom., Quaest. disput. q. 1 de virtut. a. 9 ad 11; cfr. 1 dist. 17 q. 2 a. 3 a. 4.

que certitudo succedat, non quidem propter ipsa, quae in praemissis sunt, argumenta probabilia, sed propter notitiam certam ad haec argumenta accedentem. Atque ita fit, ut „perfecta persuasio unius partis per multa probabilia“ oriri possit [1].

§ 3.

De argumentatione sophistica.

435. Paralogismus; syllogismus pseudographus; sophisticus. Quamquam Aristoteles semel vel iterum nomine sophisticae cognitionem quamlibet significat, quae a perfectione scientiae proprie dictae deficiat, ex more tamen hoc nomine argumentationem falsam vocat, quae sub veri specie in errorem adducit [2]. Quum eum dicat sophistam esse, qui ex vana sapientiae specie captet quaestum, consequens est, ad sophisma universe acceptum requiri duo: veri speciem et sinistram intentionem. De quo sophismatum genere disserens S. Augustinus: „Multa, inquit, sunt, quae appellantur sophismata, falsae conclusiones rationum, et plerumque ita veras imitantes, ut non solum tardos, sed ingeniosos etiam, minus diligenter attentos, decipiant. Proposuit enim quidam dicens ei, cum quo loquebatur: *Quod ego sum, tu non es.* At ille consensit; verum enim erat ex parte, vel eo ipso, quod iste insidiosus, ille simplex erat. Tum ille addidit: *Ego autem homo sum.* Hoc quoque quum ab illo accepisset, conclusit dicens: *Tu igitur non es homo.* Quod genus captiosarum conclusionum Scriptura, quantum existimo, detestatur illo loco (Eccli. 37, 23), ubi dictum est: Qui sophistice loquitur, odibilis est.“ [3] Dividunt autem sophisma in paralogismum, syllogismum pseudographum, syllogismum, qui strictius sophisticus dicitur.

Generatim enim captiosa ratiocinatio aut ex falsa syllogismi forma procedit, aut falsam adhibet materiam. „Et est differentia inter hos duos modos, quia ille, qui peccat in materia, syllogismus est, quum observentur omnia, quae ad formam syllogismi pertinent. Ille autem, qui peccat in forma, syllogismus quidem non est, sed paralogismus, i. e. apparens syllogismus.“ [4]

---

[1] B. Albertus Magnus, Topic. l. 9 c. 5.

[2] Ἔστι γὰρ ἡ σοφιστικὴ φαινομένη σοφία, οὖσα δ'οὔ, καὶ ὁ σοφιστὴς χρηματιστὴς ἀπὸ φαινομένης σοφίας, ἀλλ' οὐ οὔσης. De sophisticis elenchis c. 1, 165 a, 21.

[3] L. 2 de doctrina Christiana c. 31.

[4] S. Thom. in l. 1 anal. post. lect. 22. Ita usus fert scholae, ut syllogismum peccantem in forma nominent paralogismum. Sed interdum paralogismum vocant syllogismum ex errore ortum, qui non animo fallendi, sed bona fide profertur. Syllogismus vocatur captiosus, quando fallendi animo profertur.

Exemplum prioris istud esse potest: *Quidquid non amisisti, habes. Thesaurum non amisisti. Ergo thesaurum habes.* Exemplum alterius: *Veritas odium parit. Quoddam mendacium parit odium. Ergo quoddam mendacium est veritas.* Quum autem de formae rectitudine supra dictum sit, quantum ad solvendos paralogismos satis est, hoc loco de illa tantum captiosa argumentatione agimus, quae ex falsa materia procedit.

Sed duplex iterum haec captiosa argumentatio distinguitur. Una in syllogismo pseudographo est, qui mendaci quasi et falsaria descriptione nititur, et propositionibus constat, quae necessariae videntur, quum tamen falsae sint; syllogismum igitur demonstrativum imitatur, et fere semper ex principiis alicuius scientiae propriis, quae latius vel pressius vel aliter accipiuntur, quam intelligi debent. Cuius generis principium illud est: *Ex nihilo fit nihil;* quo male utuntur ii, qui mundi creationem negant. Vel illud: *Ens infinitum realitatem omnem secum identificatam continere debet;* quod perperam intellectum a Pantheistis ad stabiliendum suum errorem adhibetur. Atque ita ex scientia qualibet sophismata fieri possunt; ut quum quis hanc ratiocinationem profert, quae videatur demonstratio geometrica: *Lineae omnes a puncto ad punctum ductae inter se aequales sunt. Sed linea recta et curva a puncto ad punctum ductae esse possunt. Linea igitur recta et curva aequales esse possunt.* Has autem omnes fallacias solvere ad logicam non spectat, sed ad diversas disciplinas.

Omisso igitur syllogismo pseudographo alter restat, qui proprie sophisticus vocatur. Is ex probabilibus vel ex iis, quae probabilia videntur, conclusionem veram colligere videtur, neque tamen colligit. Qui quum ex communibus quibusdam fontibus venenum hauriat, quo omnis materia logica infici possit, in logica minime praetermittendus est.

436. **Loci sophistici** sive fontes sophismatum tredecim a veteribus sunt numerati, quorum sex in vocibus sunt, septem extra voces, ita ut potius sint in rebus.

Fallacias in vocibus alio loco (n. 161) numeravimus homonymiam sive aequivocationem, amphibologiam, fallaciam compositionis et divisionis, fallaciam accentus, fallaciam figurae dictionis.

Fallacias in rebus recensuimus fallaciam accidentis, fallaciam a dicto secundum quid ad dictum simpliciter, vel a dicto simpliciter ad dictum secundum quid; ignorationem elenchi, petitionem principii, fallaciam consequentis, fallaciam a non-causa ad causam, fallaciam interrogationis multiplicis per modum unius.

De his singulis maxima cum accuratione ab ARISTOTELE dictum est; id quod propter cavillationes et ineptias sophistarum illius temporis maximopere necessarium fuit. Hodie praeceptiones hoc loco a Stagirita datas plurimam partem scriptores logici missas facere solent. Quamvis autem usus sophismatum apud hodiernos osores veritatis sit alius, minor sane non est. Unde ad hanc rem attentio acuenda potius, quam minuenda, videtur esse.

Scholion 1. Amphibologia, ut recte monet Card. ZIGLIARA, multifariam potest occurrere [1], primo inde, quod oratio ex se complura significet, deinde ex constructione grammaticali; tertio ex eo, quod oratio praeter vim propriam etiam significationem metaphoricam habeat.

Exemplum primi ex iis habes, quae circa corporum resurrectionem de Origenistis refert S. HIERONYMUS. „Credimus, inquiunt Origenistae, resurrectionem futuram. Hoc si bene dicatur, pura confessio est. Sed quia corpora sunt coelestia et terrestria, et aër iste, et aura tenuis iuxta naturam suam corpora nominantur, corpus ponunt, non carnem, ut orthodoxus *corpus* audiens, *carnem* putet, haereticus spiritum recognoscat. Haec est eorum prima decipula, quae si deprehensa fuerit, instruunt alios dolos.“ [2] Exemplum secundi de seipso affert S. AUGUSTINUS. Scripserat is: „Deus, cuius regnum est totus mundus, quem sensus ignorat.“ Quae verba retractans haec notat: „Si Deus intelligendus est, addenda fuerant verba, ut diceretur: quem mortalis corporis sensus ignorat. Si autem mundus dictus est, quem sensus ignorat, ille recte intelligitur, qui futurus est coelo novo et terra nova; sed etiam hic addenda erant illa, ut diceretur mortalis corporis sensus.“ [3] Et tertii exemplum, quem citavimus, auctor affert illud Christi apud Luc. 10, 4: „Neminem per viam salutaveritis“; quod quidem effatum non proprie est accipiendum, sed metaphorice, ut maxima significetur in conficiendo itinere celeritas.

Scholion 2. Sophismata sensus compositi et divisi facilius occurrere possunt in propositionibus modalibus vel in iis, in quibus aliquis terminus multis partibus constat, atque etiam in iis, in quibus aliqua vox ad voces diversas referri potest.

In modalibus sensus est compositus, quum praedicatum dicti refertur ad formale significatum subiecti; divisus autem, quum refertur ad materiale significatum huius subiecti. Quum igitur dico: *Impossibile est, peccantem placere Deo,* propositio vera est in sensu composito, falsa in sensu diviso.

In illa autem propositione, in qua aliquis terminus partibus constat, quae inter se coniunctione „et“ vel „aut“ coniunctae sunt, videndum est, utrum propositio explicetur descensu copulato an copulativo; utrum disiuncto an disiunctivo (n. 252). Quum explicantur descensu copulato vel disiuncto, accipiuntur secundum sensum compositum; quum autem descensu copulativo vel disiunctivo,

[1] Log. n. 43. [2] Epist. ad PAMMACHIUM et OCEANUM.
[3] In l. 1 retract. c. 4 n. 2.

secundum sensum divisum. Qui dicit: *Duo et quinque sunt septem,* recte dicit in sensu composito, non vero in sensu diviso. Qui dicit: *Non omnis numerus est par vel impar,* recte dicit in sensu diviso, non vero in sensu composito.

Quodsi tandem in aliqua propositione aliqua vox ad diversas voces referri potest, sensus est compositus, quum refertur ad eam, ad quam naturaliter pertinet; divisus est, quum per quandam dicentis violentiam trahitur ad alteram.

Scholion 3. Fallacia non causae ut causae fallaciarum omnium vix non est perniciosissima. Nemo enim est, quin videat, quanta mala inde evenire possint, quum rei vel homini tamquam causae aliquid adscribatur, cuius tamen causa revera non sit.

In cuius sophismatis genere non solum sunt causae commentitiae et ad libitum excogitatae in explicandis phaenomenis naturalibus; verum etiam in quotidiano vitae usu facile evenit, ut pro causa assumatur id, quod est ponendi effectus occasio tantum vel conditio; vel id, quod aliquem eventum praecedit tantum vel comitatur, ac si verum esset illud: *Hoc post hoc. Ergo hoc ex hoc.* Hic defectus tum facillime accidit, quum causam ex ingenii defectu ignoramus et tamen hanc nostram ignorantiam fateri dubitamus.

437. Non semel observatum est, reperiri in organo ARISTOTELIS nonnulla, quae fuerint propria illius temporis, et ad Graecorum discipulorum, quos tum habuerit, ingenia pertineant [1]. Quibus praecipue annumeraveris multa ex iis, quae praecepit de locis sophisticis particulatim. Qua in re ille nobis auctor et exemplar esse potest, ut nos maiore cum amplitudine attendamus ad errores horum, quibus nos vivimus, temporum.

Huius moderni sophisticationum generis exempla esse possunt fallaciae, quas indicat P. F. ALB. LEPIDI [2]:

1° Sophisma inductionis, quum quis ex particularibus non satis enumeratis vel leges et effata universalia deducit, vel ea repraesentat ut absolute necessaria; quum tamen, quae ab inductione pura inferuntur, nonnisi ordinem actualem factorum respicere possint.

2° Sophisma analogiae, quum quis ex aliqua duntaxat similitudine inter duo comperta, quidquid uni convenit, et alteri convenire infert.

3° Sophisma hypothesis, quum quis ex praesuppositione aliquorum, quae nulla solida experientia possunt probari, quaeque plerumque cum ratione pugnant, deducit conclusiones, quae proprio praeconcepto systemati favent. Huiusmodi sunt Materialistarum hypotheses: *Materia est aeterna. — Motus est aeternus. — Omnia fiunt ex iugi transformatione materiae et motus;* eius generis alia. Huic addi potest sophisma tripodis ex divinatione, nempe quod res ita fortasse contigerit.

4° Sophisma auctoritatis, quum quis infert ab auctoritate non vera, sed apparenti, confirmationem alicuius doctrinae. Est autem auctoritas non

[1] Cfr. SANSEVERINO, Logicae prolegomena p. 197.

[2] Elem. phil. christ. Vol. 1 p. 329.

vera, quae est plebis, vel hominis ingeniosi, vel opulenti, vel potentis, sed in re, de qua quaeritur, non periti.

5° Sophisma locutionis, quae tota fucata, dulcedine sua animos rapit, vel ubertate sententiarum elevat, ut sic decepti, a facie externa, iudicent imbecilles, verum esse, quod sophistae affirmant; „iacet enim sensus", recte inquit QUINTILIANUS, „ubi laudantur verba".

6° Sophisma eruditionis, quum quis copiam eruditionis ostendit ad pompam et apparatum, ut sic facilius suae auctoritati credatur.

7° Sophisma fulgoris, quando aliquibus verbis generalibus, brevi et forti sententia, falsum ut verum asseveratur vel contra; relinquendo sic tamquam probatam sententiam, quae est sophistica, vel uti explosam, quae est vera; quum tamen de ipsa nihil fuerit revera probatum.

8° Sophisma sextarii, quando ea duntaxat de re dicuntur, quae propriae sententiae non adversantur; cetera vero, quae proprium possent turbare intentum, radula raduntur.

9° Sophisma distractionis, quando vera et falsa, certa et incerta, varia et disparata inter se, diffusa et tortuosa oratione simul miscentur; ex quo animus distractus virtute minuitur, confusus inde efficitur et impar ad iudicandum: ac sensim sine sensu falsitatis veneno inficitur.

10° In disputationibus sophistae modo adversarium repente invitant, ut probet hoc vel illud, ut ex eius inscitia ad favorem suum concludere quidpiam possint; quod sophisma ad ignorantiam vocant. Modo ad auctoritatem provocant, cui qui praesentes sunt, nonnisi inviti resistunt; quod sophisma ad verecundiam dicitur. Modo ex adversarii dictis apparenter inferunt res multitudini odiosas, quod sophisma ad odium nominatur. Modo adversarium cogunt ad praeferenda ea, quae derideantur vel contemnantur; quod sophisma ad irrisionem dici potest (cfr. n. 171).

438. **Fines sophistarum** a veteribus logicis notati sunt praecipue quinque: redargutio, falsum, paradoxum, soloecismus, nugatio.

Fit redargutio, quum respondens in eadem disputatione admittere contradictorium eius cogitur, quod antea concesserat, velut quum quis sophistae concesserit, *dormientes non videre,* quum tamen *dormientes habere oculos* fateatur; hoc modo sophista arguet: *Qui oculos habet, videt. Atqui dormientes oculos habent. Ergo dormientes vident.* — Quod hoc loco dicitur falsum, absurdum intelligitur; ad quod admittendum sophista respondentem adigere conatur: *Homo habet, quod non amisit. Atqui alas non amisit. Ergo homo alas habet.* — Paradoxum sive inopinabile hoc loco illud est, quod quum contra opinionem audientium sit, a sophista, qui apud audientes de victoria gloriari velit, contra respondentem evincitur, velut quum quis coram imperitis rusticis respondentem cogere velit, ut admittat, *solem terra maiorem esse.* — Soloecismus est vitium in orationis contextu. — Et nugatio est rei inutilis repetitio, ad quae vitia respondentem compellere nititur, ut aliis ridiculus videatur.

439. **Solutio sophismatum** duplex esse potest: directa, qua syllogismi falsitas ipsa ostendatur, et indirecta, ex qua satis appareat, argumentum propositum obscurum esse atque ambiguum, etiamsi ea rem obiter tantum et quasi secundum superficiem tan-

gat. Quarum quamvis prior pro dignitate scientiae praeferenda sit, altera tamen pro sophisticantis adversarii nequitia haud raro satis esse debet.

Generatim sophismata, quae vi multiplici unius vel complurium propositionum nituntur, ut sunt ea, quae ex aequivocatione, ambiguitate, compositione, divisione, accentu ducuntur, distinctione multiplicis orationis solvi debent. Si autem sophisma fuerit ex figura dictionis, vel ex accidente, vel ex dicto simpliciter aut secundum quid, vel ex consequente, vel ex non causa, peccatum etiam ipsam formam infecit, quapropter consequentia neganda est. Ignoranti elenchum negandum suppositum et verus status quaestionis aperiendus est. Sophisma quoque petitionis principii negata sumptione, in qua principium petitur, est dissolvendum.

440. **Effectus argumentationis vitiosae, qui est error.** Argumentatio triplici ratione vitiosa esse potest. Et primo fieri potest, ut vitium in praemissis ipsis insit sive per fallaciam, quam aiunt, falsi medii, sive per disiunctionem incompletam sive per petitionem principii, sive per circulum vitiosum.

Secundo fieri potest, ut ipsa conclusionis cum praemissis coniunctio vitio afficiatur, sive per paralogismos et sophismata sive per fallaciam fictae universalitatis sive per fallaciam fictae causalitatis (post hoc; ergo propter hoc).

Tertio fieri potest, ut vitium in ipsa conclusione committatur, quum quis in locum eius, quod revera ex praemissis sequitur, subiiciat aliud quidpiam, quod probatum esse cupiat. Quam ἑτεροζήτησιν vocant; quae fieri potest aut per transitum in rem aliam (μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος), aut per exaggerationem vel diminutionem indebitam (ponendo plus aut minus, quam revera probatum sit); et saepe mutationem elenchi (τὴν τοῦ ἐλέγχου μεταβολήν) coniunctam habet [1].

His igitur commissis vitiis consequens est, ut mens aut neget conformitatem eorum, quae revera conformia sunt, aut illorum affirmet conformitatem, quae revera sunt difformia atque ita introducatur in mentem e r r o r, qui nihil aliud est quam iudicium, quo dicitur non esse, quod est, aut esse, quod non est. Differt igitur ab ignorantia error, „quia ignorantia de sui ratione non importat aliquem cognitionis actum; sed error ponit iudicium rationis perversum de aliquo“ [2]. Quoniam autem postea de variis mentis statibus plura dicemus, hic tantum locus attingendus fuit.

CAPUT QUARTUM.

De methodica operationum mentalium dispositione.

441. **Methodi notio et natura.** Methodus, quum universe significet viam expeditam sive rationem aptam aliquid faciendi, hoc loco est ordo, qui in operationum nostrarum serie disponenda servari debet, ut finem nobis praestitutum consequamur; vel est modus ordinatus procedendi in veritatis inquisitione (n. 136).

---

[1] Harum falsitatum exempla affert (in afferendis quibusdam committit ipse) Ueberweg, System der Logik § 137.

[2] S. Thom. 4 dist. 30 q. 1 a. 1 ad 1.

Ex quo intelligitur, tria necessario requiri, ut alicui methodo locus esse possit: principium, processum, terminum. — Et statuunt quidem logici, quum modum definiendi, dividendi, argumentandi docent, regulas cuiusdam methodi particularis, quae in singulis scientiae partibus versatur. Sed praeterea methodus quaedam generalis est necessaria, qua integra scientia, quae ex multis argumentationibus conflatur, rite dirigatur. Sicut enim in architectura, ita in scientia, aliud est, singulas partes apte praeparare, aliud, eas in unum totum ordinate componere. Quum igitur ad perfectam consecutionem non satis sit, ut disparatas multarum rerum notitias habeamus et ratiocinia multa, institutione opus est, qua doceamur, quo modo notitiae illae apte coniungendae, quo ordine cognitionum et speciatim ratiocinationum seriem instituere debeamus, quo securius et facilius et ipsi veritatem obtineamus, et veritatem obtentam cum aliis communicare possimus. Quae institutio iure a logica exspectatur, quippe cuius sit illa tradere, quorum mens generatim ad perfectam rerum cognitionem pervenire possit.

Speciatim reperiuntur praeterea methodi multae, quae singulis scientiae disciplinis sunt propriae, quae sub uniuscuiusque scientiae initiis ex principiis illius scientiae propriis constituendae sunt. Hoc modo dicunt de methodo scientiae mathematicae, chimicae, physiologicae, historicae. Maximopere autem cavendum est, ne eiusmodi methodi speciales ultra limites illius, quam spectant, scientiae extendantur [1].

Methodus apud logicos definiri solet: m o d u s o r d i n a t e p r o c e d e n d i i n c o g n i t i o n e v e r i t a t i s, q u a n t u m h a e c c o g n i t i o m u l t a r u m o p e r a t i o n u m m e n t a l i u m c o n i u n c t i o n e c o m p a r a r i d e b e t.

Quod quidem intelligi potest dupliciter. Primo methodus ipsum ordinem obiectivum et rerum seriem significat; deinde etiam ordinationem sive illud animi iudicium indicat, quo res illae ordinate disponuntur. Quia autem ordinationi suus cuique ordo respondet, saepenumero pro utrolibet indiscriminatim accipitur methodus; attamen magis propria est acceptio posterior, ex qua methodus est animi iudicium apte riteque disponentis ea omnia, quae ad aliquam scientiam pertinent. Haec autem dispositio eo ipso, quod rationem ordinis partium in toto significat, etiam rationem ordinis in finem sequitur [2]; ex quo perspicuum est, dispositionem partium in tota scientia eo referri, ut a noto ad ignotum gradatim processus fiat.

Sed non quamlibet nec cuiuslibet rei dispositionem methodum vocamus. Neque enim terminorum dispositio in propositione, neque propositionum in syllogismo methodus dici solet, sed est apta complurium observationum, comparationum, definitionum, divisionum, argumentationum aliarumque operationum ad eandem scientiam pertinentium ordinatio et apta dispositio.

442. Omni autem methodo ab Aristotelicis tres potissimum leges praescriptae sunt. Quarum p r a e c i p u a est, ut processus fiat ab iis, quae actu cognoscuntur, ad ea, quae actu nondum cogno-

[1] De damnis inde emergentibus cfr. SAINT HILAIRE, Dict. des sciences philos. sub vocabulo Méthode.

[2] S. THOM., Summ. theol. I. q. 22 a. 1.

scuntur, sive, ut dicebant veteres, a notis ad ignota, vel a notioribus ad ea, quae sunt minus nota [1]. Altera lex est, ut a noto ad ignotum procedatur per gradus et minutatim, ita ut conclusiones singulae ex principiis immediatis et proximis eliciantur secundum rectas regulas, neque ullus inter eas saltus fiat [2]. Lex tertia est, ut servetur recta inter omnes progressionis gradus connexio, ita ut nulla sit enuntiatio, quae cum praecedente connexa non sit [3].

Praeterea omni methodo id proprium esse debet, ut soliditate, claritate, brevitate excellat. Quamobrem suo loco a Peripateticis praeceptum est: 1°, ut omnia, quae ad statum quaestionis dilucidandum necessaria sunt, clare exponantur. 2° Nihil in terminis sit ambiguum, nihil obscurum, quod exacta definitione non determinetur, iisque ita determinatis insistatur itidem. 3° Subiectum, de quo quaestio est, in partes, quae separatim tractari possint, recte dividatur, quo rectius et facilius uniuscuiusque partis vis et pondus perspiciatur. 4° Neglectis iis, quae ad rem propositam nihil conferunt, cetera succincto sermone, qui ad claritatem tamen sit satis, exponantur. 5° Probabilia a certis diligenter distinguantur, neque admittatur quidquam ut verum, quin solido argumento probatum sit. 6° Si quae in re insint difficultates, eae ne dissimulentur, sed congrua explanatione cum sententiae propositae principiis componantur. 7° Id quoque subseciva opera attendatur, ut pro crescente agilitate ingenii res in se faciliores difficilioribus praemittantur [4].

Neminem autem praeterire potest, quam magna sit rectae methodi utilitas. Reddit imprimis res ad intellegendum faciles. Nam quum res certo ordine inter se pendeant, et etiam nostrae potentiae cognoscitivae certo ordine inter se connectantur, fit, ut quae ordinata sunt, facilius multo intelligantur, firmius memoria retineantur, melius doceantur, quam quae turbata sunt et promiscua. Si enim cognitiones ita eliciuntur, ut veritate inter se cohaerent, fieri non potest, quin una veritas luce alterius efficiatur clarior. Erit etiam doctrina discentibus iucundior; delectat enim in oratione methodus, sicut in re qualibet apta partium dispositio.

443. **Quotuplex sit methodus.** Methodus universe duplex est, una prudentiae, artis altera. Quae est prudentiae, nullis certis legibus specialibus continetur, habet tamen normas generales, quas ab Aristotele praeteritas esse conqueruntur Cartesiani. Quas res Stagirita videtur omisisse, quod essent faciles et pro re et conditione a prudenti quoque viro satis observarentur.

---

[1] Fusius hac de re Sanseverino, Log. Vol. 4 p. 155 sqq.

[2] Cfr. S. Thom. in l. 2 anal. post. lect. 20; in l. 1 metaph. lect. 2; Summ. theol. I. q. 108 a. 7 ad 2.

[3] Cfr. S. Thom., Quaest. disput. q. 16 de verit. a. 2; 2 dist. 24 q. 2 a. 4 ad 3.

[4] Ita fere M. Mangold, Philos. recent. tom. 1 c. 98.

Nemo enim nisi imprudentissimus ea, quae per se nota sunt et nobis manifesta, serio in dubium vocabit, vel veritatem facultatum cognoscitivarum demonstrare conabitur; neque sua ratione utetur individua, „quasi sit principalis norma, qua homo cognitionem omnium cuiuscunque generis veritatum assequi possit". Neque de iis philosophabitur, quae vires ingenii humani transcendunt. Sed potius arbitrabitur, id quod est apud SCALIGER: „Nescire velle, quae magister optimus docere non vult, erudita inscitia est."

Et postquam res perquirendae sunt susceptae, quid observari debeat et soleat, non est necesse, ex industria constituere; est enim in promptu, et occasione data a Peripateticis satis indicatum est (n. 136 sqq.). CARTESIO sane a Cartesianis summae laudi tribuitur, quod ipse primus hanc methodum prudentialem invenerit.

Reliquum est igitur, ut de altera methodo, quae est artis, dicamus, quae certis dialecticae praeceptis regitur.

444. Methodus artis varia distinguitur. Si attenditur materia, haec methodus aut particularis est, aut generalis. Particularis est, quae in singulis quaestionibus servari debet, sive docendo et refutando sive disputando. Generalis est, quae servanda est in continuata serie omnium quaestionum, quae circa rem datam occurrunt, ad systema quoddam cognitionum constituendum.

Si attenditur finis, quem mens sibi proponit, duplex iterum methodus est: inventionis sive investigationis rei incognitae, et probationis sive declarationis, vel etiam rei contra adversarios defensio.

Si attenditur instrumentum, quod a mente adhibetur, methodus est experimentalis, in qua potiores partes sunt observationis, experimenti, inductionis, analogiae; est autem rationalis, si potius definitiones, axiomata, generatim conceptiones universales, demonstrationes adhibenda sunt.

Si denique modus attenditur, quo in rebus cognoscendis vel proponendis procedere possumus, methodi omnes ad analyticam et syntheticam revocantur [1].

Sed de his omnibus iam separatim et singulatim erit constituendum. Et ab hac ultima divisione, quae est petita ex modo procedendi, exordium faciemus.

SECTIO PRIMA.

De methodo analytica et synthetica.

445. Discrimen inter analysim et synthesim indicatur. Quum non possimus uno mentis intuitu clare et distincte comprehendere,

---

[1] S. THOM. in l. 2 metaph. lect. 1.

quidquid in rebus cognoscibile reperiatur, opus est, ut repetitis actibus ad partes singulas accedamus, quibus ex ordine consideratis, cognitionem rerum pro naturae nostrae indole perfectam consequamur. Quo in negotio duplici via procedere possumus; aut per viam resolutionis sive regressus a re ad principia, ex quibus res constat et pendet; aut per viam compositionis sive progressus ab his principiis ad ipsam rem. Ita nos in tradendis logicae praeceptis methodum syntheticam adhibuimus, dum a terminis ut primis elementis exorsi ad propositiones, ab his ad argumentationes progressi, nunc tandem de methodo dicimus. Qui a methodo incipiens, hanc in argumentationes, has in propositiones et terminos resolveret, is analysim sequeretur.

Itaque methodus analytica adhibetur a geometra polygona in trigona resolvente; a chimico, qui exploraturus naturam aëris, hunc in elementa resolvit; a physico ex observatis phaenomenis inquirente leges; a mathematico, quum ex sumpto problemate illationes gradatim deducit, donec ad aliquod verum evidens vel ad absurdum perveniat, ex quo problema verum aut falsum esse colligat. Adhibetur quoque ab eo, qui utcunque a toto integro ad partes integrântes progreditur; vel qui rem particularem singularemque ut totum quiddam considerat et inde ad rationes universaliores, ut sunt illius quodammodo partes, ascendit; vel qui argumentationem inductivam et a posteriori adhibet, vel qui ex factis particularibus leges universales constituit; vel qui reducit conclusionem ad sua principia, ab attributis infert essentiam, ab operationibus naturam, a fine regreditur ad media, vel generatim, qui effectum in suas causas resolvit. Analytica methodus adhibetur quoque a philosopho rerum et phaenomenorum circumstantiam tum externorum tum internorum accurate expendente atque inde ad notiones universales et principia abstracta et ulterius ad Deum ut causam primam transeunte.

Scholion 1. Aristoteles resolutionem illam, qua res concretae sive posteriores ad elementa sua sive principia reducerentur, ἀναλύειν vocavit, attendens ad figuras mathematicas (διαγράμματα), quae analysi quasi retexuntur, donec ad primas, unde ortae sint, causas perveniatur. Quae causae ut retexenti rem postremae sunt, ita in nascentium rerum ordine primae [1].

---

[1] Cfr. Arist. l. 3 eth. Nicom. c. 5, 1112 b, 15; l. 1 anal. prior. c. 32, 16 b, 40; c. 45, 50 b, 30; l. 5 metaph. c. 28, 1024 b, 11 sqq. Qua de re Alexander Aphrodis.: Ἀναλυτικὰ δέ, ὅτι ἡ παντὸς συνθέτου εἰς τὰ ἐξ ὧν ἡ σύνθεσις αὐτοῦ ἀναγωγὴ ἀνάλυσις καλεῖται . . . ἡ μὲν γὰρ σύνθεσις ἀπὸ τῶν ἀρχῶν ὁδός ἐστιν ἐπὶ τὰ ἐκ τῶν ἀρχῶν, ἡ δὲ ἀνάλυσις ἐπάνοδός ἐστιν ἐπὶ τὰς ἀρχὰς ἀπὸ τοῦ τέλους. (Ad analyt. prior. f. 4 a.) Cfr. Ioh. Philoponum ad analyt. post. f. 35 b; Blancanum, S. I. (in libro: Aristotelis loca mathematica, Bononiae 1615, p. 36), qui ad rem accommodate animadvertit, Stagiritam Euclidis aliorumque veterum geometrarum exemplum secutum esse; „hi enim figuras, quas nosse volunt, in simplicissimas quasque, puta polygona in trigona resolvunt, ut primas, unde ortae sint, causas nanciscantur, atque ex ipsis figuras, quas resolverunt, rursus componunt“. Sanseverino, Log. Vol. 2 p. 226.

Quoniam autem scientia est cognitio rerum ex causis sive principiis, nihil magis ad scientiam alicuius rei conferre ab Aristotelicis dicitur, quam rem in sua elementa eo usque resolvere, donec ad prima eius initia perventum sit. Unde apparet, analysim ex Aristotelis mente esse causarum continuatam eo usque indagationem, donec ad prima eius rei, de qua quaeris, perveneris [1]. Et analysis id proprie agit, ut inde, quod postremum in re est, profecta ad illud, quod primum est et causa rei, perveniat [2].

Scholion 2. „Definitionis", ut patet, in methodo analytica is usus esse nequit, ut ex definitione rei perfecta proficiscatur inquisitio. Haec enim totius analysis fructus est. Neque tamen propterea putandum est, definitionum et principiorum usum in hac methodo negligendam esse. Non est enim ullum ratiocinium, ad quod principia non requirantur, neque unquam mens a quaerendis rerum definitionibus abstinere potest.

446. Neque minus methodus synthetica multis modis usurpari potest.

Adhibetur a geometra trigona ad polygonum componente; a chimico varia elementa ad constituendum aëra coniungente; a physico ex cognitis legibus detegente nova phaenomena; a mathematico, quum ex principiis per analysim inventis ad problematis solutionem vel theorematis demonstrationem progreditur. Adhibetur etiam ab illo, qui quocunque modo a partibus integrantibus ad totum integrum progreditur; vel qui id, quod est universalius, ut partem considerat et inde descendit ad rem particularem vel singularem, ut est totum quiddam notam illam simul cum aliis in se continens; qui igitur notiones universales et principia abstracta „applicat ad determinatas materias, et inde procedit in aliquas particulares conclusiones et ex his in alias" [3]. Haec methodus adhibetur in syllogismo, qui est „a priori", i. e. qui ex praemissa universaliore incipit; et generatim in argumentatione omni, in qua a primis principiis per interiecta proceditur usque ad conclusiones ultimas. Et adhibetur ab eo, qui a natura concludit ad operationes, ab attributis ad essentiam, qui ex mediis procedit ad finem, qui ex causa infert effectum. Namque „in omni inquisitione oportet incipere ab aliquo principio, quod quidem, si sicut est prius in cognitione, ita etiam sit prius in Esse, non est processus resolutorius, sed magis compositivus. Procedere enim a causa in effectus, est processus compositivus; nam causae sunt simpliciores effectibus. Si autem id, quod est prius in cognitione, sit posterius in Esse, est processus resolutorius, utpote quum de effectibus manifestis iudicamus, resolvendo in causas simplices." [4]

Scholion 1. Utraque methodus et in toto actuali et in toto logico versari potest. Usum dicendi quod attinet, totum actuale a veteribus logicis per analysim „resolvi" dicitur, per synthesim „componi". Totum logicum vero per analysim „dividi" dicitur, per synthesim „colligi".

---

[1] Trendelenburg, Elem. log. p. 48.

[2] Vocem analysis Aristoteles ad res varias significandas adhibuit. Ita nominat syllogismi reductionem ad propositionem et terminos, vel revocationem syllogismorum imperfectorum ad perfectum, vel relationem syllogismi ad suas figuras vel solutionem syllogismi compositi in simplices.

[3] S. Thom., Quaest. disp. q. 11 de verit. a. 1.

[4] S. Thom., Summ. theol. I. II. q. 14 a. 5.

Scholion 2. Sed in hoc usu dicendi magna est inter philosophos diversitas. Saepissime enim id analysis sive resolutio vocatur, quod nos collectionem sive synthesim nuncupari diximus; atque id synthesis sive compositio, quod nos divisionem sive analysim diximus. In qua tamen re nulla est rerum, sed nominum tantum oppositio. Quum enim de toto logico agitur, id etiam ut pars respectu suorum inferiorum considerari potest. Nam non est dubium, quin id, quod est magis universale, comparetur ad minus universale et ut pars et ut totum. Si consideratur ambitus sive extensio, id quod universalius est, totum est plures partes sub se continens; si autem complexus sive comprehensio attenditur, id quod universalius est, pars est eius, quod minus universale est, nam partem tantum notarum, quae in hoc insunt, illo exhibentur [1]. Methodus igitur, qua a magis universali ad minus universale proceditur, synthetica est, ut generi addit differentias; et analytica est, ut genus dividit in species. Similiter methodus, quae a particularibus proficiscens ad universale ascendit, analytica est, quatenus rem particularem resolvens id retinet, quod commune est; et etiam synthetica est, quatenus ex iis, quae in multis singularibus inveniuntur, universale quodammodo colligit. Id quum ita sit, nemo mirabitur, quod methodus illa divisionis, qua Plato ad inveniendam rerum notionem usus est, habita sit analytica, quum tamen secundum usum hodie receptum potius sit synthetica. Intelligitur quoque, cur methodus inductiva ab Aristotele usurpata modo analytica, modo synthetica sit vocata.

Scholion 3. Resolutio compositioque, quae ponitur in ratione nostra, duplex est, speculativa et practica. Resolutio practica sive consultativa est, quum quis proposito fine progreditur ad quaerenda media, quibus finem consequatur. Compositio practica est, qua media ad consequendum finem ex ordine disponuntur. Resolutio est speculativa, quum ex proposita aliqua conclusione regredimur ad principia, ex quibus infertur. Compositio speculativa est, qua ex principiis progredimur ad inferendam conclusionem [2].

Scholion 4. Quum in scientia, proposita aliqua conclusione, quaerunt propositiones cum illa connexas, ex quibus inferri possit, processus est analyticus; quum vero positis principiis quaerunt propositiones, quae ex illis deduci possint, processus est syntheticus.

Quum in expendenda alicuius propositionis veritate exordimur a subiecti consideratione, apparet, nos procedere a toto ad partem, vel a minus universali ad magis universale, nos igitur uti methodo analytica. Quum vero a consideratione praedicati exordimur, methodus erit synthetica.

Consimiliter de demonstratione dicendum est; in qua quum id agatur, ut interposito termino medio praedicatum monstretur inesse subiecto, terminum medium aut ex considerato subiecto, aut ex considerato praedicato peti necesse est. Sicut methodus analytica est, quum initium petitur ex subiecti analysi, ita ex praedicati consideratione medium terminum suppeditat methodus synthetica.

Quum argumentatio aliqua per multorum ratiociniorum seriem extenditur, discrimen, quod inter utramque methodum intercedit, clarius apparet. Quocirca logici soritem, qui est processus analyticus, in huius rei exemplum sumere solent, velut hoc modo: *Mundus est ens finitum. Ens finitum est ens ab alio.*

---

[1] S. Thom., Summ. theol. I. q. 85 a. 3 ad 2.

[2] Sylv. Maurus, Quaest. phil. t. 1 q. 27.

Ens ab alio est ens a Deo creatum. Ergo mundus a Deo creatus est. In quo sorite methodus analytica manifesta est. Synthetica haec erit: *Ens ab alio est a Deo creatum. Ens finitum est ens ab alio. Mundus est ens finitum. Ergo mundus a Deo creatus est.*

Vel hoc modo: *Anima humana est simplex. Quod est simplex, non componitur ex diversis. Quod non componitur ex diversis, non est resolubile in partes. Quod non est resolubile in partes, est incorruptibile. Ergo anima humana est incorruptibilis.*

In quo processu a subiecto conclusionis per tres terminos medios pervenimus ad conclusionis praedicatum. Colligenti autem conclusionem eandem per viam syntheticam incipiendum erit a praedicato hoc modo: *Quod non est resolubile in partes, incorruptibile est. Quod non componitur ex diversis, non est resolubile in partes. Quod est simplex, non componitur ex diversis. Anima humana est simplex. Ergo anima humana est incorruptibilis.*

447. **Utriusque methodi usus.** Quum quaestio proponitur solvenda, datur subiectum et quaeritur praedicatum. Aut enim quaeritur, an sit subiectum, aut quid sit subiectum, aut quale sit. Quibus in omnibus tuta est et a natura indicata via, ut datum subiectum eiusque proprietates cognitas considerantes incognitas reperiamus. Haec est methodus analytica, quam accurate sequentes a veritatis tramite aberrare non possumus.

Quum autem quaestio iam resoluta est, atque id tantum agitur, ut aliis proponatur, tum et subiectum probandae propositionis cognoscitur et praedicatum; atque id modo ostendendum est, unum de altero aut affirmandum esse aut negandum. Quem ad finem tum methodus analytica tum synthetica utilis esse potest. Quum enim uterque terminus sit cognitus, et via aperta sit, qua unus ad alterum reducatur, vel ab uno vel ab altero recte incipere possumus. Et duplex effici potest probatio: analytica et synthetica; illa eandem viam sequitur et eodem ordine procedit, sicut in invenienda veritate factum est; haec vero eandem quidem sequitur viam, sed inverso ordine; inde enim petit initia, ubi analysis finem habuit, et ibi finitur, unde analysis coepta erat.

Quid discriminis sit inter utrumque processum, ex sorite supra (n. 446 *Schol.* 4) posito apparet. In analytica enim probatione subiectum conclusionis comparatur cum tertio, quod illo superius est; in synthetica praedicatum conclusionis comparatur cum tertio, quod est illo inferius. In analytica ostenditur, medium sub praedicato conclusionis contineri; in synthetica vero ostenditur, sub medio contineri subiectum conclusionis. Analytica ascendit a subiecto ad enuntiata usque universaliora, donec perveniatur ad praedicatum subiecto coniungendum. Synthetica descendit a praedicato ad enuntiata usque minus universalia, donec perveniatur ad aliquod principium, unde subiectum conclusionis erui possit.

Quodsi generatim quaeratur, utrum aliqua scientia methodum analyticam, an syntheticam adhibeat, id non de particularibus demonstrationibus iudicandum

est, ex quibus scientia constat, sed de modo intelligitur et ordine universali, quo inquisitio et tota series demonstrationum incipit et progreditur. Analytica vocatur scientia, quae omnes suos processus in id dirigit, ut a cognitione compositi ad cognitionem simplicium veniamus, quamvis in ea interdum adhibeatur synthesis. Et synthetica vocatur scientia, quae a cognitione simplicium nos ducit ad cognitionem compositi, quamvis in ea reperiantur, quae ad analysim spectant.

448. Etsi analytica in rebus aliquibus, in aliis rebus synthetica methodus potiores partes habet, generatim tamen ea methodus ad scientiae usum aptissima est, quae ex utriusque coniunctione coalescit, et analytico-synthetica vocari solet.

Eam enim esse mentis humanae naturam recordandum est, ut ex sensibilibus ascendat ad intelligibilia, ab effectibus ad causas, a proprietatibus ad rerum essentias, ex observatis diligenter phaenomenis ad leges naturae. Quem ascensum methodo analytica absolvi diximus. Sed perfectio cognitionis humanae in eo cernitur, ut ordo cognitionis sit, quoad eius fieri possit, imago ordinis realis. Sicut igitur in rerum ordine intelligibilia sunt priora sensibilibus, et ex causis procedunt effectus, et phaenomena proficiscuntur ex naturae legibus, ita erit cognitio humana perfectissima, si ex intelligibilibus, ex causis, ex essentiis, ex legibus descendat ad cognoscenda sensibilia, effectus, proprietates, phaenomena [1].

Incipiendum est igitur ab iis, quae notiora sunt quoad nos, ut ascendamus ad cognoscenda ea, quae sunt notiora quoad se, et ex his iterum descendendum ad perfectius cognoscendum ea, quae ex his et Esse et cognoscibilitatem acceperunt [2].

In disciplinis practicis ut plurimum synthesis analysim antecedit, in quibus igitur adhibetur methodus synthetico-analytica. Et quoniam in significanda natura methodi potius initium quam finis consideratur, methodus, quae est analytico-synthetica, simpliciter analytica vocari solet, methodus autem synthetico-analytica dicitur esse synthetica [3].

449. Quid autem de recto utriusque methodi usu arbitrandum sit, is plenius et certius intelleget, qui rem historia duce breviter recoluerit.

Plato ascensum illum imprimis per abstractionem fieri voluit, et descensum per divisionem. Aristoteles contra primo loco inductionem posuit ut

[1] Πρότερα δ' ἐστὶ καὶ γνωριμώτερα διχῶς· . . . λέγω δὲ πρὸς ἡμᾶς μὲν πρότερα καὶ γνωριμώτερα τὰ ἐγγύτερον τῆς αἰσθήσεως, ἁπλῶς δὲ πρότερα καὶ γνωριμώτερα τὰ πορρώτερον· . . . ἐκ πρώτων δ' ἐστὶ τὸ ἐξ ἀρχῶν οἰκείων· ταὐτὸ γὰρ λέγω πρῶτον καὶ ἀρχήν. (Arist. l. 1 anal. post. c. 2, 71 b, 33.) Ἁπλῶς μὲν οὖν βέλτιον τὸ διὰ τῶν προτέρων τὰ ὕστερα πειρᾶσθαι γνωρίζειν, ἐπιστημονικώτερον γὰρ τὸ τοιοῦτόν ἐστιν· οὐ μὴν ἀλλὰ πρὸς τοὺς ἀδυνατοῦντας γνωρίζειν διὰ τῶν τοιούτων ἀναγκαῖον ἴσως διὰ τῶν ἐκείνοις γνωρίμων ποιεῖσθαι τὸν λόγον. (L. 6 top. c. 4, 141 b, 15.) Cfr. S. Thom. in l. 1 anal. post. lect. 3.

[2] Cfr. Arist. l. 1 (2) metaph. c. 1, 993 b, 9.

[3] S. Thom. in l. 1 ethic. lect. 3.

instrumentum analysis, et deductionem ut instrumentum synthesis [1]. Similiter Peripatetici omnes utramque methodum coniungendam esse duxerunt. Et haec erat communis sententia, incipiendum esse ab analysi, cuius instrumentum sit inductio et demonstratio a posteriori; deinde ad synthesim veniendum, quae demonstratione „propter quid“ efficiatur; priore principia inveniri et causas rerum [2], altera probari res ex causis suis. Quam rem Aquinas quum multis aliis locis, tum illo docet, quo mentem ARISTOTELIS explicat de modo acquirendi cognitionem *civitatis*, ubi inter alia: „In his, inquit, verbis philosophi considerandum est, quod ad cognitionem compositorum primo opus est via resolutionis, ut sic dividamus compositum usque ad individua. Postmodum vero necessaria est via compositionis, ut ex principiis indivisibilibus iam notis diiudicemus de rebus, quae ex principiis causantur.“ [3] Analysis igitur causam aperit, ex qua res est, sed rem ipsam per causam non probat: synthesis autem rem per causam analysi inventam demonstrat. Atque hoc modo analysis haud inepte methodus inventionis dicta est, synthesis autem methodus demonstrationis. Et scite observat ZABARELLA, „finem methodi demonstrativae esse scientiam perfectam, quae est rei cognitio per suam causam; methodi autem resolutivae finem esse inventionem potius quam scientiam: quoniam enim per resolutionem causam inquirimus ex effectis, ut postea ex causis effecta cognoscamus, non ut in ipsarum causarum cognitione quiescamus, ideo inventionem causarum dicimus finem esse methodi resolutivae“ [4]. Atque his breviter dictis satis intelligitur, quam iniusta sit, quae a multis recentis aetatis scriptoribus auditur, accusatio, Aristotelicos ἀμεθόδως philosophatos esse [5].

450. Posteriore tempore multa de methodo perscripsit CARTESIUS, qui utramque methodum agnovit. „Constat, inquit, inter omnes philosophos, ad veritatem inveniendam initium semper a notionibus particularibus fieri debere, ut postea ad universale accedatur; quamvis etiam reciproce, universalibus invectis, aliae particulares inde deduci queant.“ [6] Neque pauca a CARTESIO de analysi et synthesi praecepta sunt, quae vix inter se cohaerent et ab aliis aliter sunt explicata. Statuit ille, methodum analyticam inventioni servire, syntheticam potius ad docendum aptam esse. In philosophando ipse vix non semper secutus est methodum analyticam; at vero non facta singularia sensu percepta analysi subiecit, sed potius ideas innatas et cogitationem propriam. Quattuor de methodo praecepta dedit, quorum alio loco (n. 57) iam fecimus mentionem, quae subiectivum modum procedendi et prudentiam, non artem spectant, neque sunt minus verae et rectae, quam in promptu et a prudente quoque antiquitus usque observatae [7].

---

[1] L. 1 anal. prior. c. 31, 46 a, 31; l. 2 anal. post. c. 5, 91 b, 14.

[2] „Ex multis experimentis unum universale colligimus, quod est principium scientiae.“ S. THOM. 2 dist. 23 q. 2 a. 2 ad 2.

[3] S. THOM. in l. 1 polit. lect. 1.

[4] De method. l. 3 c. 17. Cfr. S. THOM., Summ. theol. q. 79 a. 9; SANSEVERINO, Log. Vol. 5 p. 258.

[5] SANSEVERINO, Log. Vol. 4 p. 260.

[6] Réponses à un recueil des princip. instances de GASSENDI.

[7] De methodo part. 2. „In libello artis cogitandi“ omnes methodi regulae prudentiales revocatae sunt ad octo; part. 4 c. 11.

Spinoza vestigia Cartesii premens, omissa tamen omni fere analysi, solam methodum syntheticam adhibuit, deducendo omnia ex notione substantiae infinitae et proficiscendo in re qualibet ex fictis definitionibus et axiomatis.

451. Baco de Verulamo, qui ipse inhaerebat methodo analyticae, syntheticam non ignoravit. Mentem ad scientiam rerum dixit pervenire ex duplici motu; uno, quo a singularibus ad axiomata sive principia gradatim ascenderet; altero, quo a principiis ad singularia descenderet . . . ascendendo primo ad axiomata, descendendo ad opera [1]. Neque per iniuriam Baconi a Leibnizio exprobratum est, „Baconem tradidisse quidem praecepta artis experiendi, sed artem experientias adhibendi ab iisque conclusiones eliciendi neglexisse" [2].

Recte de utraque methodo dixit Newton: „Methodus analytica est experimenta capere, phaenomena observare indeque conclusiones generales inductione inferre, nec ex adverso illas obiectiones admittere, nisi quae vel ab experimentis vel ab aliis certis veritatibus desumantur. Hac analysi licebit ex rebus compositis ratiocinatione colligere simplices, ex motibus vires moventes, et in universum ex effectis causas, ex causisque particularibus generales, donec ad generalissimas tandem sit deventum. Synthetica methodus est: causas investigatas et comprobatas assumere pro principiis eorumque ope explicare phaenomena ex iisdem orta istasque explicationes comprobare." [3]

A Wolffio methodus definita est ordo, quo utimur in tradendis dogmatis. „Appellatur autem methodus analytica, qua veritates ita proponuntur, prout vel inventae fuerunt, vel minimum inveniri potuerunt; methodus e contrario synthetica appellatur, qua veritates ita proponuntur, prout una ex altera facilius intelligi et demonstrari potest; methodus mixta est, quae ex utriusque combinatione resultat." [4]

452. Neque Kant, quum in declarandis iudiciis analyticis et syntheticis multus esset, methodum analyticam et syntheticam omisit; methodum analyticam sive regressivam esse methodum a principiatis ad principia regredientem; methodum syntheticam sive progressivam esse methodum progredientem a principiis ad principiata [5].

Hegel autem, rem si spectes, et analysim et synthesim e scientia speculativa sive philosophica omnino exulare iussit, eas reiciens ad scientiam realem sive positivam; philosopho satis esse illam dialecticam, qua omnia extrahantur ex idea pura [6]. Sed tamen vocabula retinuit. Analysim vocat eam methodum, qua phaenomena multiplicia determinata suis determinationibus exuuntur, donec mens ad illud „ideale" sive „ens" perveniat, quod omnino indeterminatum et nihilo aequiparandum est, quae res a Neoplatonicis ἅπλωσις sive simplificatio vocata erat. Et synthesim eam vocat, qua id, quod omnino indeterminatum est, iterum magis magisque determinatur.

Reliqui autem ex recentis aetatis logicis fere omnes in rebus philosophicis primo analysim et deinde synthesim adhibendam esse censent eo modo, quo a Peripateticis id praeceptum erat [7]. Gravissimos autem errores apud illos

---

[1] Nov. org. aph. 103.
[2] Nouv. Ess. l. 4 c. 12 n. 13.
[3] Optic. l. 3 observ. 11.
[4] Logic. § 855.
[5] Logic. § 117.
[6] Encyclop. § 226 sqq.
[7] Cfr. Schleiermacher, Dial. § 283; Beneke, Logik II. p. 159—188; System der Logik § 140.

philosophos exortos esse videmus, qui alterutram tantum methodum neglecta altera secuti sunt. Sensualistas et Empiristas analysi inhaerere videmus atque adhibere tantum inductionem, quae sola ad inveniendum verum accommodata sit. Syllogismus ab his neglegitur et admittitur tantum ad eum usum, ut inventum verum aliis proponatur. Idealistae vi huius nominis latius accepta contra eo peccare solent, quod syllogismum (vel saltem synthesim aliquam) inductioni praemittunt. Quorum plurimi putant mentem nostram initio universum obiectum cognitionis humanae intuitione intellectuali vel simili modo, confuse apprehendere, a quo per synthesim ad phaenomena descendendum sit ante, quam analysi locus esse possit.

Et maxima profecto pro utilitate scientiae speranda sunt emolumenta, ex quo tempore homines nostrae aetatis frequentes ad principia haec philosophiae scholasticae regredi coeperunt.

SECTIO SECUNDA.

De methodo rationali et experimentali.

453. **Methodus experimentalis.** Quum omnis nostra naturalis cognitio ex sensu oriatur, exordiendum videtur a methodo experimentali. Haec igitur potissima est via, quae ad facta incognita atque etiam ad principia universalia invenienda ducit quaerentem. Si illa facta sunt contingentia vel illa principia universalia eiusmodi sunt, ut non evidenti analysi ex aliqua cognita essentia deduci possint, via experimentalis est unica. Sunt quidem principia, quae ut cognoscantur, complicatiore experientia non egent, v. gr. *totum esse qualibet sui parte maius,* quae ex unica experientia obvia efformantur, quia intellectus illico connexionem essentialem, quae est inter subiectum et affectionem, videt. Sed sunt alia plurima, in quibus haec connexio tam aperta non est; quorum omnes disciplinae naturales plenae sunt, quae sine accuratissima et multiplici observatione et cauta admodum inductione statui vix possunt. De his Aquinas: „Impossibile est, universalia speculari absque inductione. Et hoc quidem in rebus sensibilibus est magis manifestum, quia in eis per experientiam, quam habemus circa singularia sensibilia, accipimus notitiam universalem.“ [1] Id igitur nemini dubium esse potest, quin sicut rerum contingentium, ita horum principiorum veritas cognosci non possit, nisi per experientiam internam vel externam.

Cuius experientiae quae sit vis in disciplinis naturalibus, his verbis indicatum habemus: „Quandoque proprietates et accidentia rei, quae sensu demonstrantur, sufficienter exprimunt naturam rei, ac tunc oportet, quod iudicium

---

[1] S. Thom. in l. 1 anal. post. lect. 30.

de re vera, quod facit intellectus, conformetur his, quae sensus demonstrat de re, et huiusmodi sunt omnes res naturales, quae sunt determinatae ad materiam sensibilem: et ideo in scientia naturali terminari debet cognitio ad sensum, ut scilicet hoc modo iudicemus de rebus naturalibus, secundum quod sensus eas demonstrat. Et qui sensus negligit in naturalibus, incidit in errorem." [1]

Quia autem mens cognitis factis sensibilibus adhibet analysim et inductionem, haec methodus aliquando etiam „inductionis" vel „analytica" vocatur.

Neque tamen usum synthesis a methodo experimentali omnino alienum esse putandum est. Sicut enim in methodo rationali analysis non raro adhibetur, ita etiam, qui potissimum experimentis fretus ad scientiam veram pervenire velit, a synthesi abstinere non potest. Atque haec quidem methodus experimentalis, quamvis dicatur esse inventionis, tamen etiam a rerum naturalium peritis adhibetur, quando experimentis veritatem legum naturalium cognitarum comprobare et alios docere volunt.

454. Observatio et experimentum. Methodus experimentalis duplex distingui solet, una quidem exacta, quae ad cognitiones accuratas et omnino certas ducit, quae in diligentissima observatione nititur et experimento, quibus computi mathematici et aliae cognitiones syntheticae similes, quae vim demonstrativam habent, adiunguntur. Altera autem minus exacta est, quae rebus plus minusve probabilibus continetur, ut sunt hypotheses, similitudines, ea quae contingere solent ut plurimum [2].

Ad methodum exactam imprimis requiritur observatio accuratissima, quae in magna animi ad rem attentione consistit, in congrua rei in suas partes analysi, quam sequetur synthesis sive recta partium ad rem unam compositio. Atque haec observatio experimento multiplici, quoad eius fieri possit, est iuvanda. Dum observatio definitur, ut sit „attentio mentis reflexa, quae circa aliquid factum versatur, quod sponte sua se nobis exhibet", experimentum est „attentio, quae versus factum dirigitur, quod nostra industria ut eveniat efficimus".

Ex quo tempore homines maiore cum diligentia in perscrutanda naturae phaenomena non sine maximis huius vitae emolumentis incumbunt, etiam philosophi scholae Aristotelicae maiore cum diligentia de observatione et experimentis praecepta dare coeperunt. Quod quidem eo facilius peractum est, quo pluris experientia ad mentem philosophiae peripateticae facienda est. Moderatione tamen aliqua in his rebus eos usos esse videmus, quum ipsis persuasum

---

[1] S. Thom., Opusc. 63 in l. Boeth. q. 6 a. 2.

[2] Cfr. Ueberweg, System der Logik § 140.

fuerit, philosophiam et scientiam non tam vitae hominum animali et vegetali, quam spirituali inservire oportere [1].

Nos logicis nobis ab his praeceptis potius abstinendum esse censemus. Quae enim generaliora sunt, cogitanti cuique in promptu sunt. De iis vero, quae in unaquaque scientia quoad observationem et experimentum speciatim tenendae sunt, operationibus methodicis commodius a singularum disciplinarum cultoribus, quam a philosopho praecipitur. Quum enim ingens sit rerum varietas, maxima etiam est tradendorum praeceptorum diversitas.

Post accurate peractam observationem et experimentum opus est, ut ad eas rationes attendatur, ex quibus res secundum species et genera distribui possint. Quo de negotio nunc nonnulla constituenda sunt.

455. **Rerum in certas classes distributio.** His, de quibus diximus rebus, efficitur, ut constituantur principia, unde omnis scientia deducenda est. „Principiorum quidem alia inductione percipiuntur et cognoscuntur, alia sensu, alia consuetudine, alia aliter. Ea autem singula persequi oportet, quemadmodum cuiusque natura patitur, dandaque opera est, ut bene definiantur: magnum enim momentum ad ea, quae sequuntur, afferunt." [2] In hac vero re praecipuum est, ut cognoscatur universalitas, sub qua res secundum species et genera distribuantur. Haec igitur ut inveniatur, comparatione opus est, qua mens rerum multarum ac variarum similitudines dissimilitudinesque accurate perquirit. Non aliter enim quam comparando cognoscere possumus proprietatem, quam in conclusione individuis omnibus alicuius speciei sumus addicturi, revera in iis individuis, quae observata sunt, omnibus inesse. Quam ob causam mens unamquamque rem separatim consideratam secundum omnem, qua fieri potest, rationem cum rebus reliquis conferre debet. Ad „generalizationem" deinde accedere debet, quae vocatur „classificatio".

Classificatio ea est operatio, qua mens plurima individua in classes alias aliis generaliores distribuit. Quo loco recolenda sunt, quae a logicis de generibus et speciebus dici solent. Classis generatim est conceptus universalis sub se continens complura individua, quae aliqua ratione conveniunt. Quae genus vocatur, si alia classe, quam sub se continet, generalior est; et species nuncupatur, si ut minus generalis in generaliore continetur. Igitur eadem classis sub diverso respectu genus esse potest simul et

[1] Videsis, quae habet Phil. Steinmeyer, S. I., Institut. log. Frib. Brisg. 1771. p. 93 sqq.; Ad. Contzen, S. I., Praelect. log. Colon. 1785. p. 122.

[2] Arist. l. 1 ethic. Nicom. c. 7, 1098 b, 2. Cfr. S. Thom. in h. l. lect. 11.

species. Ea autem debet esse classificatio, ut ordinem ponat in cognitionibus nostris, et mutuas rerum naturalium relationes nobis patefaciat.

Facilior ea classificatio est, quam artificialem vocant, quae externa aliqua rei proprietate, ab ordinante pro arbitratu electa, contenta est. Sed pluris aestimanda est classificatio ea, quae naturalis est, et in collectione proprietatum essentialium rei nititur.

Scholion 1. In constituendis rerum naturalium classibus summopere necesse est, diversos status vel qualitates entium accidentales ab ipsarum essentiis distinguere. Ita corpus idem in statu triplici, quem aggregationis vocant, inveniri potest, quorum unusquisque diversis qualitatibus physicis sese prodit. Et res una pro conditionum externarum diversitate diversas formas crystallinas induere potest. Qui polymorphismus haud raro etiam in organismis unius speciei invenitur. Huc quoque spectant affectiones illae, quae ab individuis longo usu et consuetudine vitae, vel etiam conditionum externarum appulsu acquiruntur, et stabilitatem quandam nactae a progenie in progeniem transmissione hereditaria propagantur, neque tamen ad ipsam rerum essentiam pertinent. Quo loco satis est, ut in memoriam revocentur Aethiopes, Caucasici, reliquae, quae varietates vel progenies vocantur. Quae omnes rerum affectiones, quum ab earum essentiis non proveniant, classificationem, quae simpliciter sit naturalis, constituere non possunt.

Scholion 2. Quum de organismis agitur, apud rerum naturalium peritos hi gradus classificationis in usu sunt positi: Regnum, partitio, classis, ordo, tribus, familia, genus, species, varietas, individua. Apud alios: Regnum, (cohors), orbis, classis, ordo, familia, (tribus), genus, (sectio), species, (subspecies, varietas), individuum.

Scholion 3. Classificatio, ut bona sit, trahi debet: 1° a nota unica, vel saltem compluribus inter se cohaerentibus; 2° a nota, quae sit constans et gravis momenti; 3° a nota, quae facile ab hominibus cognosci possit.

456. Methodi experimentalis conclusio, quae est lex naturalis. Haec vox „conclusio" duplici ratione intelligitur. Formaliter accepta conclusio ipsum actum significat discursivum, quo mens ex factis singularibus universale quidpiam infert. Obiective intellecta illud universale significat, quod ex singularibus infertur. Quum de rebus naturalibus agitur, conclusio lex physica sive naturalis appellari solet.

Et lex quidem generatim quandam directionem significat vel regulam et mensuram operationum, secundum quam aliquid ad agendum inducitur vel ab agendo retrahitur [1]. Quae si sumitur formaliter, est in regulante et mensurante [2];

---

[1] S. Thom., Summ. theol. I. II. q. 90 a. 1.

[2] „Nihil est aliud lex, quam dictamen practicae rationis in principe, qui gubernat aliquam communitatem perfectam. Manifestum est autem, supposito, quod mundus divina providentia regatur, quod tota communitas universi guber-

sin obiective et materialiter, est in re regulata et mensurata, „quia in quantum participat aliquid de regula vel mensura, sic regulatur vel mensuratur“ [1].

Verum non eadem perfectione res omnes creatae illius legis participes sunt: „Quia rationalis creatura participat eam intellectualiter et rationaliter, ideo participatio legis aeternae in creatura rationali proprie lex vocatur; nam lex est aliquid rationis. In creatura autem irrationali non participatur rationaliter, unde non potest dici lex, nisi per similitudinem.“ [2] Nos igitur hoc loco non illam legem intelligimus, quae in dirigenda voluntate rationali invenitur, quae est arctior huius vocis significatio; sed eam, quae in omnibus rebus naturalibus apparet.

Potest autem haec lex rebus naturalibus insita, quam physicam vocant, considerari dupliciter. Uno modo, quatenus naturam uniuscuiusque rei propriam significat, quae lex definitur inclinatio rei naturalis in proprios actus et fines. Quae illi aptitudini similis est, quam in rebus artefactis, ut in *cultello* vel *horologio*, observare possumus. Deus enim rebus naturalibus dedit „vires activas, in quibus manet ordo intellectus divini, sicut in re artificiata manet directio artificis in finem determinatum“ [3]. Differt tamen eo, quod eius principium non est sola rei modificatio vel dispositio externa, sicut in artificiis, sed est substantiale quiddam ipsam rem intrinsecus constituens, quod alio loco „formam substantialem“ esse dicemus. Atque haec inclinatio sive „appetitus naturalis“ sese manifestat in animalibus virtute instinctiva, in organismis virtute vitali, in omnibus autem rebus naturalibus virtute chimica et physica.

Altero modo lex physica non solum ad naturam singularum rerum propriam, sed simul ad illas conditiones externas refertur, secundum quas res naturales sic vel aliter agere vel non agere solent [4], velut quum dicimus legem physicam esse, ut sol quotidie oriatur, vel ut luna circum terram moveatur. In lege naturali hoc modo intellecta detegent philosophi haec (praeter activitatem vel concursum Dei ad omnes creatarum rerum operationes necessarium et praeter principium causalitatis, id quod per se intelligitur) elementa: 1. singularum rerum certam et ad sic vel aliter agendum ex se determinatam naturam; 2. res naturales aliquando certis rationibus inter se dispositas et in

---

natur ratione divina. Et ideo ipsa ratio gubernationis rerum in Deo sicut in principe universitatis existens legis habet rationem.“ S. Thom., Summ. theol. I. II. q. 91 a. 1.

[1] Ibid. q. 91 a. 2. [2] Ibid. a. 2 ad 3.

[3] S. Thom. 2 dist. 18 q. 1 a. 2 ad 1. Et alio loco: „Sicut homo imprimit denuntiando quoddam interius principium actuum homini sibi subiecto, ita etiam Deus imprimit toti naturae principia propriorum actuum. . . . Hoc modo se habet impressio activa principii intrinseci quantum ad res naturales, sicut se habet promulgatio legis quantum ad homines; quia per legis promulgationem imprimitur hominibus quoddam directivum principium humanorum actuum.“ Summ. theol. I. II. q. 3 a. 5.

[4] Etiam modus constans et uniformis, quem homines in agendo sequuntur, vocatur „lex“ propter similitudinem cum legibus physicis, sed tamen dicitur lex „moralis“, quo significetur, non ab humana natura hunc modum cum necessitate procedere, sed contineri moribus sive consuetudine.

motu certo collocatas esse; 3. sub certis conditionibus certas quasdam causas a natura ad agendum adscisci, et congruo modo temperari; 4. non esse moris in natura, ut actionibus rerum ponatur obstaculum.

Postquam haec de ordine legum physicarum ontologico diximus, de ordine legum a nobis cognoscendarum breves esse possumus.

Primo igitur cognoscimus modum uniformem sive constantiam, secundum quam, certis quibusdam positis conditionibus, certos eventus existere videmus. Deinde adhibita observatione, experimento, inductione ad cognoscendam illius constantiae rationem efficientem progredimur; ea, quae ex ipsa rerum singularum natura interna eveniunt, ab iis distinguimus, quae conditionibus externis et relationibus debentur, et ita rationem constantem et uniformem cognoscimus, secundum quam causae naturales ad certos effectus producendos diriguntur vel non diriguntur. Atque ex cognitis legibus, quae rebus creatis sunt insitae, per legitima ratiocinia concludere etiam licet ad supremam legem formaliter acceptam, quae est in Deo omnium rerum auctore et gubernatore.

Dum autem ex observationibus et experimentis statuuntur leges, cautio magna propter naturae obscuritatem adhibenda est[1]:

1° Si in rebus omnibus, quae explorari possunt, iisque numero plurimis, idem semper et constanter fieri observamus, merito hanc generalem naturae legem esse dicimus, etiamsi in re una vel altera experimentum institui non possit. Sic quia in omnibus corporibus, quae quidem sub experientiam cadunt, deprehendimus, unum ab altero excludi loco, hinc physici proprietatem hanc, quam impenetrabilitatem dicunt, omnibus omnino corporibus, etiam illis, quae ob distantiam vel exilitatem oculos sensusque nostros effugiunt, sine ulla haesitatione attribuunt.

2° Neque in hoc negotio ulla difficultas erit, si quid hinc inde primo intuitu contrarium fieri videatur; modo idipsum, re accuratius inspecta, conciliari cum lege generali possit. Ita cum generali impenetrabilitatis lege pugnare quidem videtur, quod aqua in lignum penetrat. Quid autem rem accuratius inspectanti apertius, quam nullo id modo cum lege ista revera pugnare?

3° Sed antequam rem ex generali lege semper et constanter contingere pronuntiemus, observationes et experimenta magnopere iteranda et varianda sunt.

4° Dum de effectuum causa quaeritur: a) obiectum et ante et dum effectus adest, solerter consideretur, ut videatur, quid vel nunc vel paulo ante accesserit. b) Accuratissime attendendum est, annon plura accesserint, et quodnam ex his, vel an omnia simul ad effectum producendum aliquid contulerint. c) Interdum effectus causa inveniri potest, si adiuncta mutentur attendaturque ad effectum, qui singulis in rebus enascitur. d) Ex eo, quod cum effectu circumstantia aliqua etiam semper et constanter coniuncta sit, cave illico inferas, hanc effectus causam esse: videndum insuper, sitne ea huic effectui accommodata, sintne fortasse alia, quibus effectus tribui possit vel debeat.

---

[1] Has regulas tradit Ad. Contzen, Op. cit. p. 124.

Quibus omnibus in rebus necessaria est diligens circumspectio et adaequata naturae observatio. Nam, ut dicit ARISTOTELES, „cum vero congruunt omnia, quae in re insunt“ [1].

Atque in hoc operandi genere adhibetur methodus, quam vocant eliminationis, quae duplex esse potest. Aut enim per „methodum congruentiae“ observatis iis, in quibus res sub mutatis conditionibus conveniunt, eliminantur ea omnia, quae effectus, de quo agitur, causae esse non possunt, et hoc modo causa vera detegitur. Aut per „methodum differentiae“ instituuntur experimenta, quibus appareat, qua ratione aliquis processus differat ab eventibus finitimis; qua differentia manifestatur, qui sit nexus inter causam quandam et effectum.

Accedit quae vocatur „methodus residuorum“, secundum quam certo processui subtrahuntur causae notae et effectus noti, et iam causa residua ad effectum residuum pertinebit.

Vel adhiberi etiam potest methodus, quae dicitur „variationum concomitantium“, per quam appareat, quinam effectus in aliquo processu alicui causae, quae ex processu eliminari non potest, ascribendus sit [2].

457. Scholia. *Scholion 1.* Non sunt vituperandi, qui in pervestigandis rebus sensibilibus maximam operam collocant; modo in hoc negotio recta intentione ducantur.

„Apponere studium circa sensibilia cognoscenda, ut est apud S. THOMAM, dupliciter potest esse vitiosum: uno modo, in quantum cognitio sensitiva non ordinatur in aliquid utile, sed potius avertit hominem ab aliqua utili consideratione. . . . Alio modo, in quantum cognitio sensitiva ordinatur ad aliquod noxium. . . . Si quis autem cognitioni sensibilium intendit ordinate propter necessitatem sustentandae naturae, vel propter studium intellegendae veritatis, est virtuosa studiositas circa sensibilium cogitationem.“ [3]

Scholion 2. Ne in his quidem rebus, in quibus de perscrutanda rerum natura agitur, aliena „auctoritate“ et „fide“ carere possumus.

Quum autem de experimentis quaeritur, quae ab alio instituta referuntur, vide: a) ipsene experimentum instituerit, an ab alio relatum acceperit; b) sitne experimentum institutum rite et cum accuratione debita; c) illene exponat et rem fideliter et adiuncta omnia, quae ad rem requirantur; d) attendendum quoque est ad indolem, scientiam, sinceritatem referentis. Quod hac nostra aetate potissimum attendendum est, quum plurimi inveniantur, qui ob praeconceptas opiniones falsas et impias ab allucinationibus, immo mendaciis alieni non sunt. — Quoties igitur in aliorum auctoritate tibi acquiescendum est, quum ipse observationes et experimenta instituere non possis, fide sane duci debes in his, quae multorum observatione et experimentis constant. Sed cave ab auctoritate virorum, qui quum in sua quique disciplina multum versati sint, sub docta experimentorum et observationum specie vanas phantasiae fictiones vel funestissimos errores conantur introducere.

---

[1] L. 1 ethic. NICOM. c. 8, 1098 b, 11.

[2] TH. ZIEGLER, Lehrbuch der Logik. 1881. p. 71.

[3] Summ. theol. II. II. q. 167 a. 2.

Scholion 3. Est etiam methodus experimentalis sive empirica, quae ideo vitiosa est, quia cognitiones humanas non ulterius extendi ponit, quam porrigatur experientia sensuum.

Quae nihil ut certum admittit, quod non sit haustum ex sensibus. Quae methodus Empiristarum est, Sensualistarum, Materialistarum. Certum est autem, hominem in cogitationibus suis non coarctari limitibus sensuum, sed ponere posse iudicia vi universali praedita, hinc cognoscere principium causalitatis atque ipsas rerum essentias [1]. Quod qui ignorat, ab animali bruto gradu fortassis differt, non tamen essentia. „Sciendum est, ait Leibnizius, duplices esse consecutiones toto coelo diversas, empiricas et rationales. Consecutiones empiricae nobis sunt communes cum brutis, et in eo consistunt, ut sentiens ea, quae aliquoties coniuncta fuisse expertum est, rursus coniunctum iri exspectet. Sed quia saepe fit, ut talia tantum per accidens sint coniuncta, hinc saepe Empirici decipiuntur, prorsus ut bruta; ut scilicet, quod exspectant, non eveniat. At homo, quatenus non empirice, sed rationaliter agit, non solum fidit experimentis aut inductionibus particularium a posteriori, sed procedit a priori per rationes. Et quale est discrimen inter geometram et analyseos peritum, et arithmeticum aliquem vulgarem pueros docentem, qui regulas arithmeticas memoriter didicit, sed rationem earum non novit; nec proinde in quaestionibus nonnihil a consuetudine recedentibus sibi consulere potest: tale est discrimen inter Empiricum et Rationalem, inter consecutionem bestiarum et ratiocinationem humanam. Etiamsi enim multa exempla succedentia experiamur, nunquam tamen de perpetuo successu securi sumus, nisi rationes necessarias reperiamus, unde colligamus, rem aliter se habere non posse. Itaque bruta non cognoscunt universalitatem propositionum, quia non cognoscunt rationem necessitatis. Et licet aliquando Empirici per inductiones ducantur ad propositiones vere universales, id tamen per accidens tantum, non vi consecutionis contingit.“ [2]

458. **Methodus rationalis** in eo praecipue est posita, ut, postquam ex iis, quae in rebus apparent, per inductionem abstractionemque universalis rei notio est constituta, inde ea, quae rei conveniant, per deductionem concludantur. Et hanc quidem methodum

---

[1] Baco de Verulamio apte Empiricos, qui nihil aliud faciunt, quam plurimas congregant experientias, formicis comparat; speculativos illos, qui omnia quasi fila ex seipsis extrahere volunt, araneis; eos autem, qui post experientiam recte et diligenter institutam principia rationis adhibent, apibus aequiparat. „Qui tractaverunt, inquit, scientias, aut Empirici aut Dogmatici fuerunt. Empirici, formicae more, congerunt tantum et utuntur. Rationales aranearum more telas ex se conficiunt. Apis vero ratio media est, quae materiam ex floribus horti et agri elicit; sed tamen eam propria facultate vertit et digerit. Neque absimile philosophiae verum opificium est; quod nec mentis viribus tantum, aut praecipue nititur, neque ex historia naturali, a mechanicis experimentis praebitam materiam, in memoria integram, sed in intellectu mutatam et subactam reponit. Itaque ex harum facultatum arctiore et sanctiore foedere bene sperandum est.“ Nov. Org. Aph. 95.

[2] Log. et metaph. edit. Dutens vol. 2 parte 1 p. 233.

methodo experimentali omnino adiungendam esse, iam inde manifestum est, quod causa, qua efficitur scientia, non in ipsa experientia, quippe quae proprie ad sensum pertineat [1] verseturque in singularibus tantum, sed in cognitione principiorum universalium cernitur, quae principia ope quidem experientiae efformantur, non tamen ita, ut experientia ex se illorum causa sit.

Quae res exemplo a *domo* petito illustrari solet. Quemadmodum enim lapides neque domus sunt neque fundamenta domus, sed illud, ex quo utrumque componitur, ita experientia non est scientia neque principium scientiam efficiens, sed utrique materiam praebet. Et sicut fundamenta domus sunt id, super quo posito domus aedificatur, ita principia non sunt scientia, sed id, ex quo scientia exsurgit. Quum scientia ex principiis gignatur et principia ab experientia sive a perceptione rerum sensitiva per intellectionem efformentur, liquet, in cognitione sensili nihil esse, nisi initium viae, quae ad scientiam ducat [2]. Sicut ex experientia per inductionem principia parantur, ita ex principiis inductione paratis per syllogismum conclusiones scientificae deducuntur. Principia universalia etsi causa scientiae dici possunt, nondum tamen sunt ipsa scientia. Scientiae igitur necessaria inchoatio sive acceptio fit, quum ex sensibilibus ad intelligibilia ascendimus; sed ipsam scientiam adipiscimur, quum ab intelligibilibus universalibus iterum tamquam ex cognitis principiis descendimus ad principiata. „In accipiendo scientiam, ut ad rem Aquinas, non semper principia et elementa sunt priora, quia quandoque ex effectibus sensibilibus devenimus in cognitionem principiorum et causarum intelligibilium. Sed in complemento scientiae semper scientia effectuum dependet ex cognitione principiorum et elementorum, quia tunc opinamur nos scire, quum principiata possumus in causas resolvere.“ [3]

Atque haec methodus rationalis tum maxime servatur, quum res primo definitione explicatur. Explanatis deinde per processus syllogisticos rei proprietatibus, eadem primum in sua membra sive partes integrantes, si quas habet, deinde in suas species sive partes proxime sibi subiectas dividitur. Post eodem modo etiam unaquaeque ex illis speciebus primo definitur, eiusque proprietatibus syllogismo expositis in sua membra primum, deinde in suas species dividitur, atque ita deinceps, donec ad ultimas species perventum sit. Ut quum quis acturus de *syllogismo*, primum explicat, quid sit syllogismus in genere et quaenam eius proprietates; tum partes integrantes syllogismi, formalem et materialem, distinguit; tandem dividit syllogismum in partes subiectivas sive species, in demonstrativum, topicum, sophisticum, et quae sequuntur.

---

[1] S. Thom., Quaest. disput. q. 16 de malo a. 1 ad 2.

[2] Sanseverino, Logic. Vol. 4 p. 202.

[3] S. Thom., Summ. theol. I. q. 85 a. 8 ad 1.

Quoniam in hac methodo usus demonstrationis et synthesis est praecipuus, etiam methodus demonstrationis vel a priori vel synthetica esse dicitur.

His de natura methodi rationalis constitutis, manifestum est, hanc methodum non solum ad id idoneam esse, ut veritas iam cognita aliis demonstretur, sed ex se aptissimam quoque, qua veritates necessarias ex aliis iam cognitis inveniamus. Neque raro ad cognitionem de rebus contingentibus acquirendam adhiberi potest, quum eiusmodi cognitio ex applicatione axiomatis ad aliam veritatem contingentem iam cognitam hauriri potest.

Scholion 1. Est etiam methodus „rationalis", quae nomen suum inde traxit, quod nihil, quod auctoritate nitatur, admittendum esse praecipiat, quem auctoritatis contemptum in rebus philosophicis plurimum promovit Cartesius.

Scholion 2. Praeterea est methodus „rationalis", quae quia experientiam omnem sensuum spernit neglegitque, vituperanda est. Quae si omnes rerum notitias ex ideis vel formis menti humanae innatis trahit, idealistica vocatur, et a Platone, Cartesio, Kantio, aliis est proposita. Si illas notitias ex cognitione Dei, quae omnium cognitionum prima sit, deducere conatur, ontologistica dicitur, et a Malebranche, Rosmini, Gioberti defendebatur.

Certum est autem, homini innatas esse facultates tantum ad cognoscendum aptas et naturaliter inclinatas, quibus adhibitis mens per experientiam sensuum eas de rebus notitias hauriat, quae ad adipiscendas cognitiones pure intellectuales sunt necessariae. Homo enim neque spiritus purus est, neque purum animal, sed animal rationale. Unde spectata hominis natura Aristoteli est assentiendum dicenti: „Videtur autem et ratio testis iis esse, quae apparent; et quae apparent, testes esse etiam rationi." [1] „Mens humana, ut est apud S. Augustinum, prius haec, quae facta sunt, per sensus corporis experitur eorumque notitiam pro infirmitatis humanae modulo capit; et deinde quaerit eorum causas, si quo modo possit ad eas pervenire principaliter atque incommutabiliter manentes in Verbo Dei, ac sic invisibilia eius per ea, quae facta sunt, conspicere." [2] A sensibilibus igitur exordiendum est; sed non in sensibilibus sistendum. „Cognitio humana, ut monet S. Bonaventura, incipit a sensu tamquam ab exteriori, quae non perficitur, nisi perveniatur ad intellectum, qui cognoscit, quid est res" [3]; et inde praeclaram scientiae amplitudinem deducit, dum ille, qui bestiae instar haeret in phaenomenis, bruta quadam exspectatione casuum similium continetur.

SECTIO TERTIA.

De methodo inventionis et doctrinae.

459. **Methodus inveniendae veritatis.** Quum modum attendimus, quo scientia ab homine acquiritur, hunc duplicem esse videmus. „Unus est, quando naturalis ratio per se ipsam devenit in cognitionem cognitorum, et hic modus dicitur inventio; alius,

[1] L. 1 de coelo c. 3, 270 b, 5. [2] L. 4 de genes. ad lit. c. 32.
[3] De septem donis Spiritus sancti, de dono intell. c. 1.

quando rationi naturali aliquis exterius adminiculatur, et hic modus dicitur *disciplina*" [1] vel doctrina. Duplex ergo est quaestio, qua aut inquiritur, quaenam methodus ad scientiam inventione comparandam adhibenda sit, aut quaenam in ea aliis tradenda sit accommodatior, postquam iam ab aliquo inventa sit. Atque de his rebus seorsum agendum est.

Sed de inventione iterum quaestio duplex esse potest. Aut enim inquiritur, qua via in solvenda quaestione particulari sit procedendum, aut qua ratione de obiecto aliquo cognito plenior cognitio comparari possit. Si de solvenda quaestione particulari agitur, ut plurimum datum est subiectum; adhibenda ergo erit methodus analytica. Quapropter haec methodus, quae in veritatibus inveniendis potiores partes habeat, methodus *inventionis* vocatur.

Quodsi posterior exstitit quaestio, sequi modum opus est, quem ordo cognitionis humanae indicat.

Incipiendum est igitur a sensili experientia, ex qua ad principia ascenditur et a principiis ad conclusionem devenitur. „Cognitio eorum, quae cognoscuntur per demonstrationem, i. e. cognitio conclusionum fit in nobis ex praeexistenti cognitione intellectiva principiorum; sed cognitio principiorum fit in nobis ex praeexistenti cognitione sensitiva." [2] Neve putet quispiam, ideo in invenienda veritate a principiis universalissimis et primis incipiendum esse, quod haec vulgo priora sint et notiora esse dicantur. Hoc enim de obvia apprehensione intellectuali intelligendum est, non autem de accurata ipsarum rerum notitia. „Dicendum, quod magis universalia secundum simplicem apprehensionem sunt primo nota, nam primo in intellectu cadit ens. . . . Sed quantum ad investigationem naturalium proprietatum et causarum, prius sunt nota minus communia; eo quod per causas particulares, quae sunt unius generis vel speciei, pervenimus in causas universales. Ea autem, quae sunt universalia in causando, sunt posterius nota quoad nos, licet sint prius nota secundum naturam; quamvis universalia per praedicationem sint aliquo modo prius quoad nos nota, quam minus universalia, licet non prius nota quam singularia; nam cognitio sensus, qui est cognoscitivus singularium, in nobis praecedit cognitionem intellectivam, quae est universalium." [3] Deinde „illa, quae sunt maxime a sensibilibus remota, difficilia sunt hominibus ad cognoscendum; nam sensitiva cognitio est omnibus communis, quum ex ea omnis humana cognitio initium sumat. Sed illa, quae sunt maxime universalia, sunt a sensibilibus remotissima, eo quod sensus singularium sunt; ergo universalia sunt difficillima hominibus ad cognoscendum."

Et experientia, quae secundum hanc methodum initium scientiae ponitur et fundamentum, quum facta interna tum res externas, generatim ea omnia com-

---

[1] S. Thom., Quaest. disput. q. 11 de verit. a. 1.
[2] S. Thom. in l. 2 anal. post. lect. 20.
[3] S. Thom. in l. 1 metaph. lect. 1.

plectitur, ex quibus intellectus uniuscuiusque scientiae principia interveniente inductione formare potest. Neque tamen ab ipsa experientia principia scientiae efficiuntur. Quia enim experientia non est nisi singularium, principia autem universalia sunt, experientia materiam tantum suppeditat, ex qua ab intellectu principia efformantur. Postquam autem principia sunt ab intellectu inductionis ope comparata per viam analyticam, iam syllogismus inde conclusiones legitimas deducere potest per viam syntheticam.

460. Praeter analysim et synthesim in hac methodo inventionis etiam analogiae vel similitudinis consideratio maximo adiumento est. Quae etsi suadet potius, quam persuadet, quia tamen similium similis est ratio, semper sapientis est habitum, similitudinis rationem habere accuratissimam. Neque segnius animus scientiae sitiens curare solet rerum dissimilitudinem, et in omnibus rebus attendere illud: Dissimilium dissimilis est ratio; vel: Contrariorum causa contraria est. Accedit testimonium aliorum; nam ad veritatem indagandam haud leviter nos impellere atque dirigere solent illustrium virorum nutus et vestigia. Neque nunquam obloquentes audire iuvat; nam dissensione, impugnatione excitatus animus vires suas mirum in modum auctas sentire solet [1].

Solent etiam quaedam praecipi de methodo inveniendi argumenta. Sed non est, cur hoc loco ea de re quidpiam dicamus. Ex iis enim, quae supra (n. 419 sqq.) de locis constituta sunt, haec methodus satis aperta est.

461. **Methodus tradendae aliis veritatis sive methodus docendi.** „Intellectualis cognitio secundum plurimum et generatur et augetur ex doctrina, cuius ratio est, quia virtus intellectualis ordinatur ad cognitionem, quae quidem acquiritur a nobis magis ex doctrina quam ex inventione. Plures enim sunt, qui possunt cognoscere veritatem ab aliis addiscendo, quam a se inveniendo. Plura etiam unusquisque inveniens ab alio discet, quam per seipsum inveniat“ [2]. Quum igitur rebus cognitis id agitur, ut inventa veritas cum aliis communicetur, iterum de re duplici praecipiendum est. Aut enim quaeritur, qua ratione generatim quis alios docere debeat, aut de una quaestione vel propositione determinata docendi ratio inquiritur.

Si modus doctrinae generatim indicandus est, is certe alius esse non potest, nisi modus inventionis.

Quo enim alio pacto magister discipulum docere possit, nisi manifestando discipulo viam sive methodum, qua ipse verum cognoverit? „In his enim, quae fiunt a natura et arte, eodem modo operatur ars, et per eadem media, quibus

---

[1] Hac de re haud inscite Goethe: „Das Gleiche lässt uns in Ruhe, aber der Widerspruch ist es, der uns productiv macht.“ Epist. ad Eckermann III. 122.

[2] S. Thom. in l. 2 ethic. lect. 1.

et natura . . . unde et ars dicitur imitari naturam. Similiter et contingit in scientiae acquisitione, quod eodem modo docens alium ad scientiam ignotorum deducit, sicuti aliquis inveniendo deducit seipsum in cognitionem ignoti . . . et secundum hoc unus alium docere dicitur, quod istum discursum rationis, quem in se facit ratione naturali, alteri exponit per signa; et sic ratio naturalis discipuli, per huiusmodi sibi proposita, sicut per quaedam instrumenta, pervenit in cognitionem ignotorum. Sicut ergo medicus dicitur causare sanitatem in infirmo natura operante, ita etiam homo dicitur causare scientiam in alio operatione rationis naturalis illius, et hoc est Docere."[1] Quia igitur methodus docendi se habet ad methodum inveniendi, sicut ars (quae naturam, quo facilius secundum sua principia procedat, iuvat) ad naturam solam: manifestum est, docendi viam aliam non esse quam inveniendi.

462. Quodsi quaeratur, qua ratione una certa quaestio vel propositio cum aliis communicetur, duae hac in re docentis partes esse possunt, primo, ut rem suam tradat et confirmet, deinde vero, ut, quae sunt adversaria, refutet contrariaque solvat.

Quoniam autem, qui docet, tum subiectum tum praedicatum rei probandae ipse novit, iam a subiecto exordiens methodum analyticam sequi potest, aut a praedicato incipiens mentem discentis ad subiectum per methodum syntheticam reducere. Atque ita utroque modo commode ostendi potest, unum de altero affirmandum vel negandum esse.

In quo negotio utraque methodus commodum habet suum, quo altera caret. Methodus enim analytica eo praestat, quod eodem ordine eandem viam sequitur, quam mens in invenienda veritate est emensa. Contra methodus synthetica eo excellit, quod rem expeditius et lucidius exhibet, et facilius suadet, et memoriae magis inservit. Est enim homini magis naturale et facile, ut ex universalioribus procedat ad ea, quae sunt minus universalia. Quamobrem factum est, ut methodus synthetica vocetur methodus doctrinae sive scholae. Quamvis autem ex se methodus synthetica usui scholae sit accommodatior, tamen haud raro analysis utilitati discentium inservit magis; quod tum accidit, quum errores notantur, qui in inventionis negotio sunt commissi, et generatim, quum rectae rerum definitiones in quaestione versantur et ex rebus singulis observandis explorari debent.

463. Sicut in inveniendi methodo quaerentis plurimum interesse diximus, attendere rerum similitudines dissimilitudinesque, ita in docendo usus comparationum et imaginum maximopere commendandus est[2].

Quarum utilitas primo in eo cernitur, quod res, quae obscurior est, conformitate et similitudine cum re nota innotescit clarius, tenetur firmius. Hoc deinde modo per cogitationes multas facilius conservatur attentionis unitas ad

---

[1] S. THOM., Quaest. disput. q. 11 de verit. a. 1.

[2] Cfr. EUKEN, Bilder und Gleichnisse in der Philosophie. Lipsiae 1880. De Stagiritae more p. 10.

rem praecipuam, quae ad postremum quaeritur. Et quum tandem in hac rerum sensibilium et non-sensibilium universitate cohaereant omnia et nexu multiplici inter se sint coniuncta, et mirabili similitudine conveniant, ex adhibitis comparationibus aptis id erit consequens, ut mens discentis ad activitatem propriam ad recogitandum res in partes omnes excitetur, atque ita imagines et similitudines cognoscendae veritati parent viam.

Sed in adhibendis comparationibus certae regulae sunt. Et prima quidem est, ut imagines comparationesque ex iis trahantur rebus, quae omnibus discentibus notae sunt et omnino obviae. Ita Aristoteles solitus erat adhibere res hominibus illius temporis notissimas, ut ex arte fundendi aeris vel aedificandi domus et naves et ex reliquis artibus fabrilibus, ex reipublicae institutis, ex ludis et rebus civilibus et id genus aliis.

2° Quum in omni paritate aliqua occurrat disparitas, comparationes non ultra extendendae sunt, quam rei veritas permittit.

3° Nunquam comparationes ponere licet loco absentium argumentorum, vel ad tegendam argumentationis infirmitatem. Sed tum solum comparationem adhiberi licet, quum nihil restat, quod probatione indigeat. Et ibi tantum quis solis adhibitis comparationibus contentus esse potest, ubi certus est, discentes contra ipsam rei veritatem difficultates iusto iure non moturos esse. Comparatio enim per se non habet vim demonstrativam, sed aut rem cognitam illustrat, aut ad rem cognoscendam disponit animum. Unde in rebus philosophicis comparationibus ne potiores quidem partes dari licet. Ita peccant, qui, ut *hominem* ostendant carere libertate, comparationibus quasi helluantur, voluntatem comparantes lanci, in quam imponantur pondera, vel ovi esurienti, quae trahatur ramo viridi, vel acui magneticae, quae septentrionem versus quasi sponte dirigatur, sexcentis aliis rebus clarissimis, quibus mens legentis facile perturbatur, ut putet etiam defectum libertatis in homine esse rem clarissimam.

4° Nunquam licet in afferendis comparationibus quantumvis bonis excedere modum; secus enim animus discentis non ad intellegendum adducitur, sed distrahitur.

Quodsi hae regulae (quarum praecipue secunda est) negleguntur, ex abusu comparationum in philosophia multo plus erroris, confusionis omnisque generis nocumenti nasci potest, quam utilitatis et fructus ex recto illarum usu exspectari [1].

464. Iam ad praecepta confutandi adversarios venimus (n. 169). Qua in re imprimis maximopere est commendandum, ut ii investigentur impetanturque adversarii, qui quamvis a nobis remotiores, in magnis a veritate discedunt et propter errores suos funestissimos excitant tempestates; abstentis manibus ab illis amicis et propinquis, qui in rebus minutioribus alius sint sententiae.

Quod ideo monemus, quia, quum homo omnis a natura mira sit ad litigandum et obloquendum alacritate, periculum est, ne propter res vilissimas proximus quisque maxima cum diligentia reprehendatur, corrigatur, mordeatur, vincatur; omissis et ex pigritia neglectis illis veritatis adversariis, quos amans veritatis imprimis impugnare debet.

---

[1] Cfr. Eucken, Opus cit. p. 30 sqq.

In confutando autem adversario ordo triplex servari potest. Primus est, si quod verum esse arbitramur, primo loco statuamus, tum ex veritate comprobata aliorum sententias refutemus. Secundus est, si prius adversarias opiniones recenseamus singulatimque refellamus, ut tandem adhibitis rationibus nostram stabiliamus sententiam. Tertius est, si prolatis in utramque partem oppositis sententiis, statim, quid in proposita quaestione verum sit, explicetur ita, ut ad extremum rationes adversariae diluantur et dubia omnia, quae sint reliqua, solvantur.

Sed reprehendendus quoque et aggrediendus est, qui contra argumentatur adversarius. Cuius rei hanc praeclaram praeceptionem dat Tullius: Omnis, inquit [1], argumentatio reprehenditur, si aut ex iis, quae sumpta sunt, non conceditur unum plurave; aut his concessis complexio confici ex his negatur; aut si genus ipsum argumentationis vitiosum ostenditur; aut si contra firmam argumentationem alia aeque firma aut firmior ponitur.

SECTIO QUARTA.

De methodo construendi systematis scientifici.

465. Systema scientiae quid hoc loco intelligatur. Quum scientia et ex parte cognoscentis sive subiective spectari possit atque etiam ex parte rerum cognitarum sive obiective, hoc loco scientia obiective intellecta considerationi subiicitur. Et eam quidem intelligimus, quare totalis est (n. 395) sive plurimarum notionum aggregatio, quae ad unam rem pertinent.

Systema (σύστημα) quum vi vocis prima rem quamlibet ex partibus compositam, vel etiam quandam mediorum ad finem compositionem significet, ubi de systemate scientifico agitur, omnium scientiarum, vel saltem unius scientiae rectam constitutionem et partium aptam in toto ordinationem indicat [2]. Et generatim is ex recto ordine in construenda aliqua scientia procedet, qui a notione vel definitione initiali illius rei, de qua a ratione institutio suscipitur, exordia petit, deinde de causis rei videt, tertio de proprietatibus et quarto tandem de speciebus. Ita ex uno tamquam semine scientia tota ut organismus unus efflorescit [3]. Sicut autem

---

[1] L. 1 de invent. rhetor. c. 43 sqq.

[2] Cfr. Ueberweg, System der Logik § 138; Trendelenburg, Log. Untersuchungen II. p. 443 sqq.

[3] Id de unaquaque scientia „totali“ dicimus. Sed possunt scientiae omnes, quarum quaeque totalis vocatur respectu suarum partium, iterum inter se comparari et componi ita, ut considerentur tamquam partes unius scientiae uni-

in organismo, ita etiam in systemate scientifico tria sunt, unde perfectio totius necessario pendet, quorum primum unitas est, alterum firma partium constitutio sive ex principiis recte positis evolutio; tertium denique in harmonia totius situm est. Quum autem unitas scientiae ex eius obiecto veniat, vis evolutionis ex principiis, harmonia ex recta partium in toto dispositione, de his tribus locis dicendum videtur.

466. Scientiae obiectum, ex quo petitur systematis unitas. Illa est scientia una, quae in obiectis eiusdem generis versatur. Ex quo fit, ut construenti systema quoddam maximopere ad obiecta sit attendendum [1].

---

versalis, in quo quasi speculo universus ordo entium resplendet. Sicut de systemate uniuscuiusque scientiae praecipiunt philosophi, ita etiam constituendo systemati illius scientiae universalis dant operam.

[1] Nonnulli hoc loco non de scientiae obiecto, sed de scientiae subiecto dicunt. De usu vocum „subiectum" (ὑποκείμενον) et „obiectum" (ἀντικείμενον, quod Boethius verterat „oppositum") haec observanda sunt:

Primo igitur vox „subiectum" quattuor habet significationes:

1° Sumitur pro subiecto logico, sive praedicationis, et significat id, de quo aliquid praedicatur. — 2° Pro subiecto physico, sive inhaesionis, et significat id, quod accidentibus subiicitur. Quae duae acceptiones passim occurrunt in libris Peripateticorum. — 3° Pro quacumque realitate extra mentem existente, quae potest cognitioni subici; sic in schola solemus dicere subiectum scientiae ipsam realitatem, in qua scientia versatur. — 4° Recentiore aetate subiectum sumi solet pro cognoscente; ex quo fit, ut conditiones omnes, quae se tenent ex parte cognoscentis, subiectivae dicantur. — Quarta haec acceptio vocis „subiectum" tertiae acceptioni est omnino contraria.

Alia autem vox „obiectum" duas habet acceptiones:

1° Significat rem ipsam cognitam, non ut existit in natura extra intellectum, sed quatenus habet Esse ideale in mente. Aliis verbis: est ipsum verbum mentis, ut actu repraesentat rem. — 2° Significat rem ipsam, quae in natura existit a cognoscente independens, quae tamen per idealem repraesentationem obiicitur menti. Quae acceptio communis est auctoribus scholae, eaque falso ut nova Germanis adscribitur, quasi Kantius et Fichtius fuerint primi huius significationis auctores. Verum est tamen, a Germanis vim harum vocum „subiectum" et „obiectum" fuisse coarctatam; quum (apud ipsos) „subiectum" is dicatur, ait Trendelenburgius, qui cognoscit; „obiectum" contra res est, quatenus cogitanti quidem subiicitur, suam tamen tuetur naturam a cognoscentis opinionibus liberam. Inde fit, ut „subiectivum" id dicatur, quod in varia cognoscentis opinione, „obiectivum", quod in constanti rei ipsius natura est positum. . . . „Verbum subiectivum, obiectivum novus est vocabulorum usus ad grammaticam et subiecti vim plane accommodatus." (Elementa Logices, editio sexta, Adnotata, § I. nota 2.)

Sed neque raro inter subiectum scientiae et obiectum scientiae ita distinguunt, ut obiectum sit conclusio tota constans ex subiecto et proprietatibus, in

Et generatim quidem obiectum duplex statui potest: complexum, sive „obiectum quod", et incomplexum, sive „obiectum de quo". Obiectum incomplexum, quod solet intelligi, si obiecti mentio incidit, est res, circa quam disciplina versatur; quae a nonnullis etiam „subiectum considerationis" vocatur.

Quod obiectum iterum duplex esse potest: per se et per accidens: Obiectum per accidens est id, quod consideratur propter illud, ad quod aliquo quidem modo refertur, non tamen ex nexu naturali positivo: Ita *fallaciae* sunt obiecta per accidens logicae, et *vitia* ethicae.

Obiectum per se illud est, quod propter se consideratur vel saltem ex natura sua ad id pertinet, quod propter se consideratur. Ita *corpus naturale, materia, vis, quantitas, motus* sunt obiecta per se physicae, quia corpus naturale propter se a physico consideratur, materia autem, vis, quantitas, motus ex natura sua ad corpus naturale pertinent.

Obiectum per se duplex accipi potest: totale et partiale. Obiectum totale illud est, quod ea omnia suo ambitu continet, quae in aliqua disciplina sunt consideranda, ut *corpus naturale* in physica. Obiectum partiale est pars obiecti totalis; estque aut pars praecipua et dicitur obiectum primarium, aut pars minus praecipua et dicitur obiectum secundarium.

Obiectum totale aut communitatis est, aut attributionis. Obiectum communitatis illud est, quod in recto praedicatur de omnibus, quae in aliqua disciplina tractantur, ut *ens physicum* respectu scientiae physicae; omnia enim, quae tractantur in physica, ut in ea tractantur, entia physica dici possunt.

Obiectum attributionis est illud, quod de omnibus, quae in aliqua disciplina tractantur, ita praedicatur, ut de quibusdam in recto praedicetur, de quibusdam in obliquo; cuiusmodi est *corpus naturale* respectu physicae; dicitur enim *homo* esse corpus naturale, *planta* corpus naturale, *oxygenium* corpus naturale; sed *materia* dicitur corporis naturalis (supple: principium) et *quantitas* corporis naturalis (supple: accidens). Et hoc obiectum vulgo nomine obiecti intelligitur; constatque parte duplici: materiali et formali.

Atque obiecti quidem divisio in materiale et formale praeprimis est animadvertenda. Obiectum materiale est id, circa quod aliqua disciplina ita versatur, ut circa idem etiam alia versari possit sub alio respectu; ita *planta* esse potest obiectum botanicae atque etiam medicae. Quod in artibus iterum duplex esse potest: proximum, de quo efficiendo ars regulas tradit, ut *statua* est obiectum materiale statuariae; et remotum, cui artis praecepta applicantur, ut sunt *lapides* respectu artis statuariae.

Obiectum formale est specialis ratio, sub qua obiectum materiale de se ad multa indifferens ad unum restrictum ab aliqua disciplina attingitur, et qua illa disciplina a quavis alia distinguitur.

Obiectum autem illud, quod ex obiecto materiali et obiecto formali conflatur et efficitur, vocatur obiectum adaequatum, ob-

---

qua scientia versatur, subiectum scientiae sit tantum conclusionis subiectum, quod quidem proprietatibus subiicitur, quae de eo in scientia demonstrantur. Hoc modo „obiectum" latius patet quam „subiectum".

iectum simpliciter vel etiam obiectum attributionis. Unde obiectum attributionis etiam sic definiri potest, ut sit id, quod propter se in aliqua disciplina consideratur et ad quod omnia, quae in ea disciplina tractantur, referuntur.

Hoc porro obiectum attributionis vocari potest obiectum specificum, dum obiectum materiale genericum est; et obiectum formale dicitur obiectum differentiale. Sicut enim species generum constat et differentia, ita obiectum attributionis ex obiecto materiali et formali constituitur.

Scholion. Nonnulli in habitibus discursivis obiectum formale triplex distinguunt. Obiectum formale, de quo diximus hactenus, obiectum formale sub quo vocant. A quo distinguunt obiectum formale quod, quod est praedicatum conclusionis; et obiectum formale propter quod, quod est medium syllogismi sive argumentum, propter quod conclusioni assensus praebetur.

Praeter obiectum incomplexum etiam complexum nominavimus, quae est propositio integra, quae in disciplina discursiva consideratur et quae de obiecto incomplexo edicitur. Et hoc quoque obiectum duplex distinguitur, materiale, quae est conclusio, et formale propter quod, quod motivum etiam appellatur, quae sunt principia vel praemissae, ex quibus conclusio deducitur.

467. Ad obiectum adaequatum alicuius scientiae quattuor requiruntur conditiones: unitas, commensuratio, terminatio (quam aliqui relationem vocant), distinctio.

Primo igitur obiectum adaequatum unum esse debet, aliqua unitate vel univoca, vel analoga, vel saltem ordinis; nam per respectum ad obiectum scientia in sua unitate constituitur.

Secundo commensuratum esse debet, i. e. neque angustius neque latius patere, quam ipsa disciplina; nam ab obiectis disciplinae limitantur.

Tertio ad obiectum omnia, quae in aliqua disciplina tractantur, referri debent, sive ut principia, sive ut proprietates, sive ut species.

Quarto obiectum unam disciplinam a qualibet alia distinguere debet; nam ex ordine ad obiecta trahuntur differentiae disciplinarum secundum illud communiter dictum: Actus et potentiae et habitus specificantur ab obiectis.

Et obiectum adaequatum ex parte obiecti formalis illud est, unde unitas disciplinae sive scientiae diiudicatur. Et sicut unum obiectum est, ita una est disciplina. Ita *philosophia* disciplina est generice una, quae sub se continet disciplinas complures specie distinctas.

Itaque consequens est fieri posse, ut et disciplinae complures unum idemque obiectum materiale respiciant, et disciplina una ad complura obiecta materialia referatur. Sequitur quoque, ea sola et ea omnia in aliqua disciplina recte tractari, quae ad eius obiectum adaequatum sive proxima sive remota ratione referuntur.

468. Principia, in quibus systematis fundamenta sunt sita. „Progressus scientiae consistit in quodam motu rationis discurrentis ab uno in aliud. Omnis autem motus a principio quodam procedit et ad aliquid terminatur; unde oportet, quod in progressu scientiae ratio procedat ex aliquibus principiis primis." [1]

Et haec quidem principia ipsa disciplina, sive scientia, de qua agitur, non probat, sed supponit. Nihilo tamen setius magna cum cura et diligentia considerandum est, ut haec principia, quae quasi fundamenta construendum aedificium totum sustinere debent, sint certa omnino et firma.

Aut igitur debent esse veritates illae primae, quae nulla demonstratione indigent, aut definitiones reales, quarum veritas inspicienti innotescit statim, aut in scientia alia demonstrata esse debent. Ita *ethicae* principia in metaphysica demonstrata sunt.

Praeterea saepissime contingit, ut haec principia ex multis habitis experientiis inducenda sint. Antequam igitur ex principiis scientia ipsa deducatur, ipsa principia post experientiam diligenter institutam inductione et syllogismo illo, qui a posteriore dicitur, statuenda sunt. Sicut enim cognitio principiati per principium, effectus per causam, phaenomeni per eius legem comparatur et per syllogismum a priori, ita cognitio principii per principiata, causae per effectum, legis per phaenomena efficitur per inductionem et syllogismum a posteriori.

Atque horum principiorum certitudo cum scientia, de qua agitur, convenire debet; quae pro diversarum disciplinarum natura omnino diversa est. Aristotelem monuisse scimus (n. 185), non in omni disputationis et sermonis genere aeque accuratam subtilitatem requirendam esse [2]. Ita *scientia moralis* pro indole suae materiae certitudinem quidem v e r a m, quae homini rationali satis esse debeat, comparare potest, non tamen perfectam et omnimodam.

Verum minime illa principia, quae probabilia tantum sunt, sperni vel neglegi debent. Quae est enim hominis natura, saepenumero accidere iam diximus, ut conclusionibus multis, quarum unaquaeque in suis principiis probabilis tantum sit, simul sumptis a l i u n d e vera certitudo accrescat, quae quidem homini summopere est necessaria, solaque ab homine pro imbecillitate humani ingenii acquiri potest.

---

[1] S. Thom. in l. 1 anal. post. lect. 41.

[2] L. 1 ethic. Nicom. c. 1, 1094 b, 14.

Et haec principia, in quibus construendi systematis fundamenta sunt, alia formalia sunt, materialia alia. Formalia sunt generales illae veritates primae et ex se evidentes, quae scientiae omni lucem et firmitatem dare debent. Materialia autem veritates fundamentales sunt, quae singularum disciplinarum sunt propriae et ex iis conclusiones deducuntur.

Ad haec principia quod spectat, imprimis non segniter cavendum est, ne error eius generis principia inficiat vel minimus. Sicut etiam vel maxima a recta linea aberratio initio admodum parva est, ita etiam parvus in principio error maximus in exitu existere potest [1]. Et vix invenies systema vel maxime erroneum, cuius πρῶτον ψεῦδος non in errore, qui minutior appareat, sit positum.

Cavendum quoque a funesto errore eorum, qui putant, necessario unum dumtaxat ponendum esse principium, in quo velut in nuce positiones omnes alicuius scientiae contineantur [2].

Cavendum denique est, ut ea methodus adhibeatur, quae naturae cuiusque scientiae respondet. Disciplinae naturales methodo analytico-synthetica tractandae sunt. In rebus mathematicis, quae ex se sint intelligibiles et abstractae, methodus synthetica potiores partes habet. In disciplinis practicis ut plurimum non analytico-synthetice, sed synthetico-analytice procedendum est.

469. **Media, quae in construendo systemate adhibentur.** Haec alia sunt, quae ad introducendam scientiam viam parant, alia, quibus ipsa scientia obtinetur.

In priore genere sunt experientia, abstractio, inductio; quae referuntur ad analysim. In altero genere potissimum sunt tria sciendi instrumenta, de quibus initio (n. 138 sqq.) satis multa sunt dicta, definitio, divisio, argumentatio; quae synthesim spectant.

Quum enim in omni re ad cognitionem perfectam requiratur, ut causae cognoscantur ex effectibus et leges ex phaenomenis observatis et deinde effectus ex causis suis et phaenomena ex suis legibus: ad unumquodque scientiae systema et analysis et synthesis requiri manifestum est. Sed, ut bene Zabarella, „methodus resolutiva (analysis) est serva demonstrativae (synthesis), et ad eam dirigitur; non enim finem talem resolutio habet, quo invento quiescamus, sed a quo invento exordium compositionis sumamus; principia enim ideo per resolutionem indagamus, ut per ea cognita effectus consequenter demonstremus“ [3]. Synthesis instrumenta, quae diximus, tria sunt. Definitione determinatur rei quidditas et declaratur conceptus, qui abstractionis ope est efformatus; atque ita definitio et divisioni et argumentationi fundamenta praebet.

Sed iterum post adhibitam divisionem et argumentationem definitiones novae efformari possunt. Saepe enim et partes et proprietates rei diligenter cognoscendae sunt, antequam res accuratius definiri possit.

Divisione declarantur rei partes secundum respectus metaphysicos, atque etiam physicos.

[1] Arist. l. 1 de coelo c. 5, 271 b, 12.
[2] Enucleatius hac de re Sanseverino, Logic. Vol. 4 p. 272 sqq.
[3] De method. l. 1 c. 17.

Argumentatio ducta ex principiis universalioribus, quae aut abstractione aut inductione statuta sunt, causam necessariam indicat rerum magis particularium, et nexum causalem inter harum rerum essentias et proprietates patefacit. Qui nexus esse potest aut a priori sive ex conceptu, aut ad posterius sive ex destinatione naturae ad certum finem [1].

470. **Ipsa systematis structura** ut recte fiat, imprimis opus est, ut non tantum ad rationes subiectivas sive ad utilitatem cognoscentis, sed potius ad rationes obiectivas sive ad veritatem rerum disponendarum attendatur [2]. His autem praeceptis structura continetur:

Primo omnia sciendi instrumenta adhiberi debent recte, et prout natura materiae, de qua agitur, postulat. Qua de re plura non oportet dicere hoc loco; satis enim est, ut illa, quae ante (n. 139 sqq.) de definitione, divisione, variis argumentandi generibus constituta sunt, hanc quoque in causam transferantur.

Secundo adhibenda est analysis et synthesis; et primo analysis.

Ut enim de uno obiecto ordinata sit cognitionum multiplicitas, ipsum obiectum in partes suas resolvendum est partesque ipsae ex ordine disquirendae sunt. Sed disiectae rei partes non sunt res ipsa; neque separatae partium cognitiones ipsam obiecti cognitionem constituunt. Necessarium est igitur, ut haec multiplex partium cognitio per partitionem secundum rei veritatem componatur in unius systematis compagem. Atque id efficitur synthesi, qua iter per analysim emensum repetitur, et partium inter se et cum toto relationes perspiciuntur eliciturque principium, quo cuncta accommodate connectantur.

Tertio partes omnes suo quaeque loco constituantur.

Quod ut recte fiat, necesse est naturae ordinem sequi; nam hac quoque in causa ars naturam imitari debet; et eam claritatem simplicitatemque efficere, quae ad comprehendendum systema totum quum docenti tum discenti opportuna est.

Quartum illud est, ut recta rerum et disciplinarum observetur dignitas et subalternatio, qua in re ad finem et materiam et formam scientiae diligenter attendendum est.

Attendentes finem saepe rem vel disciplinam unam tamquam medium ad consequendum finem alterius referri videmus. Propter materiam una disciplina alteri subiicitur, quum eius materia in alterius materia contineatur. Ex forma una disciplina superat alteram, quum alteri principia praebet, ex quibus ea procedat. Quae omnium disciplinarum cohaerentia negligi sane non debet, quum de systemate omni ex parte recte construendo agitur.

Scholion. Accidere quidem potest, ut non clare a nobis videatur, qua ratione duae vel plures in variis disciplinis vel etiam

---

[1] Prout in aliquo systemate praeponderat aut argumentatio, aut divisio definitioque, distinguit TRENDELENBURG systemata explicationis et ordinationis. Log. Untersuch. ad 3 II. p. 446.

[2] Cfr. UEBERWEG, System der Logik § 138.

in disciplina una recte demonstratae veritates inter se conciliari possint. Quae difficultas ex debilitate humani intellectus oritur. Numquam autem putandum est, veritatem unam alteri posse esse oppositam. Quam rem praeclare Bossuetius illustravit comparatione. Quemadmodum enim, dicit, fieri possit, ut oculi nostri finem et exitum unius longissimae catenae clare percipiant, non tamen partem mediam, qua extremae illae partes uniantur, ita fieri posse, ut mens nostra duas veritates quasi separatas clare percipiat, non autem nexum, quo illae inter se uniantur. Ex quo orta praeceptio est, ne unquam veritates legitime demonstratae eo neglegantur, quod earum connexio et harmonia a nobis positive perspici nequeat.

CAPUT QUINTUM.

De adeptione veritatis per certitudinem et evidentiam.

471. **Quid sit assequi veritatem.** Veritas est adaequatio rei et intellectus (n. 88). Veritas igitur est in intellectu, quatenus intellectus rem intellectam adaequat sive quatenus conceptus obiectis conformes habet. Et intellectus noster se habet ad obiectum sicut mensuratum ad mensuram. Non enim veritatem habet, quia res ipsi conformantur, sed quia ipse rebus conformatur. Haec conformitas mentis cum obiecto nuncupatur veritas logica, quae definitur: adaequatio intellectus cum re intellecta. Alia est veritas, quam ontologicam vocant, quae ipsis rebus attribui solet et est conformitas rei cum seipsa, qua efficitur, ut res revera in se id sit, quod esse apparet vel affectare quasi propter aliquam similitudinem putatur.

Veritati opponitur falsitas, quae in difformitate aliqua mentis ab obiecto est sita.

Mens autem nostra eo veritatem assequitur, quod obiectum ipsi aut per suam ipsius praesentiam intervenientibus sensibus manifestatur aut per testis locutionem; quod deinde intellectus rationes obiectivas ad assentiendum vel dissentiendum determinantes invenit; quod denique intellectus assensum vel dissensum ponit rationibus ductus ipsi rei internis vel externis, quae hunc assensum postulant.

Iam veritatis adeptionem quod attinet, intellectus in multiplici statu versari potest (n. 130), qua de re accuratius nunc dicendum est.

SECTIO PRIMA.

De variis statibus mentis respectu veritatis assequendae.

472. Quid sit ignorantia et error. Ignorantia est status mentis cognitione obiecti carentis; sive est absentia cognitionis in subiecto cognitionis capaci.

Et quia cognitio perfecta tantum in intellectu esse potest, ignorantia proprie dicta tantum respectu intellectus, non vero facultatis sensitivae dicitur. Ignorantia quamvis semper non solum rationem simplicis carentiae, sed insuper cuiusdam privationis habeat, speciali tamen ratione privationem dicit, quum quis caret „scientia eorum, quae aptus natus est scire", i. e. scientia ea, quam ut habeat, a natura destinatus est. Quocirca recte distinguunt inter ignorantiam negationis (quam simplicem nescientiam vocant), et ignorantiam privationis, quae est ignorantia proprie dicta [1].

Ignorantia aut ex imbecillitate humanae mentis oritur, aut ex distantia et obscuritate obiecti cognoscendi: „Potest enim contingere, quod veritas sit difficilis ad cognoscendum vel propter defectum, qui est in ipsis rebus, vel propter defectum, qui est in intellectu nostro." [2]

Ignorantia aut partialis est aut totalis, prout intellectus aut quarundam tantum rerum notitia privata est, aut omnium. Et totalis esse potest aut absolute, aut relative, i. e. respectu alicuius obiecti.

Praeterea dividitur in ignorantiam simpliciter talem, et ignorantiam pravae dispositionis, qua quis adhaeret rebus falsis, quibus a scientia veritatis impeditur [3].

Error definitur: mentis assensus, quo vel negamus conformitatem eorum, quae sunt conformia, vel affirmamus conformitatem eorum, quae sunt difformia; vel etiam: discrepantia positiva inter id, quod mens iudicat, et rem, de qua iudicat.

Est igitur error actus mentis positivus, quo falsa pro veris approbantur. Et requiritur discrepantia positiva, quae in eo est, ut mens dicat, rem intellectam aliter esse, quam revera est. Nec satis est negativa, quae in eo est, ut cognitio non exhibeat omnia, quae in obiecto insunt.

Error etsi ab ignorantia omnino distinguitur, tamen ignorantiam aliquam semper supponit. Non enim decipiuntur unquam homines nisi circa ea, quae ignorant. S. Augustinus: „Quisquis, inquit, ullam rem aliter, quam ea res est, intelligit, fallitur; et omnis, qui fallitur, id, in quo fallitur, non intelligit. Quisquis igitur ullam rem aliter, quam est, intelligit, non eam intelligit." [4]

473. Quid dubium sive dubitatio; quid suspicio. Dubitatio est status mentis, in quo, obiecto proposito, in neutram contradictionis partem adducimur, propter erroris

[1] S. Thom., Summ. theol. I. II. q. 76 a. 2.

[2] S. Thom. in l. 2 met. lect. 1.

[3] S. Thom. in l. 2 de an. lect. 11.

[4] 83 Quaest. q. 82. Cfr. S. Thom., Summ. theol. I. q. 17 a. 3 ad 1.

formidinem; vel brevius: suspensio iudicii inter utramque contradictionis partem, quae fit propter erroris formidinem. Distinguunt dubium negativum et positivum. Negativum est, quum mens ideo anceps haeret, quia ex neutra parte rationes notatu dignae occurrunt, quibus intellectus ad assentiendum trahatur. Quod dubium ab ignorantia vix differt. Dubium est positivum, si ex utraque parte menti rationes apparent, quae intellectum ad partem suam inclinant.

Nemo autem arbitrari debet, hanc dubitantis animi suspensionem semper philosopho indignam esse. „Melius est enim, ut monet S. Augustinus, dubitare de occultis, quam litigare de incertis.“ [1] Nec obstat quidquam, ne cum dubitatione componatur iudicium omnino certum, tum de ipsa re, quam incertam vel dubiam esse, certo affirmetur, tum de ipso statu mentis, quam in dubitatione versari, clare perspiciatur. Immo si dubitatio deliberata est, semper in mente dubitantis iudicium aliquod certum supponitur, sive expressum, sive implicitum. Antequam enim quis prudenter actum a iudicio abstinendi ponat, determinare debet, rationes ad assentiendum satis non adesse.

Suspicio est quaedam ad iudicandum propensio consequens motivorum apprehensionem et aliquam attentionem ad illa.

Itaque suspicio non iudicium est, sed sola ad iudicandum inclinatio, quae excitari potest, vel quia motivum aliquam suadendi vim habet, vel quia voluntas ad imperandum iudicium ex aliqua affectione prona est.

Suspicio inter dubium et opinionem, de qua mox dicturi sumus, quasi media est. „Quidam actus intellectus habent cogitationem informem, absque firma assensione; sive in neutram partem declinent, sicut accidit dubitanti; sive in unam partem declinent, sed tententur aliquo signo levi, sicut accidit suspicanti; sive uni parti adhaereant, tamen cum formidine alterius, sicut accidit opinanti.“ [2]

474. Quid opinio et probabilitas. Dum suspicio est mera ad iudicandum inclinatio, opinio iam est iudicium (n. 264) et definitur: assensus mentis ad alteram contradictionis partem cum formidine tamen de alterius veritate; vel brevius: actus intellectus, qui fertur in unam partem cum formidine alterius [3]. „Opinio igitur est de uno ad duo: est enim de principiis ad conclusionem cum formidine alterius; et sic sunt ibi tria, principium et duae conclusiones, et una conclusa, et alia formidata.“ [4]

---

[1] De genesi ad lit. l. 8 c. 5.

[2] S. Thom., Summ. theol. II. II. q. 2 a. 1; cfr. Quaest. disput. q. 14 de verit. a. 1.

[3] S. Thom., Summ. theol. I. q. 79 a. 9 ad 1.

[4] S. Thom. in l. 1 de an. lect. 4.

Si quaeras, qua ratione eiusmodi assensus oriri possit, recordandum est, haud raro versari hominem in iis conditionibus, ut propter debilitatem facultatis certo videre non possit, quid veritatis in rebus insit, et tamen ob rationes practicas ipsius intersit, ut sibi de re iudicium efformet. Et iam non fieri non poterit, ut mens a voluntate ad unam partem potius, quam ad alteram inclinetur et imperante voluntate assensum praebeat. „Igitur intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab obiecto proprio, sed per quandam electionem voluntarie declinans in unam partem magis quam in aliam: et siquidem hoc fit cum dubitatione, erit opinio.“[1] Quum enim alteri etiam parti probabilitas aliqua insit, voluntas, quominus intellectus id percipiat, impedire semper non potest. Et iam mens ad uni parti adhaerendum inclinata, formidinem de alterius veritate omnino abiicere non potest. Quapropter „opinio non habet firmum assensum; est enim quiddam debile et infirmum, unde non videtur procedere ex perfecta voluntate“[2].

Itaque opinionem tribus elementis constitui recte observatum est, voluntatis uno, duobus intellectus. Ex his alter formidinis, ne opposita pars vera esse possit, alter in alteram partem assensionis est. Actus autem voluntatis in illa electione imperfecta cernitur, qua intellectus ad assentiendum inclinatur.

Formido si intelligitur formaliter, est affectio voluntatis, cuius obiectum est error, qui est malum intellectus. Si accipitur causaliter, est affectio sive actus intellectus, qui voluntatem ad formidandum inducit. Generatim formido non refertur ad malum, quod utcumque possibile vel futurum est, sed ad malum proximum et imminens.

475. Illud tantum haberi potest vere probabile, quod ratione gravi suadetur, i. e. ratione, quae etiamsi periculum errandi non omnino excludat, nihilo tamen setius in se vim habet, quae ad rem confirmandam satis sit et rationes oppositas satis solvat.

Opinio, quae gravi nititur motivo, et cui mens ea tantum firmitate adhaeret, quae respondet gravitati rationum suadentium, prudens haberi solet. Quodsi una alterave re peccat, imprudens vocatur. Itaque et ex defectu motivi sufficientis et ex immoderato assensu opinio imprudens esse potest.

Scholion 1. Ex priore capite opinio imprudens erit: 1°, quum non sequitur sanam motivorum considerationem, sed vehementem alicuius cupiditatis impetum; 2° si non considerantur motiva partis utriusque pari cum diligentia; 3° si post factam comparationem motivum iudicandi vel in re vel relative grave deprehensum non sit. Ex altero capite erit opinio imprudens, quum formido errandi, quam motiva non tollunt, incaute despiciatur vel abiiciatur, assensusque obfirmetur, quasi prudenter liceret ponere iudicium determinatum.

Scholion 2. Status opinionis nonnunquam „status probabilitatis“ dicitur. Sed nomine probabilitatis melius indicatur pondus momentorum, quae ad po-

[1] S. Thom., Summ. theol. II. q. 1 a. 4. [2] Ibid. q. 2 a. 9 ad 2.

nendum assensum opinativum adducunt; et nomen opinionis ad significandum ipsum assensum adhibetur.

Scholion 3. Opinionis nomen, quo actus intellectus significari solet, transfertur etiam ad significandum eiusdem obiectum, atque ita ipsa sententia sive doctrina vocatur opinio probabilis. Neque raro nomen opinionis latissime accipitur pro sententia quavis sive certa sive probabili.

Scholion 4. Opinio, de qua modo diximus, ab illo statu mentis distinguenda est, in quo quis cum certitudine videt, sibi in re aliqua secundum opinionem probabilem agendum esse. In hoc enim statu praeter opinionem sive infirmum intellectus iudicium, est iudicium certum reflexum, licitum esse, ut quis secundum opinionem probabilem in hac vel illa re agat. Etsi actio agentis in illo statu alicui sententiae conformatur, quae sit tantum probabilis, tamen cum certitudine operationis rectae peragitur.

476. **Quid sit certitudo.** „Certitudo nihil aliud est quam determinatio intellectus ad unum.“ [1] Et certitudinis status ille est, in quo mens obiecto firmiter adhaeret sine ulla dubitatione vel oppositi formidine. Definiri autem solet: status mentis, rei cognitae firmiter adhaerentis ex motivis, quae omnem errandi formidinem excludunt.

Sed firmitas illa, qua mens convenientiae vel discrepantiae notarum vel generatim realitati cognitae adhaeret, id ipsum est, in quo certitudo formaliter constituta est. Quamobrem certitudo etiam definiri potest: firmitas adhaesionis virtutis cognoscitivae ad suum cognoscibile [2]; vel: firmitas adhaesionis intellectualis veritati perceptae; vel etiam: firmitas assensus in unam contradictionis partem sine formidine errandi. Quae firmitas quum in re sit res positiva, tamen negativum illud adiunctum habet, quod in exclusione formidinis de veritate oppositi cernitur.

Manifestum est autem, hanc assensus firmitatem, in qua intellectus quietem suam reperiat, nisi ex ipsa veritatis cognitione sive directa sive indirecta, nunquam nasci posse. Nulla enim facultas quiescit nisi in bono vel fine sibi proprio. Intellectus autem propter assequendam veritatem est constitutus; ergo in sola cognita veritate quiescere potest.

SECTIO SECUNDA.

De certitudine.

477. **Certitudinis natura.** Certitudo sensu latissimo determinationem significat sive quoddam „determinatum esse“; sensu strictiore ad determinationem firmitatem sive immobilitatem quandam addit. Ita certa dicitur voluntas, quae a suo proposito non facile removetur; certus amicus, qui amicitiae firmiter addictus est. Atque

---

[1] S. Thom. in 3 dist. 23 a. 2 q. 3. [2] Ita S. Thom. in 3 dist. 26 q. 2 a. 4.

ita etiam mens certa dicitur esse in cognoscendo, quum veritati firmiter et immobiliter assentitur.

Assensus mentis, ut certus sit, includere debet et necessariam cognitionis cum veritate connexionem et firmam intellectus ad rem adhaesionem; quae quidem adhaesio intellectus sumit, eam esse obiecti propositionem, ut repugnantia cum prudenti dubitatione certe percipiatur.

Ad assensus ergo rectitudinem vel certitudinem requiritur ex parte obiecti, ut res ita sit et aliter per se esse non possit, et ut haec rei necessitas ita sit intellectui proposita et manifestata, ut dubitari de ea nequeat salva prudentia. Ex parte autem subiecti requiritur, ut omnis erroris formido actualiter excludatur et intellectus firmiter rem ita esse et aliter esse non posse affirmet. Et alterutra ex his conditionibus deficiente cognitio simpliciter certa esse non potest. Itaque a) assensus erroneus sive falsus, quo quis sine formidine errori suo sive leviter sive etiam firmiter adhaeret, non est certus, quia, quum necessariam cum veritate connexionem non habeat, per se mutabilis est. b) Assensus probabilis, qui veritati cuipiam necessariae praestatur, etiamsi falsus esse non possit, tamen certus non est, quia mens non firmiter, sed cum formidine obiecto inhaeret. In utroque genere assensus opinativus est, sed ob diversam causam.

478. *Scholion 1.* Verum clare apparens necessario certitudinem gignit in mente attendente. Verum autem, quod non perfecte apparet, per se solum ad gignendam certitudinem satis non est.

Scholion 2. Certitudo gradus admittit non quidem ex parte negativa, tamen ex parte positiva. Ex parte negativa formido erroris excluditur: ex parte positiva est assensionis firmitas sive intensitas, quae maior minorve esse potest. Immo etiam ipsa formidinis exclusio diversitatem admittit. Nonnunquam formido est de re absolute impossibili, unde ne imprudens quidem dubium exoriri potest; aliquando autem, quum de re agatur, quae absolute impossibilis non sit, dubium imprudens vel involuntarium locum habere potest.

Ad rem apposite Suarez: „Licet certitudo per privationem explicetur, quam significat infallibilitas, nihilominus non consistit formaliter in privatione, sed in positiva perfectione, quae potest esse vel maior vel minor iuxta excellentiam actus et causarum eius: sicut substantia immaterialis magis vel minus perfecta quoad spiritualitatem esse potest, licet privatio materiae, quae nomine immaterialis substantiae significatur, in omnibus aequalis videatur.“ [1]

Si quis autem determinare velit, qui gradus in certitudine reperiantur, is attendere debet, firmitatem assensus pendere tum a motivo, propter quod assentiamur, tum ab evidentia, qua motivum percipiamus, tum a voluntate, qua assensum imperemus.

---

[1] Suarez, Disp. 6 de fide sect. 5 § 8.

Scholion 3. Certitudo mentis per se proportionalis est motivo, quod in obiecto proposito ad assensum pertrahit. Nam motivum illud sive obiectum formale est primaria certitudinis causa. Non tamen semper motiva, quae quoad se sunt magis evidentia, sunt etiam certiora quoad nos. „Nihil enim prohibet, id, quod est certius secundum naturam, esse quoad nos minus certum propter debilitatem intellectus nostri, qui se habet ad manifestissima naturae sicut oculus noctuae ad lumen solis.“ [1] Itaque etiam perfectioni subiecti, quod cognitionem elicit, et dispositioni proximae, qua subiectum ad eliciendam cognitionem idoneum fit, certitudo est proportionalis. Generatim enim actus omnis eaque omnia, quae actum consequuntur, a subiecto eiusque ad agendum dispositionibus modum accipiunt. Accedit, ut assensus etiam ex voluntatis imperio esse possit firmiore et tenaciore ad rem adhaesione. Ita veritati ex se moraliter certae quidem, quae tamen pro vita recte instituenda magnum momentum habet, firmiore adhaesione assentiri possumus, quam alteri inutili, quae ex se metaphysice certa sit.

Scholion 4. Certitudo, quae est modus assensus, in mente ut actus reperitur, et etiam ut habitus (n. 95). Ut actus existit, quum actu fit assensus mentis ad aliquam veritatem clare cognitam. Ut habitus existit, quum mens de veritate, cui antea assensum firmum praestitit, non actu cogitat; et tum certitudo definiri potest: habitus sive dispositio, propter quam mens ad firmiter assentiendum veritati prius cognitae inclinatur.

Scholion 5. Certitudo ex cognitione in res cognitioni affines deduci potest. „Certitudo invenitur in aliquo dupliciter, scilicet essentialiter et participative. Essentialiter quidem invenitur in vi cognoscitiva; participative autem in omni eo, quod a vi cognoscitiva movetur infallibiliter ad finem suum. Secundum quem modum dicitur, quod natura certitudinaliter operatur tamquam mota ab intellectu divino certitudinaliter movente unumquodque ad suum finem. Et per hunc etiam modum virtutes morales certius arte dicuntur operari, in quantum per modum naturae moventur a ratione ad suos actus.“ [2]

479. * **Certitudo dividitur:**

Ratione elementorum in subiectivam sive formalem vel logicam, — et obiectivam sive realem vel ontologicam; vel etiam in subiectivam, formalem, obiectivam;

ratione modi, quo acquiritur, in mediatam et immediatam;
ratione habita perfectionis, in naturalem sive vulgarem et philosophicam;
ratione exclusae formidinis, in absolutam et hypotheticam;
ratione motivi, in metaphysicam, physicam, moralem;
ratione modi, quo obiectum attingitur, in directam et indirectam;

---

[1] S. Thom., Summ. theol. I. q. 1 a. 5 ad 1.
[2] S. Thom., Summ. theol. II. II. q. 18 a. 4.

ratione fontis, unde hauritur, in intellectualem et auctoritativam;

ratione adiuncti imperii voluntatis nonnulli certitudinem necessariam et liberam distinguunt.

Iam de his singulis breviter ea proponamus, quae scitu sint necessaria.

480. **Certitudo subiectiva et obiectiva.** Rem si subtilius limare velimus, certitudinem primo realem et intentionalem distinguemus. Quarum priorem res vel enuntiabile habet, omissa etiam actuali cogitatione, ut quandam necessitatem, qua res necessario ita est, ut est, ut simul aliter esse non possit. Quae necessitas, quoties rem certo cognoscimus, certitudinem nostram determinat; et in se semper eadem est, sive res ab intellectu cognoscitur, sive non cognoscitur; ab intellectu enim non pendet. Hanc realem certitudinem nonnulli obiectivam vocant.

Sed nobis hoc loco de certitudine intentionali agendum est, quae in cognitionibus nostris reperitur. Haec si formaliter accipiatur, subiectiva est; si causaliter, est obiectiva.

Illud enim est formaliter subiectivum, quod realitate sua ipsi cogitanti subiecto inhaeret. Sed certitudo realitate sua ipsi intellectui inest, sicut assensus, cuius est modus; est ergo subiectiva. Sed haec certitudo, quae formaliter est subiectiva, si spectetur causaliter, i. e. secundum rationem determinantem, obiectiva est. Dubium enim esse non potest, quin certitudo subiectiva quoad veritates naturaliter cognitas determinetur ab ipso obiecto, i. e. a veritate percepta, sive ab illa certitudine obiectiva, quam realem diximus. Et sine certitudine obiectiva saltem apparente certitudo subiectiva constare non potest.

Scholion 1. Quum certitudo subiectiva et obiectiva distinguitur, ex contextu sermonis videndum est, quid quis hac ambigua distinctione significare velit. Certitudo proprie dicta et subiectiva est et simul obiectiva. Ab hac certitudo improprie dicta differt, quae subiectiva tantum est (atque etiam certitudo realis, quae obiectiva tantum est).

Scholion 2. In certitudine subiectiva inter certitudinem adhaesionis sive assensus (quae proprie est subiecti cognoscentis) et certitudinem inhaesionis sive infallibilitatis (quae proprie est ipsius cognitionis vel obiecti formalis vel motivi) distinguere solent.

Certitudo adhaesionis est ipse assensus firmus, in quo quiescit intellectus. Quae quies ex parte subiectiva causam habet, si de rebus evidentibus agitur, in solo intellectu; sin de rebus minus evidentibus, etiam in voluntate, quae assensum imperat. Certitudo inhaesionis est cognitionis infallibilitas, cui falsitas subesse non possit. Haec ex motivo nascitur ad assensum impellente sive ex medio, quo res cognoscitur. Vocatur nonnunquam formalis, dum certitudo adhaesionis nomen subiectivae retinet.

Scholion 3. Certitudo generatim accepta etiam triplex distingui potest: obiectiva, subiectiva, formalis.

Certitudo obiectiva est necessitas et immobilitas rei in se; quae necessitas vel entitatem spectare potest, vel propositionem. Certitudo subiectiva est determinatio intellectus ad iudicium aliquod sine ulla formidine ferendum. Certitudo formalis est necessaria determinatio cognitionis ad veritatem. Quae cognitionis certitudo potest considerari dupliciter: „uno modo ex causa certitudinis, et sic dicitur esse certius illud, quod habet certiorem causam. Alio modo potest considerari certitudo ex parte subiecti, et sic dicitur certius esse, quod plenius consequitur intellectus hominis.“ [1]

481. **Certitudo mediata et immediata.** Immediata est de re, quae sese menti nostrae manifestat seipsa (sive quia praesens existit, sive sola idearum comparatione), neque ulla interveniente alia veritate, ut: *Totum est maius sua parte.* Mediata est, quae per ratiocinium acquiritur. Certitudo mediata supponit immediatam tum veritatum intermediarum, tum connexionis harum veritatum cum illa, de qua certitudo mediata habetur.

Scholion. Ab hac certitudinis mediatae et immediatae distinctione nonnihil differt distinctio, quam recentiores ponunt inter certitudinem assertoriam et apodicticam (n. 273 *Schol.* 1), quarum prior orta sit ex experientia propria vel aliena, altera ex demonstratione (ἀπόδειξις) [2].

482. **Certitudo naturalis et philosophica.** Certitudo ex prima obiecti perceptione oriri potest; quod si fit, omnino directa est. Cui, ipsa natura duce, haud raro apud homines etiam vulgares voluntaria quaedam reflexio accedit sive distinctior obiecti motivorumque consideratio. Et haec iam certitudo reflexa vocatur, quia attentionem aliquam ad ipsam cognitionis veritatem adiunctam habet, neque tamen limitem vulgaris sive naturalis excedit. Ab hac reflexa vulgari distingui solet certitudo reflexa philosophica, quae ex diligenter considerata vi ipsius motivorum applicationis nata, regulis artis logicae regitur, ita ut motiva, quibus certitudo omnis innititur, clare explicari et vindicari possint.

Vulgaris, ut nomen indicat, omnibus hominibus ratione utentibus communis est; philosophica illorum propria est, qui accuratae reflexioni dant operam. Vulgaris ea omnia attingit, quae, utpote humanae vitae necessaria, facile cognoscuntur; philosophica praeter haec etiam ea penitius considerat, quae ab immediata experientia remotiora sunt. Quum autem cognitio ex indole sua non sit activitas pure subiectiva, sed res obiective apparentes etiam ex ipsarum parte ita esse affirmet, sicut appareant: fieri potest in certitudine praesertim vulgari, ut homines in rebus extraordinariis, quae per exceptionem ac-

---

[1] S. Thom., Summ. theol. II. II. q. 4 a. 8.
[2] Cfr. Ueberweg, System der Logik § 69.

cidere possunt, iudicium de obiectiva realitate conditionum perceptarum protendant ulterius, quam a natura intentum sit. Atque ita fit, ut in certitudine vulgari saepius ruant homines in „errores per accidens", quam id in certitudine philosophica contingere solet.

Neque tamen ideo discrimen inter certitudinem vulgarem et philosophicam in eo ponere licet, quod in illa id certum et verum iudicetur, quod vitae practicae respondeat, et in quo homines omnes conveniant; in hac autem sola ad rerum realitatem obiectivam attendatur [1].

Scholion. Alio modo certitudini naturali supernaturalis opponitur, quae reperitur in assensu veritatibus a Deo revelatis praestito propter Dei testantis auctoritatem.

483. **Certitudo absoluta et hypothetica.** Haec diversitas in certitudine reali obiectiva reperitur, quam enuntiabilium necessitatem esse diximus. Quae necessitas in aliis absoluta est, in aliis hypothetica. Absoluta est, quum res, quacunque facta hypothesi, aliter se habere non potest, atque enuntiatur. Hypothetica est, quum res se habere aliter non potest, atque enuntiatur, posito aliquo facto contingente, quamvis eo non posito aliter se habere possit. Necessitas absoluta exprimi potest formula: S est P, vel S non est P; hypothetica autem: Posito C, S est P, vel: Posito C, S non est P.

In certitudine hypothetica hoc loco non attenditur ad nexum, qui est inter conditionem et conditionatum; sed potius ad nexum, qui est inter affirmationem conditionati et eius causam et motivum.

Certitudo hypothetica duplex esse potest: ex hypothesi posita v. g. *mundus existens causam habet;* aut ex hypothesi ponenda v. g. *ignis uret, nisi Deus legi naturali deroget.*

484. **Certitudo metaphysica, physica, moralis.** Ita certitudo dividitur pro triplici motivo, quo intellectus ad firmiter adhaerendum movetur.

Motiva certitudinis metaphysicae ex ipsis rerum essentiis trahuntur sive intuitu immediato sive per discursum perceptis, velut: *circulum rotundum esse, totum maius esse sua parte,* et omnia theoremata geometrica.

Motiva certitudinis physicae sumuntur ex modo illo constanti et uniformi, secundum quem res naturales agere per testimonium sensuum et per inductionem experimentalem constat. Qui modus lex physica dicitur (n. 456). Haec certitudo, si ex perceptione alicuius sensus oritur, immediata est; si ex ratiocinio nascitur, quod legi physicae innititur, est mediata sive discursiva.

---

[1] Hac in re inter alios peccat Wundt, Logik. I. p. 380.

Motiva certitudinis moralis oriuntur ex modo constanti et uniformi, secundum quem homines in certa rerum circumstantia ex indole naturae humanae agere solent. Quem modum legem moralem dicunt.

Ita moraliter certum est, homines plurimos ingenio et voluntate inter se discrepantes in re aliqua non dicturos mendacium sibi inutile; vel: in mundo semper fore scandala; vel: beneficiis allici animos. Certum quoque est, quum in re aliqua suscipienda maior sit difficultas, hominem, quamvis per potentiam physicam suscipere possit, eam tamen non suscepturum esse, nisi bonum aliquod prae oculis habeat, quod eum ad superandam difficultatem excitare possit.

Ex hac lege morali fit, ut aliqua actio habeatur moraliter impossibilis, quando difficultas magna est, bonum autem, quod apprehendi potest, est admodum exiguum; quia certum est, homines non solere in his adiunctis agere. Contra actio erit moraliter possibilis, quum difficultas agenti vel levis vel nulla est, bonum autem, quod ex actione consequitur, ut bonum appetendum apprehenditur.

Itaque motiva in certitudine metaphysica ostendunt, oppositum esse affirmationem et simul negationem rei sub eodem respectu, vel, ut dicere solent, esse contra leges metaphysicas; in certitudine physica, oppositum esse contra leges naturae, quibus ex consuetudine saltem non derogetur neque unquam a Deo derogari possit, nisi talis exceptionis ratio sit; in certitudine morali, oppositum esse contra leges morales, sive contra illam moris humani constantiam, qui in rerum et hominum natura firmatus est.

Haec triplex diversitas non modo in certitudine illa obiectiva sive reali inest, quae ipsarum rerum est propria, sed etiam certitudinem subiectivam essentialiter afficit, quatenus ea consideratur causaliter sive in suo obiecto formali, quod idem est atque motivum.

485. *Scholion 1.* In hac, de qua agitur, re tenendum est discrimen inter certitudinem rei, quae est certitudo realis sive ontologica pendetque ex rerum natura, et certitudinem cognitionis, quae a principiis cognitionis pendet. Ita *theorema Pythagoraeicum* in se est metaphysice certum; si quis autem illud non cognosceret, nisi ex auctoritate mathematicorum, ipsi tantum moraliter certum esset.

Scholion 2. Divisionem, quam posuimus, alii ex motivo ipso metaphysice, physice, moraliter cum veritate connexo repetunt; alii potius impotentiam dissentiendi metaphysicam, physicam, moralem attendunt; plures eam ex impotentia trahunt metaphysica, physica, morali, ne illi apparentiae subsit falsum.

Scholion 3. Sunt, qui praeter tres, quas posuimus, species indicent certitudinem mathematicam ut speciem quartam. Sed falso id quidem. Nam sicut metaphysica, ita etiam mathematica certitudo in sola terminorum analysi fundamenta habet.

Scholion 4. Certitudo metaphysica eo praestat reliquis, quod in essentiis rerum sive in legibus metaphysicis fundata est, quae ex conceptu nullam exceptionem admittunt. Certitudo physica fundatur in legibus, quae ut leges ordini quidem mundi sunt necessariae, quibus tamen ex conceptu non repugnat per raram exceptionem derogatio ex parte sui auctoris. Minor etiam est ne-

cessitas certitudinis moralis, quippe quae ex moribus hominum pendeat, quae propter libertatem humanam in rebus particularibus exceptionem admittunt.

Quibus ex rebus apparet, certitudinem metaphysicam per se certitudine physica et morali praestantiorem esse et morali physicam; si videlicet attenditur motivum, quod in hoc negotio res est praecipua.

Si autem ipsa claritas et evidentia attenditur, qua motivum percipiamus, fieri potest, ut certitudo moralis maior sit certitudine physica vel metaphysica, et certitudo physica magis illustret animum quam certitudo metaphysica. Ita multis *existentia solis* vel *deleta Carthago* certior est *simplicitate animae rationalis,* quamvis haec formaliter per demonstrationem metaphysicam cognoscatur.

486. *Scholion 5.* Certitudo metaphysica est absoluta. Contra certitudo physica et moralis sunt hypotheticae. Nam leges et physicae et morales per se exceptionibus quibusdam obnoxiae sunt; illae per Dei potentiam, hae ex hominum libertate. Unde in hisce rebus haec subauditur conditio: nisi lex in ea re exceptionem patiatur.

Verum in hac re duo notanda sunt: 1° Saepe aliqua certitudo, quae propter rem, de qua agitur, videtur esse physica, revera est metaphysica, quia negari non potest, quin simul principium metaphysicum negetur. Negaret sane ipsum principium causalitatis, qui v. g. existentiam Africae vel suam ipsius existentiam negare vellet. Haec certitudo dicitur metaphysica reductive.

2° Saepissime conditio illa, quae in certitudine hypothetica subauditur, ut vana omnino evanescit; et iam certitudo, quae in actu primo est hypothetica, in actu secundo absoluta erit.

Scholion 6. Quamvis igitur certitudo physica et moralis ex se sint hypotheticae, utraque tamen absoluta sit, ubi primum constat, potentiam oppositam absolute nullum actum habere. Duplici autem ratione certitudo, quae ex se hypothetica est, absoluta fieri potest, a) evectione sive reductione ad metaphysicam; id quod demonstratione indirecta efficitur, qua ostenditur, negata illa certitudine negari aliquod principium metaphysicum. Haec (quae ab aliquibus minus recte nuncupatur metaphysica hypothetica) apte vocari potest reductive metaphysica. Cuius rei quum exemplo opus sit, ponamus, mendacium esse, quod affirmant omnes, existere *imperium Sinense,* vel extitisse Napoleonem I. Ex quo sequeretur, homines plurimos indole et vitae consuetudine omnino inter se diversos me velle decipere; neque ulla appareret huius deceptionis causa. Nemo autem non videt, hanc positionem spectatis hominum moribus et spectata conspirationis impossibilitate absurdam esse. Mendacium ergo, quod ponitur, existeret ut effectus proportionata causa carens. Dicit autem metaphysice pugnantia, qui huius generis ponit effectum. Ergo positio istius mendacii involvit repugnantiam metaphysicam.

b) Et omissa etiam evectione illa, duae, quas diximus, species certitudinis absolutae evadere possunt, quum constat, oppositum hic et nunc, i. e. in praesenti rerum circumstantia (sive quod aiunt in actu secundo) certe locum non habere, etiamsi in abstracto (sive in actu primo) exceptio possibilis esse putetur. Fieri quidem posset, possibilitate absoluta, ut homines etiam in iis adiunctis aliter agerent; at moraliter certum est, eos non agere aliter; si enim in illis adiunctis mentirentur, fieri posset, ut homines mentirentur sine causa et in propriam perniciem. Quinimmo nonnunquam physice etiam repugnaret, testem

mentiri, quum nullum omnino bonum mendacio obtinendum sibi proponere posset et gravissima incommoda inde proventura videret. In hac enim re mendacium ipsi naturae voluntatis humanae repugnaret.

Quibus ex dictis sequitur, duplicis generis certitudinem absolutam distingui posse, quarum una absoluta simpliciter est, tum in actu primo, tum in actu secundo; altera est absoluta secundum quid, i. e. non in actu primo, tamen in actu secundo. Conditio, quam in actu primo tantum fieri posse putamus, naturam certitudinis non tangit, tamen eius gradum aliquid minuit, quatenus in ea possibilitas dubii imprudentis non omnino exclusa est.

487. **Certitudo directa et indirecta.** Certitudo directa est, quum veritas tanta claritate sive evidentia nobis affulget, ut nullum de ea dubium exoriri possit. Attamen saepissime in vita humana contingit, ut veritas rationabiliter ab hominibus admittatur plena cum certitudine, neque tamen ipsa tam evidenter apparet, ut omnes dubitandi rationes exstinguat. Quod evenit, quoties menti humanae ex consideratione adiunctarum conditionum evidens est, rationes omnes dubitandi, quae exoriantur, imprudentes esse et plane neglegendas. Haec certitudo indirecta est, quia non est orta ex sola ipsius rei consideratione, sed ex aliis rebus adiunctis.

Quodsi quaeras, qua ratione haec certitudinis distributio differat ab illa, qua certitudinem in immediatam et mediatam divisimus, respondendum est, certitudinem omnem esse mediatam, in qua res media cognoscenda interveniat, sive illud medium iacet in via recta faciendae demonstrationis, sive seorsum in considerandis aliis rebus. Itaque certitudo directa aut immediata est aut mediata; certitudo indirecta est semper mediata.

488. **Certitudo moralis proprie dicta, et significatione latiore accepta.** Moralis certitudo proprie dicta a maxima illa probabilitate, quae etiam certitudo prudentialis vel directiva vocatur, sed nonnisi improprie et aequivoce certitudo moralis appellatur, bene est distinguenda. Haec certitudinis proprie dictae quasi vicaria est, qua inniti solemus, ubi illa deest, invitante prudentia et trahente in multis rebus necessitate. Adhibetur autem, quoties res certo quodam modo se habere communiter solent, ita tamen ut rarae exceptiones non desint; unde in eventibus singularibus vitae practicae, in quibus cum quadam certitudine est procedendum, nec metaphysica, nec physica, nec moralis cernitur oppositi impossibilitas. Quia tamen nulla ratio suppetit suspicandi hic et nunc de opposito, res pro certa habetur. Ita quum nobis in diversorio apponuntur dapes, impossibile non est, eas veneno infectas esse; vel quum litteras mitto absenti ut vivo, esse potest, ut is heri mortuus sit; vel quum sententiam doctorum communem amplectimur, veritati absonum non est, ut consensui ceteroquin

certo in hac re particulari error subsit. Sed in id genus rebus tuto et certo procedimus, nisi ratio particularis occurrat, quae oppositum in re praesenti timendum esse moneat.

Pertinere autem ad rem arbitramur observare inter eventus ordinis physici et moralis quoddam discrimen. Si enim eventus singularis consideratur, ut subest ordini physico, is certus est certitudine metaphysica, si conditio apposita in ipsum trahatur obiectum certitudinis; si autem non trahatur, res est certa certitudine physica, quam quidem ad absolutam vel metaphysicam reduci posse ante docuimus. Ita haec enuntiatio est certa metaphysice: *Dapes mihi in diversorio appositae nunc non convertentur in lapides, nisi Deus faciat miraculum.* Physice autem certum est: *Hae dapes nunc in lapides non convertentur;* quumque certus esse possim, Deum in hac re miraculum non facturum esse, haec certitudo ex se physica absolutae vel metaphysicae par est.

Consimiliter enuntiatio haec, quae per se ordinem moralem spectat, est certa metaphysice: *Dapes mihi a caris parentibus appositae non sunt ab homine veneno infectae, nisi quis praeter mores et consuetudinem humanam egerit.* Sed quid, si conditio haec non trahatur in certitudinis obiectum, sed omittatur omnino? Quum propter libertatem humanam fieri possit, ut unus homo agat in re particulari contra ordinem moresque humanos, iam certitudo non erit, nisi talis, quam prudentialem vel directivam diximus, quae gradum summae probabilitatis non excedit, sed ad agendum prudenter sufficit.

Quodsi in re aliqua propter conspirationem multorum, quae in ea re esse non possit, possibilitas abusus libertatis humanae excludatur, certitudo ea moralis nascitur, quam veram certitudinem esse diximus.

Sicut igitur in certitudine proprie dicta, ita etiam in hac summa probabilitate pronis animis iudicamus, rem se habere, ut communiter se habere solet, nec ulla formido de opposito nos sollicitos tenet. Sed discrimen est in eo, quod praesente certitudine proprie dicta oppositum, licet in abstracto possibile sit, in concreto esse impossibile iudicamus; praesente autem illa summa probabilitate oppositum, etsi etiam in concreto sit possibile, adeo tamen raro contingere intelligimus, ut haec possibilitas neglegenda sit.

Certum est autem, nos in sexcentis rebus vitae practicae hac probabilitate contentos esse eo, quod certitudinem veram habere non possimus. Quod praecipue experimur, quum singularis hominis actio secundum leges morales praevidenda vel iudicanda est. Quamquam enim lex moralis fundamenta habet in humana natura, tamen homo singularis liber manet, ita ut in re particulari etiam contra modum illum constantem per experientiam cognitum agere possit.

Scholion. Certitudini morali improprie dictae finitima est illa, quam in scientiae disciplinis certitudinem relativam vocant. Ita respectu habito ad notitias nostri temporis chimicis certum est, hydrogenium in elementa diversa solvi non posse; et physicis, electricitates reperiri duas ut res duas omnino di-

versas; et astronomis primo tempore certum erat, solem circum terram moveri, postea, solem in centro systematis solaris omnino quiescere. Ex hac certitudine relativa res trahuntur, et „absolute“ vel „obiective“ certae efficiuntur eo, quod accuratis observationibus et experimentis subduntur, addito argumento, quo demonstretur, opiniones omnes ab hac differentes pugnantia dicere [1].

489. **Certitudo libera et necessaria.** Est quidem omnis certitudo aliqua ratione necessaria. Quum enim obiecto aliquo satis clare proposito in intellectu cognoscente omne dubium prudens excludatur, ex intellectus rationalis interna indole necessitas nascitur, quae quodammodo *conditionalis* est: Ita iudicandum tibi, si prudenter sive rationabiliter agere velis, i. e. secundum conditionem vitae humanae et ex exigentia naturae rationalis. Fieri quoque potest, ut oriatur necessitas quaedam *absoluta*. Quum enim obiecto aliquo perfecte manifestato dubium etiam imprudens excludatur, ex obiecti evidentia necessitas haec oritur, ita iudicandum tibi nolenti volenti. Ad utramque autem necessitatem voluntas, si velit, assensum addere potest, qui ab ipsa pendeat (n. 133 et 134).

Ad vero id fieri potest diverso modo. Si assensus est evidenter coactus, voluntas potest assensum sequendo approbare, neque ullo modo serio, manente evidentia, retinere vel revocare. Si assensus est rationabiliter solum necessarius, ne imprudenter agatur, voluntas potest ob rationem sibi propriam intellectui imperare eumque determinare, ut contra suam inclinationem assensum prudentem non praestet. Sed potest etiam assensum prudentem admittere, immo suadere et imperare. In omni autem re voluntas libera assensui prudenti obsecundando plus minusve moraliter bene et meritorie agit, et moraliter male et demeritorie assensui prudenti resistendo. Patet igitur, certitudinem liberam vocari solum in oppositione ad certitudinem absolute coactam, non vero quasi interdum intellectus rationalis, suppositis ad certum assensum requisitis, aeque rationabiliter atque prudenter assensum vel praebere vel cohibere possit [2].

Ad rem S. Thomas: „Quandoque intellectus determinatur ad hoc, quod totaliter adhaereat uni parti; sed hoc est quandoque ab intelligibili, quandoque a voluntate. Ab intelligibili quidem quandoque mediate, quandoque immediate. Immediate, quando ex ipsis intelligibilibus statim veritas propositionum intelligibilium infallibiliter apparet; et haec est dispositio intelligentis principia“ . . . (Certitudo necessaria immediata). „Mediate vero, quando cognitis definitionibus terminorum, intellectus determinatur ad alteram partem contradictionis virtute primorum principiorum; et haec est dispositio scientis sc. conclusiones“ (Certitudo necessaria mediata). „Quandoque vero intellectus non potest determinari ad alteram partem contradictionis neque statim per ipsas definitiones terminorum, sicut in principiis, nec etiam virtute principiorum, sicut in conclusionibus demonstrativis est; determinatur autem per voluntatem, quae eligit assentire uni

[1] Extensius hac de re Wundt, Logik. tom. 1 p. 385.

[2] Cfr. Kleutgen, Theologie der Vorzeit. p. II. tr. IV. n. 222 sqq.

parti determinate et praecise propter aliquid, quod est sufficiens ad movendam voluntatem, non autem ad movendum intellectum . . . et ista est dispositio credentis“ [1]. Credere igitur ad certitudinem liberam refertur [2]; sed hac de re mox dicendum erit.

SECTIO TERTIA.

De evidentia.

490. Evidentiae descriptio. Evidentia in concreto accipi potest, atque etiam in abstracto. Evidentia in concreto sive evidens est illa veritas vel res, quae sese intellectui quasi videndam obicit. Evidentia in abstracto est ipsa clara rei visibilitas sive perspicuitas, vi cuius res clare videtur. Evidentia id est respectu intellectus, quod luminositas rerum externarum est respectu oculorum.

Sed ab hac obiectiva significandi ratione vox ad vim etiam subiectivam trahitur. Evidentia subiective spectata est cognitionis perspicuitas, omnem removens formidinem; sive perceptionis claritas rem quasi videntis. Itaque „evidentia duplex est, altera obiecti, altera cognitionis. Illa est claritas et perspicuitas, qua res ita potentiae obiicitur, ut ab ea quasi videatur; haec est ipsa claritas perceptionis rem penetrantis“ [3].

Et quia clara perceptio veritatis esse non potest, quin sit veritas clare perceptibilis, manifestum est, evidentiam subiectivam sine obiectiva esse non posse. E contrario evidentia obiectiva sine subiectiva esse potest, quia veritas aliqua in se clara perceptibilis esse potest, neque tamen clare percipi a mente, quae impedita sit. Si utraque adest, eius effectus in assensus necessitate situs est, sive in eo, quod veritas a mente non videri non possit. Est enim haec evidentia nihil aliud quam proportio perfecta sive commensuratio inter rem veram et naturalem intellectus capacitatem, propter quam intuitus intellectus naturali necessitate in ea figitur [4]. Verum haec necessitas non est id, quod ipsam evidentiam formaliter constituit, sed potius est effectus evidentiae. Ratio enim formalis evidentiae in ipsa veritatis perspicuitate cernitur, qua ita sese menti manifestat, ut eam cum necessitate ad assensum trahat. Hinc illa evidentiae definitio: „fulgor quidam veritatis assensum mentis rapiens“. Sicut

---

[1] Quaest. disput. q. 14 de verit. a. 1.

[2] Si intellectus, perspectis rationibus obiectivis, dicere debet: Prudens quidem de veritate dubium exclusum est, at non omne dubium etiam imprudens: ab obiecto solo non determinatur ad unum. Intellectus enim quum non sit facultas formaliter libera, non se sponte determinat. Hinc voluntas, auctoritati intellectus dubium prudens saltem excludentis confidens, huic assensum prudentem et firmum imperat, quum bonum atque non raro necesse sit prudenter agere. Ex his patet, quo sensu et quo iure certitudo intellectualis libera fides dici possit.

[3] Conimbricenses in l. 1 an. post. c. 26 q. 1 a. 3.

[4] Cfr. S. Thom., Quaest. disp. q. 14 a. 9.

corpora luminosa apertis et bene dispositis oculis satis proposita necessario visu percipiuntur, ita etiam veritas clare manifestata a mente bene disposita necessario cognoscitur.

491. **Evidentiae diversitas.** Quum diversa ratione veritas manifestetur, diversae quoque sunt species evidentiae. Diversitatem esse in evidentia, facile perspiciet, qui varias propositiones, quae omnes evidentes sunt, inter se comparare velit, cuius generis sunt: *Circulus rotundus est. Summa radii-vectorum in ellipsi est constans. Exstitit olim Cicero. Existit America. Corpora naturaliter sunt impenetrabilia.*

Et primo evidentiam internam et externam distinguimus. Interne evidens est res, quae in se est pro cognitione nostra perspicua. Externe evidens est res, quae etsi in se non sit adeo perspicua, tamen perspicuitatem gignit propter rationes externas.

Evidentia, quae interna est, aut immediate evidens est, aut mediate.

Evidentia, quae immediata est, aut per intuitum intellectualem est comparata, aut per experientiam sensuum.

Evidentia mediata sive scientifica est, qua intellectus clare aliquod obiectum cognoscit eo, quod per ratiocinium necessario ex praemissis sequitur. Quae evidentia vocatur consequentis, si conclusio clare sequitur ex principiis claris; est tantum consequentiae, si conclusio sequitur clare ex principiis obscuris.

Evidentia, quae externa est, aut est testimonii, aut acceptabilitatis sive veritatis indirectae. Evidentiam testimonii habeo, quum clare video nexum clarum, qui est inter testimonium hominum et rem, de qua testimonium prolatum est. Evidentia acceptabilitatis vocatur etiam evidentia de dignitate rationum, vel evidentia de imprudentia dubii.

Fieri enim potest, ut de re aliqua neque per experientiam propriam, neque per intuitum intellectualem, neque per ullam ratiocinationem, neque per testimonium humanum evidentia effici possit; et tamen video dubium de re fore stultum, immo immorale; quum videlicet recogitando conditionum circumstantiam clare video, obscuritatem non provenire ex rei incertitudine, sed ex limitatione humani ingenii. Homini enim concessum non est, ut omnes res ad usum necessarias ipsas evidenter percipere possit. Sed quia imperio voluntatis liberae in dispositione vitae magna copia relinquenda est, sapienter naturae humanae est provisum, ut intellectus humanus rationibus etiam non evidentibus saepe conquiescere possit, quinimmo haud raro debeat.

Scholion. Hoc modo revelatio Christiana non est quidem ipsa evidens, sed tamen evidenter credibilis atque etiam credenda. Etsi enim homines ut plurimum non evidenter cognoscunt factum revelationis, unusquisque tamen, cui motiva credibilitatis et credenditatis satis proponuntur, evidenter videt, revela-

tioni assensum praestari posse et praestandum esse, quum praesertim in aliis rebus huius vitae, quae videantur hominibus gravissimae, minore certitudine contentus sit [1].

492. **Evidentiae ad certitudinem relatio.** Sicut certitudinem subiectivam et obiectivam, ita etiam, quod ex dictis hactenus iam apertum est, evidentiam obiectivam et subiectivam distinguere solent. Id tamen discriminis est, quod certitudo utpote firma mentis adhaesio primo subiectiva est, et deinde a subiecto in obiectum deducitur; contra evidentia sive perspicuitas (ἐνάργεια) primo obiectis inest, unde etiam ad subiectum eiusque cognitionem trahitur.

Nemo autem non videt, evidentiam esse certitudinis causam. „Nam certitudo, quae est in scientia et in intellectu, est ex ipsa evidentia eorum, quae certa esse dicuntur.“ [2]

Quidquid per principia naturalia certum est, aliquo modo evidens esse debet, saltem extrinsecus et indirecte. Quomodo enim quis omne dubium rationabiliter deponere possit, nisi ipsi veritas satis manifestetur? In qua veritatis manifestatione evidentiam collocatam esse diximus.

Et subtilius etiam res circumscribi potest hoc modo. Certitudo obiectiva est ipsa rei firmitas, qua ita est et aliter esse non potest. Evidentia obiectiva est huius certitudinis obiectivae manifestatio et perspicuitas, vel eiusdem ad intuitum mentis propinquitas. Evidentia subiectiva est clara huius manifestationis et perspicuitatis per intellectum perceptio et apprehensio. Certitudo subiectiva est assensus intellectualis firmus in illam rem certam, ortus ex evidenti illa manifestatione obiectiva et apprehensione subiectiva.

SECTIO QUARTA.

De probabilitate.

493. **Probabilitatis natura accuratius describitur.** Probabilitas, quam causam opinionis esse diximus, est iudicii ad veritatem sive ad conformitatem cum re iudicata accessus. Quum enim veritas logica in conformitate mentis cum re cognita sita sit, per „accessum“ ad illam conformitatem probabilitas definiri solet. Et constituitur probabilitas motivo fallibili quidem, sed satis gravi; grave autem esse debet tum absolute, i. e. spectatum in se, tum relative, i. e. comparatum cum motivo sententiae oppositae.

Probabile igitur est illud, quod gravi quidem motivo suadetur ut verum, neque tamen omnem formidinem falsitatis excludit. Unde propositio vel probabilissima ex se falsa esse potest. Et tenenti propositionem aliquam ut probabilem non licet contradictoriam reicere ut certo falsam. Ex quo illud etiam

---

[1] Cfr. Franzelin, Tract. de div. revel. et Script. Append. I. 3.

[2] S. Thom. 3 dist. 23 q. 2 a. 2 q. 2.

sequitur, opinionem prudentem erroneam esse posse, et opinionem imprudentem cum veritate coniunctam.

Cessat omnis propositionis probabilitas, quum oppositae veritas certis argumentis evidens fit.

Scholion 1. Potest probabilitas considerari in ordine ad congruentem assensum, sive, quod idem fere est, in ordine ad subiectum, cui res videtur probabilis. Et hoc modo probabilitatem absolutam et relativam distinguunt. Ut absoluta sit, requiritur, ut eius generis motivis nitatur, quibus homines generatim pro humanae mentis natura ad assensum prudentem moventur. Hanc Aristoteles prae oculis habuit, quum opinionem probabilem definiret: „quae vera videatur omnibus vel plurimis vel sapientibus, atque his vel omnibus vel plurimis vel spectatissimis“ [1]. Quodsi probabilitas motivis continetur, quae ad flectendam hanc mentem ob peculiarem indolem aliave adiuncta satis sint, probabilitas relativa tantum dicitur. Haec probabilitas homines alios alio modo afficere potest, ita ut probabile videatur uni, quod ab alio putatur esse improbabile. Motiva enim eadem unum individuum vehementius afficere possunt, quam alterum, atque etiam unum individuum diversa vi pro mutata conditionum varietate.

Scholion 2. Distinguunt praeterea probabilitatem internam et externam. Interna est, quae ex ipsa natura petitur vel conditione rei, de qua agitur; ita probabile est, *senem aegrotum mori citius, quam adolescentem sanum.* Externa est illa, quae ex auctoritate deducitur aliorum.

494. Probabilitatis gradus. Quum probabilitas non significet adhaesionem intellectus absolutam et firmam, neque omnem de oppositi veritate formidinem excludat, adhaesio illa pro multitudine gravitateque motivorum magis vel minus firma esse potest, et formido minui atque augeri potest.

„Sicut in rebus naturalibus, in his, quae ut in pluribus agunt, gradus quidam attenditur (quia quanto virtus naturae est fortior, tanto rarius deficit a suo effectu), ita et in processu rationis, qui non est cum omnimoda certitudine, gradus aliquis invenitur, secundum quod magis et minus ad perfectam certitudinem acceditur. Per huiusmodi enim processum quandoque quidem, etsi non fiat scientia, fit tamen fides vel opinio vel probabilitas, propter probabilitatem propositionum, ex quibus proceditur: quia ratio totaliter declinat in unam partem contradictionis, licet cum formidine alterius.“ [2] Ita crescere potest probabilitas alicuius rei, quum eam, quam ante probabilem iudicavimus, post cum veritatibus aliis certo cognitis cohaerere videmus; vel quum eo plures rationes suadentes oriri videmus, quo saepius et accuratius rem perpendimus; vel quum experientia ante ignorata rationibus, ex quibus primo opinio erat nata, supervenit; vel quum novae apparent cum aliis rebus certis analogiae.

Atque ex comparatis inter se probabilibus de eadem re sententiis alia esse potest probabilior, cui opponitur, quae minus probabilis est; alia tenuiter probabilis, cui opponitur pro-

[1] L. 1 topic. c. 12. [2] S. Thom. in l. 1 anal. post. lect. 1.

babilissima. Neque non fieri potest, ut sententiae duae inter se oppositae simul sint aeque probabiles.

Quodsi ex duabus sententiis vere probabilibus alterutra probabilior est, non ea propter sententiae oppositae probabilitas destruitur.

Scholion 1. Id quod admodum est improbabile, nonnunquam moraliter impossibile vocatur. In qua appellatione non intelligitur impossibilitas proprie dicta, sed tantummodo maxima difficultas significatur. Et recte quidem id, quod in operatione humana maxime difficile est, dicitur moraliter esse impossibile. Ex more enim humano valde difficilia omittuntur.

Scholion 2. Ad augendam alicuius rei probabilitatem maiorem vim habet pondus rationum probabilium quam numerus. Quod ita in promptu est, ut declaratione non egeat. Quo autem melius hoc rationum probabilium pondus iudicari possit, aliae ab aliis regulae statutae sunt haud parum utiles. Fatendum est tamen, „sagacitatem" illam (n. 338 *Schol. 2*), cuius mentionem post Aristotelem fecerunt plurimi, et specialem mentis variis disciplinis excultae habilitatem, et cautissimam ad minima quaevis adiuncta attentionem in hoc negotio praestare plurimum.

495. **Probabilitatis et certitudinis differentia.** Quamvis verum sit, probabilitatem in accessu ad certitudinem consistere, et improbabilitatem in recessu a certitudine, nulla tamen ratione certitudo ipsa ut compositum quiddam ex plurimis probabilitatibus exortum concipi potest. Certitudo enim, quum perspecta conformitate inter rem et cognitionem nostram efficiatur, quod formidinem omnino exclusam spectat, res est omnino indivisibilis, et ab opinione essentialiter differt.

Fieri tamen potest, ut deficiente alicuius rei evidentia tot tantaeque rationes, quarum unaquaeque per se sola rem probabilem tantum efficiat, indicari possint, ut ex his rationibus probabilibus simul acceptis tamquam ex materia instituatur argumentatio, qua rem omnino certam esse demonstretur. Cuius rei exemplum frequens nobis oratores praebent, ut Tullius quum saepe alias, tum praecipue in praeclara illa, quam pro Milone dixit, oratione, in qua multas rationes probabiles accumulat, ut certo ostendat, Miloni a Clodio insidias structas esse.

SECTIO QUINTA.

De fide.

496. **Quae sit huius vocis significatio.** Sicut voces plurimae in scientia adhibitae initio ambiguae erant, ita nomen fidei vel Credere multiplici ratione adhibebatur.

Si ea vox sensu latissimo accipiatur, non raro cum nomine scientiae confundebatur. Sicut nomen scientiae non solum id significabat, quod ex firmis

rationis momentis novimus, sed id quoque, quod ex testium auctoritate tenemus [1], ita nomine fidei saepe omnis cogitatio cum assensu coniuncta significabatur vel ipse assensus, quem homo veritati praestat. „Credere, ut est apud S. Augustinum, est cogitare cum assensione.“ [2] Et S. Thomas: „Omnis certitudo, inquit, quae fit per rationem humanam, etiamsi ad visionem inducat, dicitur fides, secundum quod argumentum dicitur ratio rei dubiae faciens fidem.“ [3] Saepius autem vocem fidei ad illam opinionem significandam usurpatam videmus, quae, quum plurimis argumentis probabilibus nitatur, scientiae est proxima. Hoc modo Albertus Magnus: „Fides, inquit, est perfecta persuasio unius partis per multa probabilia.“ [4] Et S. Thomas: „Credere dicimur, quae vehementer opinamur.“ [5]

Sed arctior est et usitatior huius vocis vis, qua assensum intellectualem significat, ut is est a voluntate imperatus [6]. Nam id, quod assensui ut verum accipiendum proponitur, et in seipso possidet praeter rationem veritatis etiam rationem bonitatis allicientis voluntatem, et bonitatem multiplicis generis adiunctam habere potest, qua voluntas moveri possit, ut assensum imperet.

Et magis etiam sententia stricta est et in usu posita, ex qua fides sive Credere idem est atque „cum assensione cogitare“ aliquid, quod ab aliquo teste sciente et veraci affirmetur. Quod S. Augustinus in mente habuit, quum diceret: „Quod intellegimus, debemus rationi, quod credimus, auctoritati.“ [7] Et S. Thomas: „Fides proprie dicitur ex hoc, quod aliquis assentit eis, quae non videt. Hoc autem contingit dupliciter; uno modo, secundum quod homo inducitur per rationem humanam; alio modo, secundum quod inducitur per rationem divinam.“ [8] Haec fides definitur: adhaesio intellectus alicui rei, quam quis non videt, sed alteri dicenti credit; quod aliis verbis dicitur: cognitio obscura et fundata in testimonio dicentis; obscura dicitur, quia per se intrinsecus obiectum ipsum, quo ut motivo nitatur assentiens, non manifestat [9].

---

[1] Hoc modo S. Augustinus: „Scire non incongruenter dicimur etiam illud, quod certissimum credimus.“ De videndo Deo ad Paul. c. 3 n. 8.

[2] De praedestin. Sanctorum c. 2 n. 5.

[3] 3 dist. 23 q. 2 a. 2; cfr. Summ. theol. II. II. q. 1 a. 4; Quaest. disput. q. 14 de verit. a. 1.

[4] De homine q. 51 a. 1 tract. 1. [5] Quaest. disput. q. 14 de verit. a. 2.

[6] Ostendit S. Thomas ad credendum revelationi Christianae fide divina, requiri piam voluntatis affectionem: „Corde creditur ad iustitiam (Rom. 10, V. 10), i. e. voluntate. Nam . . . credere non potest homo nisi volens. Intellectus enim credentis non determinatur ad assentiendum veritati ex necessitate rationis, sicut intellectus scientis, sed ex voluntate. Et ideo Scire non pertinet ad iustitiam hominis, sed Credere.“ Comment. in Epist. ad Rom. lect. 2.

[7] De utilitate credendi c. 11 n. 25.

[8] 3 dist. 23 q. 2 a. 2; cfr. Summ. theol. I. II. q. 67 a. 3.

[9] Suarez, De fide parte 1 disp. 1 prooem. n. 11; cfr. Lugo, De fide disp. 8 c. 8.

Definiri etiam potest: assensus in rem aliquam propter auctoritatem testantis.

497. Id autem, quo fides hoc modo descripta a scientia potissimum diversa est, in voluntatis imperio est constitutum. Nam dum intellectus in scientia ab evidentia, quae non solum in primis principiis per se notis et visis, sed etiam inest in omni scientia — „oportet enim, quaecumque sunt scita, aliquo modo esse visa“ [1] — plenė movetur et quodammodo ad assentiendum cogitur: id in negotio fidei fieri non potest, sed intellectus credentis, quum non videat obiectum, ab hoc plene moveri non potest; unde necesse est, ut moveatur a voluntate. „Credere non habet assensum, nisi ex imperio voluntatis, unde secundum id, quod est a voluntate, pendet.“ [2]

Si quis igitur scientiam, fidem, opinionem inter se comparare velit, „de ratione opinionis est, quod accipiatur unum cum formidine alterius oppositi, unde non habet firmam inhaesionem. De ratione vero scientiae est, quod habeat firmam inhàesionem cum visione intellectiva; habet enim certitudinem procedentem ex intellectu principiorum. Fides autem medio modo se habet; excedit enim opinionem in hoc, quod habet firmam inhaesionem; deficit vero a scientia in eo, quo non habet visionem“ [3].

Scholion 1. In certitudine omni distingui potest certitudo speculationis, sive evidentia rei, cui adhaeremus, et certitudo vel firmitas ipsius adhaesionis. Prior intellectum respicit, altera affectum. Unde certitudo scientiae consistit in duobus, scilicet in evidentia et firmitate adhaesionis; certitudo autem fidei in uno tantum, scilicet in firmitate adhaesionis [4].

Scholion 2. Non desunt nostro tempore, qui ad vagam illam et initio indeterminatam notionem vocis fidei revertantur, vel aliam cum hac voce significationem coniungant. Quae res apta est, ut confusionem pariat obscuritatemque. Ita sunt, qui credi dicant id, quod hic et nunc cognitioni immediatae non subsit [5].

---

[1] S. Thom., Summ. theol. II. II. q. 1 a. 5; cfr. 3 dist. 24 q. 1 a. 2 sol. 1.

[2] S. Thom., Quaest. disput. q. 14 de verit. a. 3; cfr. h. l. a. 1. Et alio loco de fide divina disputans: „Credere, inquit, est actus intellectus assentientis veritati divinae ex imperio voluntatis a Deo motae per gratiam.“ Summ. theol. II. II. q. 2 a. 9.

[3] S. Thom., Summ. theol. I. II. q. 67 a. 3; cfr. Quaest. disput. q. 14 de verit. a. 1 ad 5.

[4] S. Thom. 3 dist. 23 q. 2 a. 2 sol. 3. Cfr. S. Bonavent. 3 dist. 23 a. 1 q. 4, et Henric., Gandav. Summ. p. 1 a. 7 q. 2 n. 6, 11.

[5] „Faith is that operation of soul in which we are convinced of the existence of what is not before us, of what is not under sense, or any other directly cognitive power. . . . In many, indeed in most of our judgments, there is faith implied, as when on seeing an effect we look for an unseen cause. There may be faith wrapped up even in the very operations of inference, as

498. **Auctoritas testantis.** Testis est, qui suam cognitionem cum altero communicat; ipsa autem cognitionis communicatio testimonium appellatur. Testimonium dogmaticum est, quo doctrina communicatur; historicum vero vocatur, si indicatur factum.

Vox auctoritatis hoc loco non significat ius vel potestatem praecipiendi, sed vim quandam moralem, vel generatim id, propter quod testis fide dignus est. Auctoritas igitur scientia et veracitate testis continetur. Si enim cognosco, testem id, quod testetur, scire, eumque id, quod ipse de re iudicet, cum veritate mihi enuntiare velle, ipsi fidem habere soleo, atque id, quod affirmat, affirmo et ego propter ipsius auctoritatem.

Et est hoc loco quaestio subtilior, utrum scientia vera in intellectu testis residens, et locutio verax, quae voluntatem testis spectat, eadem vi credentem afficiant, an diversa. Sed mittamus hoc; ad id enim, de quo agitur, nihil interest.

Itaque duplex est in fide tendentia, una ad obiectum, quod creditur, altera ad testimonium, cui creditur; prior habitudinem fidei ad suum obiectum materiale significat, altera ad rationem obiecti formalem refertur [1].

Sed iterum duplici modo auctoritas dicentis in rebus credendis intervenire potest: materialiter et formaliter. Materiali tantum modo intervenit, quum intellectus credentis ipso nexu logico determinatur et necessario, qui est inter auctoritatem testantis et rem affirmatam, nexu, inquam, sive ipsa rectitudine logica praemissarum, in quibus auctoritas testantis locum termini habet. Atque haec fides intellectualis est; quae vocatur scientifica, si praemissae certitudinem pariunt; si autem probabilitatem tantum, fides opinativa est. Hac fide *iudex* reo credit testanti contra seipsum.

Formali autem modo auctoritas intervenit, quum voluntas ipsam auctoritatem dicentis et bonitatem testanti internam, quatenus haec cum veritate coniuncta est, amplectitur; quod quidem rationaliter non fit, nisi supposita cognitione de existentia et veracitate testimonii, vel ut dicere solent: supposita evidentia credibilitatis. Atque haec ea est certitudo, quae ut plurimum intelligitur, quum de fide agitur. Haec fides ethica vocatur, quia ordinem scientiae excedit, atque moralis imputabilisque effici potest. Iusto enim iure is, qui alicui homini debita auctoritate praedito fidem denegat, non solum imprudentiae, verum etiam iniustitiae

---

when from data before us we infer something not before us; as when we see the tide ebbing now, and argue that it will be flowing so many hours after." Mc Cosh, Intuitions, p. III. l. 2 c. 5 s. 1.

[1] S. Thom., Summ. theol. II. II. q. 2 a. 2.

accusari potest, quatenus haec fidei denegatio iniquum de testante involvit iudicium. Et magis etiam eum, qui Deo aliquid testanti fidem renuit, impietatis reum censebis.

Atque hic est formalis ad auctoritatem respectus, quo fides a scientia distinguitur. Scientia est propter veritatis evidentiam, sed fides propter auctoritatem testis.

Si in fide auctoritas hominum intervenit, fides humana dicitur, si auctoritas Dei, fides divina est.

Scholion 1. Quum fides sit assensus intellectus imperatus a voluntate, facile intelligitur, omnem fidem, ut fides est, esse liberam. Et duplex motivum distinguitur: motivum fidei internum (motivum credendi), quo intellectus ad assensum determinatur, quod habet rationem veri; et motivum fidei externum (motivum volendi credere), quo voluntas ad credendum inclinatur, quod habet rationem boni. Neque tamen opus est, ut haec duo fidei motiva re sint diversa.

Scholion 2. Fides, qua quis caeco quodam modo fidat auctoritati alterius, et rationabilis esse potest, et stulta. Ut rationabilis sit, requiritur, ut rationes cognoscantur, quae ad ostendendam veritatem, i. e. veracitatem et scientiam eius, qui rem testatur, credenti satis sint. Igitur assensum ipsius fidei, quo admittimus rem testatam, distinguere oportet ab assensu praevio, quo admittimus testimonium dicentis eiusque auctoritatem propter motiva credibilitatis.

Scholion 3. Si momenta omnia, quae reperiuntur in fide divina, supernaturalia omittamus, haec est inter fidem divinam et humanam differentia, quod in fide humana factum locutionis physice certum esse solet, veritas autem loquentis est admodum probabilis, vel moraliter certa; in fide autem divina veritas loquentis est metaphysice certa, et factum locutionis morali tantum certitudine ut plurimum affirmari potest.

499. **Certitudo ex fide oriunda.** Certitudo illa (naturalis), quae generatim fide efficitur, a certitudine pendet, qua credenti de scientia et veracitate testium persuasum esse potest. Et illud quidem testimonium hominum, quod in vitae usu quotidiano adhiberi solet, in multis quidem rebus probabilitatem efficit, rarius certitudinem proprie dictam. Nihil enim obstat, ne aliorum testimonium certis conditionibus positum hanc certitudinem praebeat. Si enim testes plures inter se studiis differentes referunt de re admodum conspicua, quae vehementer in oculos hominum incurrere debet, certo nobis constare potest, illos quoad substantiam facti neque deceptos esse, neque nos velle decipere. Quinimmo unius testis auctoritas, modo noverimus, eum esse hominem probum et prudentem, sub secunda rerum circumstantia satis esse potest, ut omnis formido falsitatis tollatur.

500. Si autem de fide Deo praestanda agitur, certum est, testimonium quodlibet divinum, postquam certo constat, Deum locutum esse, habere auctoritatem ipsius Dei; et quoniam haec est maxima,

sane necesse est, eam, quae a testimonio divino ducatur, certitudinem esse maximam. Namque in se aperte repugnat magis, falsum esse id, quod testimonio divino nititur, quam id omne, quod lumine intellectus humani constat. In hac igitur re distinctio praesto esse debet, cuius mentionem supra (n. 497 *Schol. 1*) fecimus. Ut enim est apud S. Bonaventuram, „est certitudo speculationis et est certitudo adhaesionis. Et prima quidem respicit intellectum, secunda vero respicit ipsum affectum. Si loquamur de certitudine, sic maior est certitudo in ipsa fide, quam sit in habitu scientiae, pro eo, quod vera fides magis facit adhaerere ipsum credentem veritati creditae, quam aliqua scientia alicui rei scitae". Addit vero sanctus Doctor: „Si loquamur de certitudine speculationis, quae quidem respicit ipsum intellectum, sic concedi potest, quod est maior certitudo in aliqua scientia quam in fide, pro eo quod aliquis potest aliquid per scientiam ita certitudinaliter nosse, quod nullo modo potest de eo dubitare, nec aliquo modo discredere, nec in suo corde ullo modo contradicere, sicut patet in cognitione dignitatum et primorum principiorum." [1] Nihilominus fides, si firmitatem adhaesionis spectes, „est certior omni intellectu et scientia, quia prima veritas, quae causat fidei assensum, est fortior causa, quam lumen rationis, quod causat assensum intellectus vel scientiae" [2]. Et „locus ab auctoritate, qui fundatur super revelatione divina, est efficacissimus" [3].

Et maior etiam certitudo huic actui inde oritur, quod intellectus ad actum fidei eliciendum supernaturali lumine a Deo collustratur, ad eumque imperandum voluntas divini adiutorii viribus elevatur. Quodsi hoc fidei divinum principium attenditur, assensus huius fidei assensu omni naturali intensior est. Assensus naturalis quantumvis firmus sola vi luminis efficitur accedente fortassis aliqua volitione boni finiti. Assensus autem fidei divinae propter Deum efficitur a facultate humana gratiae viribus adiuta. Haec autem gratia et intellectum illuminat lumine, quod est excellentius omni lumine creato, et voluntatem confortat, ut efficacius intellectum ad assentiendum moveat, quam in aliis rebus fieri possit. Sed haec theologorum sunt.

---

[1] In l. 3 sent. dist. 23 a. 1 q. 4.

[2] S. Thom., Quaest. disput. q. 14 de verit. a. 1 ad 7. Et alio loco: „In his, quae per fidem credimus, ratio voluntatem inclinans est ipsa veritas prima sive Deus, cui creditur, quae habet maiorem firmitatem, quam lumen intellectus, in quo conspiciuntur principia, vel quam ratio humana, secundum quam conclusiones in principia resolvuntur." 3 dist. 23 q. 2 a. 2 sol. 3.

[3] S. Thom., Summ. theol. I. q. 1 a. 8 ad 2.

E r r a t a.

Pag. 3 lin. 3 ab initio: *loco* σοφοι *lege* σοφοί.
„ 4 lin. 3 ab initio: *loco* Philiasiorum *lege* Phliasiorum.
„ 19 lin. 10 a fine: *loco* extensior *lege* extensius.
„ 35 lin. 15 ab initio: *loco* significarunt, *lege* significarunt.
„ 40 lin. 14 a fine: *loco* non fieri non *lege* fieri non.
„ 40 lin. 13 a fine: *loco* facerent, eam *lege* facerent eam.
„ 47 lin. 6 ab initio: *loco* Phliaeum *lege* Phliasium.
„ 47 lin. 20 ab initio: *loco* Empiristis *lege* Empiricis.
„ 58 lin. 13 a fine: *loco* recentiores *lege* recentioris.
„ 64 lin. 7 a fine: *adde* 1596—1650.
„ 132 lin. 19 ab initio: *loco* perfectionem *lege* perfectiorem.
„ 158 lin. 7 ab initio: *loco* speciei diversas *lege* specie diversis.
„ 176 lin. 18 ab initio: *loco* recurrunt *lege* occurrunt.
„ 237 lin. 6 ab initio: *loco* voce *lege* voci.
„ 305 in paginae titulo: *loco* 5 *lege* 6.
„ 365 lin. 1 et lin. 3 ab initio: *loco* Quasi-subcontrariae *lege* Subcontrariae.

„. . . Si pues en esta ciencia se dan la mano por una parte la Metafísica propiamente dicha, y de otra las ciencias físicas y naturales, y aún las mismas ciencias exactas, juzgue el lector qué grandes deben ser la suma de conocimientos y la amplitud y penetracion de ingenio de que habrá menester el autor de unas *Instituciones de filosofía natural,* mayormente si como las que tenemos ante los ojos del P. Tilmano Pesch, tratan con extension y profundidad su objeto, y contienen acerca de él toda la luz con que pueden iluminarlo la ciencia antigua y la moderna.“

(La Ciencia Cristiana. Madrid 1880. No. 86. Julio.)

Meyer, Th., S. J., Institutiones Juris Naturalis seu philosophiae moralis universae secundum principia S. Thomae Aquinatis ad usum scholarem. **Pars I:** *Jus Naturale Generale* continens ethicam generalem et jus sociale in genere. Cum approbatione Rev. Archiep. Friburgensis. 8°. (XXXII et 498 p.) Pretium: *M.* 6 = fr. 7.50.

„. . . Le livre du R. P. Meyer doit avoir sa place sur la table du professeur de droit comme sur celle du professeur de morale. Ce n'est point seulement un livre de bibliothèque que l'on consulte à certaines heures: c'est bien plutôt un manuel que les gens du métier, les philosophes, les théologiens, les politiques, devraient sans cesse avoir sous les yeux, pour y puiser la direction de leur enseignement ou de leur conduite dans le gouvernement des âmes et des peuples.“

(Revue des sciences ecclésiastiques. Amiens 1887. Nr. 324. Janvier.)

"The book seems to us well qualified to take its place as a standard work on the subject at the present day. It is written clearly and distinctly; the author does not waste words, he lays down his principles with great firmness and precision, deduces his conclusions with unerring accuracy, searches out the weak points of his enemy's armour, and having once grappled with him, leaves him not till he has completely over-mastered him." (The Month. London 1886. March.)

"El P. Meyer destina su libro á los escolares, y creemos que todo el tiempo que tarde en aparecer la traduccion española de su preciosísimo tratado de Derecho natural se priva á los estudiantes de un poderosísimo auxiliar para rebatir los enmarañados conceptos del kraussismo que hoy privan en muchos claustros universitarios. El público debiera disfrutar el libro del P. Meyer vertido en castellano para que no solo los juristas, si que tambien los moralistas y escritores de revistas religioso-políticas, bebieran las doctrinas políticas y *sociológicas*, como ahora dicen, en las fuentes puras de Sto. Tomás de Aquino, y no olvidaran que en lo que es obra de la voluntad, la regla próxima es la razon humana y la regla remota y suprema es la ley eterna.

Los alumnos del Doctorado en la Central hecesitan un guía seguro para la filosofía del derecho, asignatura que corre á cargo allí del kraussista señor Giner. Lean pues aquellos alumnos este tratado y empezando por las nociones de ética que quizá les fueron defraudadas en la segunda enseñanza; y terminando en tesis del alcance de la quincuagésima (última del libro, que así dice: 'El sumo principio del derecho natural está contenido por esta ley universalísima jurídica: Guardad el recto orden de la vida social; de donde esta idea se enuncia por este axioma: La razon y medida de la afirmacion de todo derecho natural se halla en el recto orden de la vida social naturalmente sancionado') saldrán de las aulas en disposicion de combatir en pró de los derechos de la verdad. La bibliografía, la crítica, y los estudios de derecho político comparado, no menos que las investigaciones para enlazar la ética y el derecho, quedarán eternamente agradecidos al P. Meyer por el caudal de noticias y por las reglas seguras dadas en su tratado de Derecho natural. ¡Ojalá que pronto ande en manos de todos nuestros estudiantes y profesores libro que tanto vale!"

(Dogma y Razon. Barcelona. 1888. Nr. 14.)

Pesch, T., S. J., Institutiones logicales secundum principia S. Thomae Aquinatis ad usum scholasticum. **Pars I:** *Summa Praeceptorum Logicae.* Cum approbatione Rev. Archiep. Friburgensis et Super. Ordinis. 8°. (XXIV et 589 p.)

